

THEOLOGIA

MORALIS

S. Alphonsi De Vigorio,

FUNDATORIS CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS AC OLIM EPISCOPI S. AGATHÆ GOTHORUM.

ACCEDUNT :

1. Dissertatio P. Zachariæ in S. Alphonsi theolog. mor.
2. Praxis confessarii ad benè excipiendas confessiones.
3. Examen Ordinandorum.
4. Epitome doctrinæ moralis et canonicæ ex operibus Benedicti XIV.
5. Decreta Romanorum Pontificum et Propositiones damnatæ.
6. Appendix I. De Privilegiis, scilicet Episcoporum, Ecclesiasticorum et Religiosorum.
7. Appendix II. De prohibitione Librorum nocivorum.
8. Elenchus quæstionum reformatarum ab Auctore.
9. Index I. Auctorum, qui hoc in Opere citantur.
10. Index II. Caputum et dubiorum.
11. Index III. Rerum notabilium, quæ in toto Opere continentur.

EDITIO NOVISSIMA, OMNIUM ACCURATIOR, COLLATA CUM EDITIONIBUS VENETIS, ROMANIS ET BASSANENSIBUS AC CONTINENS QUIDQUID AUCTOR IN CÆTERIS ADDIDIT, REFORMAVIT VEL EXPLICAVIT.

Plurima in aliis Editionibus omissa restituenda, citationes immensas corrigendas, per multa impressione corrupta castiganda et annotationes necessarias addendas

CURAVIT

P. MICH. HEILIG,

CONGR. SS. REDEMP. PRESBYTER ET PROFESSOR THEOL. MOR.

TOMUS SEXTUS,

CONTINENS TRACTATUS DE EUCHARISTIA, MISSÆ SACRIFICIO ET POENITENTIA.

A LIB. 6. NUM. 189. AD NUM. 558. INCLUS.



MECHLINIÆ.

F. J. MANICQ, SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE, ET ARCHIEP. MECHL. TYPOGRAPHUS.

M. D. CCC. LII.

THEOLOGIA

MORALIS



THEOLOGIA MORALIS.

LIBRI SEXTI

TRACTATUS III.

DE EUCHARISTIA.

CAPUT I.

DE ESSENTIA EUCHARISTIÆ.

DUBIUM I.

Quid sit Eucharistia?

- 189 In quo constituatur, sive consistat essentia Eucharistiæ?
- 190 Vide resolutiones apud Basemb. circa rationem specificam, et numericam hujus Sacramenti.
- 191 Qu. 1. An tota ratio specifica Eucharistiæ salvetur in altera specie? Qu. 2. Unde sumatur unilas numerica Eucharistiæ?

192 An Eucharistia sit necessaria ad salutem necessitate medii?

195 An Eucharistia sit necessaria adultis ad vitam spiritualem conservandam?

189. — **R**ESP. est sacramentum corporis, et sanguinis Christi sub speciebus panis, et vini, ad spiritualem animæ refectionem divinitus institutum. Ita communiter Scho- lastici.

Unde resolves sequentia :

1. Tam species consecratæ, quàm corpus et sanguis Christi, intrinsecè, et essentialiter constituunt hoc Sacramentum : adeoque falsum est, quod docuit Waldensis, corpus et sanguinem Christi esse totum sacramentum. Ratio est, tum quia Trident. docet, corpus, et sanguinem contineri hoc sacramento : tum quia, quantenus continetur, non est sensibile. Item falsum est, quod docent Marsilius, et Sotus, solas species constituere hoc sacramentum; tum quia Eucharistia est cibus cœlestis; tum quia adorari debet latrâ, ut docet Trident.

Hic prænotandum quòd in omnibus sacramentis tria distinguuntur, nempe sacramentum tantum, res tantum, et sacramentum ac res. Sacramentum tantum est illud quod significat; res tantum est id quod significatur, sive effectus sacramenti; sacramentum ac res simul est id quod significatur ab uno, et significat aliud. In hoc autem Eucharistiæ sacramento, sacramentum tantum sunt species consecratæ, quæ tantum significant animæ refectiones; res tantum est ipsa relectio; res et sacramentum est corpus Christi, quod significatur à speciebus, et gratiam significat. Hinc magna oritur quæstio inter DD., nempe in quo consistat essentia Eucharistiæ? Plures sunt sententiæ, sed duæ sunt magis receptæ.

Prima sententia, quam tenent Gonet, Man. t. 7. p. 183. Petrocor. t. 5. pag. 291. q. 2. et Salm. de Euchar. c. 1. dub. 2. n. 18. et 19. cum Soto, Gonz. Henr. etc. dicit, quòd essentia sive ratio sacramenti consistit in recto in solis speciebus : corpus autem Christi pertinet ad sacramentum tantum in obliquo, id est tamquam quid extrinsecè connotatum.

Probant 1. ex cap. Cum Marthæ, de celebr. miss. ubi sic dicitur : Forma (id est species) est panis, et vini; veritas, carnis et sanguinis; virtus, unitatis et charitatis. Primum (id est species) est sacramentum, et non res. Secundum (id est corpus Christi) est sacramentum, et res. Tertium (id est effectus) est res, et non sacramentum. Cum igitur textus dicat species esse sacramentum, et distinguat sacramentum à re simul et sacramento, quod ait esse corpus Christi; ergo (ut dicunt) totam rationem sacramenti textus refundit solis speciebus. Probant 2. ex Trident. sess. 13. can. 1. ubi habetur : Si quis negaverit in SS. Eucharistiæ sacramento contineri verè, realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem Dom. N. Jesu Christi, anathema sit. Ergo, si corpus Christi continetur in sacramento, sequitur quòd species sint sacramentum tantum continentes corpus Christi, ne dicatur corpus Christi contineri in seipso.

190. — Secunda sententia verò, quam tenent cum Busemb. Suar. d. 42. sect. 5. Cont. Tourn. de Euchar. part. 1. cap. 1. art. 1. concl. 2. item Vasq. Conc. Val. etc. apud Salm. n. 29. dicit sacramentum Eucharistiæ consistere in recto sive essentialiter æquè in speciebus ac in corpore Christi. Ratio, quia ex corpore Christi æquè ac speciebus unum fit sacramentum. Christus autem continetur in sacramento tanquam pars in toto, ut anima in homine, non verò tanquam aliquid extrinsecum à ratione sacramenti. Et sic respondetur textui quem opponunt Tridentini. Hæcque ratio confirmatur à D. Augustino relato in can. Hoc est. 48. dist. 2. de consecr. ubi docet hoc sacramentum duobus constare, visibili elementorum specie, et invisibili Domini N. Jesu Christi carne et sanguine, sicut Christi persona constat ex Deo et homine. Ad textum autem in cap. Marthæ, respondet Lugo de Eucharist. d. 1. num. 27. (qui diversam sustinet sententiam, nempe quòd essentia Eucharistiæ in recto consistat in corpore Christi, et in obliquo tantum in speciebus) quòd Pontifex, dicendo species esse sacramentum, non intendit dicere, quòd solæ species sint sacramentum, sed quòd species in Eucharistia non habent aliud munus quàm sacramenti; significant enim, et non significatur; ad differentiam corporis Christi, quod est sacramentum simul et res, nempe quod significat gratiam, et significatur à speciebus; non autem

textus excludit, quòd corpus Christi pertinet ad essentiam sacramenti. Utraque sententia est probabilis.

« 2. Usus sive sumptio Eucharistiæ non est propriè ipsam sacramentum, neque aliud sacramentum ab eo distinctum, » ut vult *Gabriël*; nec pars illius, sive essentialis, sive integralis, ut *Aireolus*; sed tantùm applicatio, sive conditio ut sacramentum operetur.

Omnia alia sacramenta, ut sub initio hujus lib. 6. notavimus, dicuntur *transeuntia*, quia tùm solùm sunt sacramenta, cùm conficiuntur et applicantur. Hoc tantùm Eucharistiæ sacramentum dicitur *permanens*, quia consistit in re permanente, et sic corpus Christi post consecrationem existens sub speciebus panis est verè et propriè sacramentum, sive sumatur, sive in sacrario servetur, ut habetur definitum in Trident. sess. 13. can. 4. ubi: *Si quis dixerit, peractâ consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus, et sanguinem Dom. N. Jesu Christi, sed tantùm in usu..... anathema sit.*

« 3. Etsi, quælibet species, imò quævis pars speciei, sit » integrum et essentialiter perfectum sacramentum, ideoque » sacramentum Eucharistiæ, sub speciebus panis et vini, » physicè et materialiter specie differat; moraliter tamen, » et in ratione sacramenti est unum specie infimâ sacramentum: tum quia est unum signum rei sacræ, tùm quia » ordinatur ad unum specie infimâ finem. Vide *S. Th. 3. p. qu. 72. art. 2.*

« 4. Etsi, physicè loquendo, tot sunt numero sacramenta, » quot numero species, vel etiam partes specierum: moraliter tamen unum numero sacramentum est; quod per » modum unius proponitur, et sumitur; quia id ad unum » finem, scilicet ad unam refectionem spiritualem, refertur.

« 5. Hostiæ in diversis altaribus rectè concipiuntur ut » distincta sacramenta; contrà verò, si sacerdos unam hostiam in plures partes dividat, vel plures hostias simul » sumat (eadem est ratio plurium specierum diversæ rationis), non ideo dicitur accepisse plura numero sacramenta.

191. — Super his ante omnia prænotandum id quod habetur in Trident. sess. 15. c. 5. *Corpus (existere) sub specie panis, et sanguinem sub vini specie ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis,*

autemque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, et concomitantia.... Divinitatem porrò propter ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem. Item sess. 21. c. 5. habetur: *Quamvis Redemptor noster hoc sacramentum in duabus speciebus instituerit, tamen fatendum est, etiam sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi; ac propterea quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.*

Sed quæritur 1. an tota ratio specifica hujus sacramenti salvetur in sola specie panis, aut vini, seorsim sumpta?

Prima sententia affirmat, quam tenent *Bellarm. l. 4. de Euch. c. 22. et Gonz. Nugnus, et alii apud Salm. de Euch. c. 2. p. 1. dub. 1. n. 16.* Ratio, quia quælibet species rationem habet integri convivii, cùm per concomitantiam sanguis veniat sub specie panis, et corpus sub specie vini. Idque arguunt ex illis verbis Tridentini, ut suprâ: *Sub altera specie verum sacramentum sumi.*

Secunda sententia verò probabilior dicit, totam rationem specificam sacramenti non salvari, nisi in utraque specie. Ita *Lugo de Euch. d. 2. sect. 1. Tourn. Præf. theol. de Euch. quest. 4. art. 3. ac ejus Cont. hic cap. 1. art. 1. concl. 4. et Salm. ibid. n. 17. et 18. cum Ledesma, Cornejo, etc.* Ratio, quia, licet per concomitantiam corpus Christi veniat sub specie vini, et contrà: quod sufficit quidem ad totum assequendum fructum sacramenti, ut docet concilium; hoc tamen per accidens evenit, quia nunc sanguis non potest à corpore separari, sed non per se; nam si in triduo passionis apostoli celebrassent, utique sanguis non venisset sub specie panis. Unde, cùm sub altera tantùm specie vi verborum et per se ponatur tantùm corpus, vel sanguis, non potest per se significari per alterutram speciem tota relectio cibi et potùs, in qua consistit ratio specifica hujus sacramenti. Et pro hac sententia videtur expressè esse *D. Th. 3. p. q. 75. art. 2. ad 2.* cùm ibi sic dicat: *Panis et vinum materialiter quidem sunt plura signa, formaliter verò, et perfectivè unum, in quantum ex eis perficitur una relectio.* Ergò formaliter, seu quoad rationem specificam sacramenti, non perficitur in ratione significandi relectio, nisi in utraque specie.

Quæritur 2. unde sumatur unitas numerica hujus sacramenti.

menti? Alii dicunt sumi ab unitate corporis Christi, ut *Lugo* et *Suar.*, alii à physica continuatione partium ipsarum specierum, et ita dicunt tot esse sacramenta, quot sunt species panis vel vini physicè discontinuæ, ut *Vasq. etc.*, alii à morali conjunctione specierum inter se, ut *Salm. de Euch. c. 2. p. 2. n. 42. et 46. cum Soto*, et *Bellarmin.* qui tenent, quòd plures species consecratæ, etsi discontinuæ, et licèt physicè sint plura sacramenta, moraliter tamen unum sunt sacramentum ex morali conjunctione, quam habent dum per modum unius proponuntur, aut sumuntur; et hæc sententiâ videtur probabilior cum *Busemb. ut suprâ.*

Quoad species igitur hujus sacramenti concludendum, quòd, licèt quælibet species sit materialiter diversa, moraliter tamen utraq; constituit unum sacramentum, cum utraq; significet unum convivium ex cibo et potu constans. Quoad numerum verò, dicendum quòd numerus sumitur ex multiplicitate sumptionum; unde si una species, vel una hostia distribuitur pluribus, vel eidem personæ in diversis vicibus moraliter distinctis, diversa sunt numero sacramenta. E converso, si alicui eodem tempore ministrarentur ambæ species, vel plures partes ejusdem speciei, unum esset sacramentum. Sic pariter, si diversæ species consecratæ eodem tempore, et in eodem altari proponuntur, unum erit sacramentum; si verò eadem species dividuntur, et in diversis proponuntur altaribus, diversa erunt sacramenta.

192. — Queritur 5. An Eucharistia sit necessaria ad primam justificationem obtinendam? Supponitur ut certum cum *S. Th. p. 3. q. 80. a. 11.* Eucharistiam esse ad salutem necessariam necessitate præcepti, non solum ecclesiastici, sed etiam divini, ex *Luc. c. 22. v. 19. Hoc facite in meam commemorationem.* E contrario certum est non esse necessariam necessitate medii, secundum realem susceptionem, ut asserunt *Salm. de Euch. c. 5. p. unic. n. 6.* communiter contra hæreticos. Dubium est, an sit necessaria saltem in voto, necessitate medii?

Prima sententiâ negat cum *S. Bon. Suar. Vasq. Caj. Laym. Bon. etc. apud Salm. ib. dub. 1. n. 8. et 14.* Ratio, quia hoc sacramentum non est institutum ad causandam primam gratiam. Et ideò concilium *Trid. sess. 15. de Euch. can. 5.*

damnat dicentes, præcipuum fructum hujus sacramenti esse remissionem peccatorum.

Secunda sententiâ tamen probabilior, quam tenent *Conc. p. 517. n. 6. Sot. Led. et plures cum Salm. ibid. n. 16.* docet votum saltem virtuale, et implicitum Eucharistiæ, respiciens hoc sacramentum ut finem vitæ spiritualis, esse necessarium necessitate medii ad salutem tam adultis, quam parvulis. Adulti autem tale votum habent, dum sacramenta baptismi, aut pœnitentiæ suscipiunt; voluntas enim ipsorum omnia præcepta implendi, hoc etiam præceptum Eucharistiæ saltem implicitè comprehendit: parvuli verò votum habent, non ex voluntate propria, sed ex voluntate implicita Ecclesiæ, quæ pueris applicatur, sicut applicatur voluntas suscipiendi baptismum. Et hæc docet *S. Thom. p. 3. q. 79. a. 1. ad 4.* ubi ait: *Hoc sacramentum ex seipso virtutem habet gratiam conferendi, nec aliquis habet gratiam ante susceptionem hujus sacramenti: vel nisi ex aliquo voto ipsius, sicut adulti vel voto Ecclesiæ, sicut parvuli.* Et probatur primò ex *Joan. c. 6. v. 54. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, etc. non habebitis vitam in vobis.* Probatur secundo ratione, quia sacramenta baptismi et pœnitentiæ, quæ certè sunt necessaria necessitate medii, saltem in voto, ad primam gratiam obtinendam, non conferunt gratiam, nisi respiciendo ad Eucharistiam, ut ad finem omnium sacramentorum.

195. — Queritur 4. An Eucharistia in re, vel in voto sit medium necessarium adultis ad vitam spiritualem conservandam? Negant *Suar. Vasq. Durand. etc. apud Salm. de Euch. c. 5. dub. 2. n. 54.* dicentes ad hoc alia adesse media. Sed communius et verius affirmant *Soto, Gonz. et Salm. ibid. n. 53. cum S. Thom. p. 3. q. 80. art. 11. ad 2.* Ratio, quia sicut vita corporis diu non potest conservari sine cibo materiali, ita vita animæ sine hoc cibo spirituali, saltem in voto, et quidem explicito in eo, qui necessitatem hujus sacramenti advertit.

Hinc tenent *Salm. ibid. n. 42. cum Cornejo, etc.* non excusari à peccato, etiam qui semel in anno Eucharistiam sumunt, si norint communionem tam raram eis non sufficere ad perseverandum, habitâ ratione propriæ infirmitatis. *Vide dicta n. 295.*

DUBIUM II.

Quæ materia Eucharistiæ?

- 194 Quæ sit materia proxima hujus sacramenti?
 195 De obligatione consecrandi sub utraque specie.
 196 Dub. 1. An hæc obligatio sit de jure divino, vel ecclesiastico?
 Dub. 2. an Papa possit in ea dispensare? Dub. 3. An sit
 valida consecratio unius speciei sine altera?
 197 An aliquando per accidens possit una species sine altera
 consecrari?

194. — « **N**OTA; sicut in aliis sacramentis est duplex materia, proxima, et remota, ita etiam hic, sed ordine inverso: nam in aliis, materia remota est res permanens; proxima verò ejus usus, qui transit: hic verò remota transit, et proxima manet, scilicet species panis, et vini. Quæritur ergò tantùm de remota, illa scilicet, quæ factâ consecratione transit in corpus et sanguinem Christi.
 « Resp. Materia Eucharistiæ est tantùm panis, et vinum.
 « Est de fide, et probatur ex institutione Christi, *Matth.* 26. et *Luc.* 22. Et quidem utraque materia, panis, et vinum, est ita necessaria ad hoc sacramentum conficiendum, ut per se nunquam licitè possit una consecrari absque alia: quod patet tum ex facto Christi. 22. *Luc.* tum ex *Trid.* sess. 22.

Unde resolves:

195. — « 1. Consecratio utriusque speciei est juris divini, quia ratio sacrificii, sine quo non fit, exigit utramque.
 « 2. Non licet alteram tantùm speciem consecrare, in necessitate etiam gravi, v. g. ut moribundo detur Viaticum. *Suar. etc. comm.*
 « 3. Nec Pontifex in eo potest dispensare ullo casu. *Ita comm. Suar.* 5. p. d. 55. sess. 4. etc. contra quosdam.
 196. — Certum est necessarium esse de necessitate præcepti consecrare Eucharistiam sub utraque specie, ut docet *D. Th.* 3. p. qu. 80. art. 12. ad 5. cum aliis communiter, ex *c. Comperimus, d. 2. de consecr. et ex Trid.* ut mox infra:

unde commune ac certum est apud omnes, nec etiam in articulo mortis licitum esse consecrare unam speciem ad Viaticum infirmo porrigendum. *Vide Salm. de Euch. c. 4. p. 3. n. 57. Bonac. d. 4. quæst. 2. p. 3. n. 9. et alios passim.*

Sed dubitatur 1. utrùm præceptum hoc sit divinum, an ecclesiasticum? *Navarr. Man. c. 25. n. 92. et Adrian. Major, etc. ap. Cont. Tourn. de sacrif. miss. cap. 5. art. 2. sect. 3. concl. 2.* dicunt esse ecclesiasticum. Sed omninò tenendum esse divinum cum *Suarez dist. 45. s. 5. Tourn. Præl. theol. de sacrif. miss. art. 5. Conc. t. 8. p. 425. n. 8. et Bon. d. 4. q. 2. p. 3. num. 3. cum Caj. Soto, Palud. Reg. Fill. et aliis communiter.* Idque patet ex *Trid.* sess. 22. c. 1. ubi dicitur Christum præcepisse sacerdotibus, ut corpus suum offerrent non aliter quàm sub utraque specie; en verba concilii: *Christus corpus, et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem (nota) rerum symbolis apostolis, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem; uti semper catholica Ecclesia intellexit, et docuit.*

Dubitatur 2. an Pontifex possit in hoc præcepto dispensare? Affirmant plures graves DD., ut *Az. Alan. Gabr. Henr. etc. ap. Salm. de Euch. c. 4. p. 3. n. 41.* idque probabile putant *Sanch. de matr. l. 8. d. 6. n. 6. et Cont. Tourn. loc. supra cit. cum Isamb.* Et probant ex *Trid.* sess. 21. c. 2. ubi dicitur: *Hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione salvâ illorum substantiâ, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi..... magis expedire judicaret.* Sed negant communiter *Suarez d. 45. s. 4. Lugo de Euchar. d. 19. s. 8. Conc. p. 425. n. 8. Salm. ibid. n. 44. cum Gon. Cajet. Soto, Sylvest. Val. etc.* Ratio, quia Ecclesia, etsi potest immutationes facere circa administrationem sacramentorum, ut loquitur concilium, non autem potest circa ea quæ in sacramentis administrandis sunt de præcepto divino, prout est consecratio utriusque speciei, ut mox suprâ probavimus. Sed hæc ratio non omninò convincit, nam ut dicemus *de matr. num. 1119.* juxta plurium sententiam, probabiliter potest Papa etiam in præceptis divinis dispensare cum justa causa in aliquo casu particulari, vel saltem tunc interpretari divinum

præceptum. Hoc tamen non obstante, primam sententiam dico non posse in praxim deduci, quia (ut mox dicemus in seq. dub. 5.) probabile est non fieri sacramentum nisi in sacrificio, ad quod (juxta nostram sententiam referendam num. 506. Qu. II.) necessariò requiritur consecratio utriusque speciei. Cæterum rectè dicit ipse *Cont. Tourn. ibid. in fin.* quòd Ecclesia in hoc præcepto nunquam dispensavit, nec unquam dispensabit; communiter enim cum *Suar. Lugo, Conc. Salm. ibid. n. 49. et 80. etc.* rejicitur id quod refert *Volaterranus l. 7. Georg. c. 4.*, nempe quòd *Innoc. VIII.* dispensaverit cum Norvegis, ut possent consecrare panem, et calicem sine vino, quod utique incredibile est.

Dubitatur 5. an consecratio unius speciei sine altera sit valida? Nemo dubitat quin valida sit, si id casu accidat, ut mox infrà dicitur in casibus à *Busemb.* allatis. Dubium igitur fit, an validè consecret sacerdos, qui positivam habet intentionem consecrandi unam tantum speciem sine altera? Negat *Lugo de Euchar. d. 19. n. 105.* quem sequitur *Renzi eod. tit. q. 45.* Quia (ut ait) ratio sacramenti nequit dividi è ratione sacrificii; sacerdos enim non accipit potestatem conficiendi hoc sacramentum, nisi sacrificando, ut patet ex forma ordinationis: *Accipere potestatem offerendi sacrificium tam pro vivis, quam pro defunctis.* Unde, cum ad essentiam sacrificii pertineat consecratio utriusque speciei, juxta probabiliorè sententiam quam infrà afferemus n. 506. Qu. II. sequitur, quòd qui sacrificium non offert, neque sacramentum conficit. Alii verò communiter affirmant, ut *Suar. d. 45. sect. 2. Spor. t. 3. p. 109. n. 150. Salm. de Euch. c. 4. p. 5. n. 56. Dian. p. 10. tr. 16. r. 7. Bon. d. 4. q. ult. p. 5. num. 2. cum Con. Fill. Henr. Reg. etc.* Ratio, quia in omni sacramento semper ac minister formam profert super materia cum debita intentione, perficit sacramentum. Hæc sententia est quidem valde probabilis, sed ratio *Lugonis* non videtur improbabilis; nec obstat auctoritas *D. Thom. in 5. part. q. 78. art. 6.* quam affert *Bon.* pro secunda sententia, nam ibi S. Doctor loquitur tantum contra eos, qui dicerent non consecrari corpus, nisi postquam consecratur sanguis, quòd certè falsum est.

197. — « Dixi 1. Per se; quia per accidens, et præter intentionem, aliquando unam posse solam consecrari

» absque peccato, docet *Tan. d. 5. qu. 2. dub. 5. n. 27.* dicitur què esse communem, v. g. in his casibus:

« 1. Si quis aquam, vel alium liquorem pro vino consecrasset, neque defectum intelligeret nisi diu post, aut postquam advertisset, neque posset haberi aliud vinum: vel quamvis haberet, non posset tamen illo uti sine gravi scandalo, vel vitæ periculo. » (*Vel sine magno simili incommodo, ut Salm. ibid. n. 58. cum Suar. Bon. Regin., etc.*)
 « 2. Si post consecratam hostiam subitum mortis periculum ab hostibus, vel incendium immineat, secluso tamen scandalo, et contemptu Fidei. *Reg. l. 29. c. 4.* » (*Cum Salm. de Euch. c. 4. p. 3. n. 59.*) 3. « Si sacerdos, hostiâ consecratâ, moriatur, vel animo deficiens loquelam perdat, vel in amentiam incidat, nec sit alius, qui possit sacrificium perficere. *Suar. Vasq. etc.* Si autem alius supplere, et sacerdos infirmus communionem suscipere potest, debet hostia dividi, eique pars dari. *Tamb. de Exp. Sacrif. l. 2. c. 8.* » (*Vide Suar. d. 45. sect. 4. Spor. t. 5. p. 109. nu. 153. Renzi qu. 46. cum Azor. Major. Henr. et Hurt. Bon. p. 5. n. 8. cum. Reg. etc. qui ferè omnia hæc confirmant. Sed bene advertunt Salm. ibid. n. 40. Mazzotta t. 1. p. 31. et Wigandt tr. 12. ex. 2. n. 16. nunquam posse sacerdotem consecrare in una sola specie ob metum mortis ab extrinseco, sive ab alio incusso ad hunc finem, ut sic consecret; quia tunc ageret directè contra præceptum divinum, quòd est intrinsecè malum.*)
 « Dixi 2. Licet, quia validè alterutram tantum consecrari, est certum: ut patet tum ex facto Christi, qui panem antè consecravit, tum ex praxi Ecclesiæ, quæ corpus ante sanguinem proponit adorandum.

DUBIUM III.

Qualis debeat esse panis in materia Eucharistiæ?

198 An solus panis triticeus sit materia apta?

199 Non est ad Eucharistiam materia apta, I. Panis ex oryza, leguminibus etc. II. Massa cruda, aut frixa, sive elixa.

III. Panis subactus oleo, lacte etc. Quid si aqua non naturali? IV. Hostiæ rubræ. V. Panis corruptus.

200 Quinam panis est materia dubia? An ex farre, siligine, amylo?

- 201 *Quinam panis est materia valida, sed illicita? I. Si modica alii rei permixtus. II. Si mucidus.*
- 202 *Validè etiam, sed illicitè consecrant Latini in fermentato, et Græci in azymo.*
- 203 *Dub. 1. Quid si Latinus transeat per Græciam, vel contrâ? Dub. 2. An Latinus possit celebrare in fermentato ad dandum Viaticum?*
- 204 *De hostia fracta, vel maculata.*
- 205 *De figura hostiæ consecrandæ. Et an liceat celebrare cum hostia minori?*

198. — **R**ESP. 1. solus panis triticeus, in conviviis communiter usitatus, qualis morali hominum iudicio tantum censetur ille, qui ex farina triticea, et aqua naturali mixtus, et igne tostus, sive assus, atque in sua specie incorruptus est: quia hic solus simpliciter dicitur panis, alius verò non nisi cum addito, v. g. hordeaceus.

Unde resolves:

« 1. Falsum est, quod docuit *Cajet.* Eucharistiam posse consecrari ex quovis pane cujusvis speciei, dummodò sit aptus ad vescendum. » (*Idem docent D. Thom. 3. p. qu. 74. art. 4. Catech. Rom. p. 2. n. 15. et Salm. de Euch. c. 4. p. 1. n. 3. cum Lugo, Pal. Fill. et alii commun. Et patet ex Decr. Eugenii, ubi dicitur de Eucharistia: Cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite. Confirmatur à Missali Rom. ubi: Si panis non sit triticeus, non conficitur sacramentum.*)

199. — « 2. Non est apta materia ad validam consecrationem: I. Panis ex oryza, avena, milio, pisis, fabis, amygdalis, aliisque leguminibus, et arborum fructibus, vel etiam ex hordeo confectus; quia hæc omnia, communi usu, et opinione censentur specie distingui à tritico. *Laym. Bonac. Card. de Lugo d. 4. s. 1. II. Massa triticea cruda, vel non cocta per modum panis, sed frixa, vel elixa, ut sunt placenta, libum, sive differant specie, sive non.* » (*Salm. ibid. n. 11. cum Fill. Pal. etc.*) « III. Panis subactus aquis artificialibus, vel oleo, butyro, lacte, et ovis, saccharo, aliove liquore, qui aquâ naturali non sit mixtus, quia non est panis usualis. Ita *Laym. lib. 3. tr. 4. c. 9. Cajet.* tamen et quidam recentiores contrarium docent, quare est saltem

» materia dubia; idque confirmat *Missale Rom. tit. de defect. et Cardin. de Lugo d. 4. sect. 1. num. 4.* unde qui hostias emunt, certi sint, quòd aquâ naturali, et non rosacea confectæ sint. IV. Similiter hostiæ rubræ, quibus sigillantur litteræ, non sunt materia valida, vel minimum dubia: quia per admixtionem cinnabaris notabiliter alterantur. » *Card. de Lugo dist. 4. sect. 1. quod Ant. Perez apud Dian. p. 7. t. 12. r. 5.* limitat, si multum cinnabaris sit mixtum, si autem sit valde parum, censet probabile, quòd sit materia valida; illicita tamen. V. Panis substantialiter corruptus. VI. Panis subactus aquâ marinâ. *Fag. apud Dian. p. 9. tr. 9. r. 38.* ubi ipse contrarium docet, eò quòd illa sit naturalis aqua. » (*Et cum Diana consentit Renzius c. 1. q. 18. Ac reverà nescio intelligere, cur panis confectus aquâ maris non sit verus panis, cum aqua maris sit vera et naturalis aqua, sicut diximus de baptismo n. 105. et docet S. Thom. 3. p. q. 66. art. 4. ad 1. Secus verò quidem dicendum, si farinæ misceatur aqua rosacea vel quicumque alius liquor, quia tunc non esset verus panis usualis, ut dicit idem S. Doct. q. 74. a. 7. ad 5.*)

200. — « 3. Panis ex farre, sive spelta, item ex siligine, est materia dubia: quia alii dicunt, solis accidentibus propter loci sterilitatem, alii specie distingui à tritico: ideoque non licet, saltem uti pro sacramento, quia hoc exponetur periculo. *Vide auct. cit.* » (*S. Th. 3. p. q. 74. art. 3. ad 2. et 3. S. Bonav. Caj. etc. apud Croix l. 6. p. 1. n. 421. dicunt siliginem esse verum triticum; sed negant Concina, Palaus, et plures; unde Carden. apud Croix, et Cont. Tourn. de Euch. cap. 3. art. 1. concl. 1. v. An autem. Renzi qu. 9. cum Bon. rectè docent esse mortale, in siligine consecrare, prout in materia dubia. Amylum autem certè non est materia apta. Croix n. 425. Salm. de Euch. c. 4. p. 1. n. 14. cum S. Th. Lugo, et communi contra aliquos.*)

201. — « 4. Valida, sed illicita est materia: I. Si aliquot grana, vel guttæ alterius speciei cum tritico, et aqua misceantur, ita ut triticum tamen, et aqua plurimum prædominetur, quia si major pars non sit triticum et aqua, non erit materia valida, de quo monendi sunt illi, qui hostias coquunt. *Bon. d. 4. q. 2. p. 1. n. 6. Laym. c. 2.* » (*S. Th. q. 74. a. 5. ad 3. idem docet, dicens: Si sit modica Tom. VI,*

admixtio alterius frumenti ad multò majorem quantitatem triticeï, poterit exinde confici panis, qui est materia hujus sacramenti. Si verò sit magna permixtio, putà ex æquo vel quasi, talis permixtio speciem mutat, unde panis exinde confectus non erit debita materia. *Et sic etiam dicunt Salm. ibid. n. 8. et 10. communiter.* « II. Panis mucidus, qui ad corruptionem disponitur. *Bon. l. c. n. 5.* » (*Hoc esset, si sepor aliqualiter mutaretur, et tunc esset mortale illo uti. Palaus, et Conin.*)

202. — « 5. Perinde est ad valorem sacramenti, sive panis » sit azymus, sive fermentatus, ut definivit *Trid.* quia uterque est usualis, et propriè dictus panis. Interim in suis » Ecclesiis Latini in azymo, et Græci in fermentato conficere » tenentur, sub præcepto gravi, et culpa mortali, à qua » non excusat necessitas, v. g. dandi viaticum. *Vide Bon. d. 4. qu. 2. p. 1. Fill. t. 4. c. 5. q. 8. Card. de Lugo l. c.*

Et est commune cum *Soto, Suar. Laym. et Salm. ibid. n. 19.* Sic enim tradidit conc. Florent. in Decreto ad Armenos §. 2. *Definimus, in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici. Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere. unumquemque juxta Ecclesiæ suæ sive Orientalis, sive Occidentalis consuetudinem.* Hinc *N. SS. P. Bened. XIV.* in constit. super ritibus Græcorum edita an. 1742. *Etsi pastoralis, sub pœnis perpetuæ suspensionis à divinis confirmat prohibitionem, ne Latinus, aut Græcus præter proprium ritum celebret.*

203. — Sed dubitatur 1. An Latinus in locis Græcorum possit celebrare in fermentato, et Græcus in locis Latinorum in azymo? Conveniunt DD. quòd si inter Græcos inveniat Ecclesia Latinorum, in qua latinus ritus servatur, sacerdos latinus debeat consecrare in azymo; et sic è converso. Ita *Suar. d. 44. sect. 5. v. Illud, Cont. Tourn. de Euch. cap. 5. art. 1. concl. 2. Holzm. n. 242. Spor. n. 149. et Salm. de Euch. c. 4. p. 1. n. 21. cum Sanch. Bon. etc. communiter.* Dubium est, quando Latinus transit per Græciam (vel contrà), Censet *Ledesm. apud Salm. ibid. n. 20.* tenèri ad celebrandum in fermentato. E contrario *Vasq. d. 174. c. 5. Conc. t. 8. p. 249. et Aversa qu. 2. sect. 4.* dicunt tenèri celebrare in azymo. Cate-rum communiter, et probabilissimè *Nat. Alex. art. 5. prop.*

4. reg. 12. *Antoine c. 1. q. 2. Suar. Cont. Tourn. ibid.* et omnes alii mox citati docent Latinum tunc posse celebrare sive in fermentato, sive in azymo. In fermentato, juxta doctrinam *D. Augustini Epist. 118. cap. 2.* ubi sic ait: *Nec disciplina ulla est melior gravi prudentique christiano, quam ut eo modo agat, quo agere videret Ecclesiam ad quamcumque fortè devenerit.* Potest etiam celebrare in azymo, tùm quia, etsi benè facit qui morem regionis, ubi reperitur, sequitur, ad id tamen non tenetur, ut advertunt *Suar. l. c. et Glossa in c. Quæ contra, dist. 8.* tùm quia *Leo Papa in Epist. ad Michaelem Cæular. c. 29.* monet (ut refert *Suar.*) ut unusquisque juxta suæ Ecclesiæ ritum celebrare sinatur, etiamsi in alieno solo versetur.

Dubitatur 2. An in casu necessitatis, ad præbendum Viaticum infirmo possit sacerdos latinus consecrare in fermentato? Affirmant *Major, et Tanner. apud Renzi c. 1. q. 4.*, quia, ut dicunt, præceptum divinum suscipiendi Viaticum prævalere debet præcepto humano celebrandi in azymo. Sed negat communis, et probabilior sententia, quam tenent *Navarr. c. 21. n. 5. Cont. Tourn. l. c. Antoine de Euch. q. 2. Suar. d. 66. sect. 5. cum Soto, Gabr. Led. Vict. item Diana part. 10. tract. 16. r. 59. Croix n. 451. Renz. l. c. cum Palao, Laym. Tamb. et Bonac.* Ratio, quia in hoc casu præferenda est reverentia erga tantum sacramentum utilitati proximi, cui tale sacramentum non est simpliciter necessarium.

204. — Secluso autem scandalo, est tantum veniale sine rationabili causa consecrare hostiam fractam, vel maculatam; nisi fractura, vel macula esset enormis: tunc enim esset mortale, ut *Croix n. 452. cum Quart. et Pasq.* Si tamen fractura deprehendatur post oblationem, licitè talis hostia consecrabitur, nisi scandalum populi timeatur. *Croix ib. cum Gob.*

205. — « Resp. 2. Ex præcepto Ecclesiæ panis consecrandus debet esse figurà orbiculari (in Ecclesia latina) et integra. Dixi latina, quia Græci quadratum adhibent, et in » particulis triangularem, ut habet *Arcud.* Licè etiam in » hostia minore, qualis datur laïcis, quando alia haberi non » potest, et scandalum abest, celebrare privatim; imò, si » causa urgeat, etiam publicè die festo, docent *March. in Candel. t. 4. c. 5. q. 5. Dian. p. 5. t. 15. r. 80. et p. 6. t. 7. r. 17. et Tamb. de exped. sacrif. l. 2. c. 8. et Avers.*

» q. 11. sess. 12, eò quòd nullum sit præceptum neque constet
 » de consuetudine obligante sub præcepto. » (*Id admittit*
Tamb. §. 8. num. 16. etiam causâ devotionis, et consentiunt
Ronc. c. 2. qu. 6. r. 5. cum Quarti, et Elb. p. 69. n. 15.
cum Gob. si absit scandalum, quod potest præcaveri mo-
nendo populum. Imò addit Ronc. quòd tenetur sacerdos in
hostia minori consecrare, si dandum esset Viaticum infirmo).
 « Quo casu, elevare adorandam majorem ab alio præconsec-
 » cratam, licere vult idem *Tamb. l. c. contra March. et Diana*
 » *U. cc.* Non licet autem parvam sumere, et majorem relinquere
 » (v. gr. ad exponendam in hierotheca), nisi ipse eadem missâ
 » etiam istam consecraverit, quia debet communicare de suo
 » sacrificio. *Tamb. l. c.* Quare malè facit parochus, qui reno-
 » vaturus Eucharistiam, hostiam ab alio consecratam ipse
 » sumit, et à se consecratam reponit in sacrario, vel hiero-
 » theca. *Tamb. l. c. Cardin. de Lugo d. 19. sect. 4.*

DUBIUM IV.

Quale vinum sit materia Eucharistiæ ?

- 206 Quale vinum non est materia apta? I. Sicera, etc. II. Agresta
 III. Acetum. IV. Uvæ. V. Mustum decoctum.
 207 Quale est materia valida, sed illicita? I. Mustum. II. Vinum
 permixtum. III. An acescens. IV. An congelatum?
 208 An sub præcepto gravi aqua miscenda est vino? Et qualis
 aqua, et in quam quantitate? Et an mixtio facienda
 in calice?
 209 An aqua mixta vino immediatè convertatur in sanguinem?
 210 Quenam quantitas aquæ immiscenda in calice? Quid si san-
 guis cadat super altare, linteum, aut corporale, etc.

206. — « **R**ESP. 1. Solùm vinum vitis, ut docet fides, et
 » definitum est in Florentino.

Unde resolves :

» 1. Non est materia apta ad validam consecrationem 1. Si-
 » cera, et quicumque liquor ex moris, malgranatis, etc.
 » sive dicatur vinum, sive non. II. Agresta, sive omphacium,

» id est, succus ex uvis immaturis expressus : quia non est
 » vinum, sed in via ad vinum, cujus naturam nondùm in-
 » duit; habetque se, sicut massa cruda respectu panis. *Laym.*
 » *l. 3. t. 4. c. 2. n. 5. et 6.* Succum tamen ex uvis passis
 » expressum consecrabilem esse putat *Franc. Amic. apud*
 » *Dian. p. 7. c. 12. r. 8.* eò quòd verum sit vinum. III. Ace-
 » tum, quod est vinum substantialiter corruptum. *Ibid.* Quòd
 » si post sumptionem (imò etiam ante eam, post consecra-
 » tionem calicis) dubium incidat, fueritne acetum, an vinum,
 » esse præsumendum quòd fuerit vinum, docet *Tamb. l. 2.*
 » *exped. sacrif. c. 8.* » (*Sed vide mox dicenda subsequenti*
adnotatione) « IV. Uvæ, seu vinum intra uvas contentum,
 » vel imbibitum in offa panis, tum quia non tam est potus,
 » quàm cibus; tum quia succus ille non dicitur propriè vi-
 » num, donec sit expressus; tum quia in eo statu non satis
 » ad sensum demonstratur per formam. *Card. de Lugo d. 4.*
 » *n. 11. et 12. Laym. etc. V. Sapa, seu defrutum, id est mu-*
 » *stum ad dimidiam seu tertiam partem decoctum, quia non*
 » *est ampliùs vinum, nec potus, sed cibus. Bon. l. c. VI.*
 » *Lora, id est aqua expressis acinis superfusa. Fill. t. 4. c. 3.*
 » *Card. de Lugo d. 4. sect. 1. n. 9.*

Adverte quæ de his habentur in Rubr. Missalis, tit. 4. n.
 1. Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putri-
 dum, vel de uvis acerbis, seu non maturis expressum, vel
 ei admixtum tantum aquæ, ut vinum sit corruptum, non
 conficitur sacramentum. Notandum autem quòd vinum de uvis
 acerbis tunc est ineptum, quando nullam habet speciem vini,
 ut docet *D. Th. 5. p. qu. 74. art. 5. ad 3.* ubi ait: *Agresta*
est in via generationis, et ideo nondùm habet speciem vini,
et propter hoc de ea non potest confici hoc sacramentum.

Quoad vinum autem acetum, si post consecrationem sacer-
 dos prudenter dubitat, an vinum fuerit verum acetum, dicunt
Tamb. de Sacr. Miss. l. 2. c. 8. §. 5. n. 6. et Spör. c. 3. n. 157.
 cui adhærent *Bus. ut suprâ, et Mazzot. t. 5. p. 118.* judicandum
 fuisse materiam aptam, tum quia possessio stat pro substantia
 vini; tum quia non est turbandum sacrificium sine certo
 fundamento. Verumtamen *La Croix l. 6. p. 2. n. 555. Pasq.*
qu. 501. et Aversa qu. 41. s. 16. rectè censent supplendam esse
 consecrationem illam, ne sacrificium relinquatur in periculo
 non integritatis, contra præceptum faciendi sacrificium inte-

grum. Debiles autem sunt rationes oppositæ; quomodo enim possessio potest esse pro vino, quando dubitatur, an tempore consecrationis vinum fuerit vel ne? Ex alia vice, ad discernendum an verè facta fuerit consecratio, hic non præsumptio, sed rei veritas attendenda est. Sacramentum autem non est quidem turbandum sine certo fundamento, sed dicimus jam certum existere fundamentum sive obligationem integrandi sacrificium, quando certum est dubium de consecratione peracta. Puto tamen non esse aliud vinum certum rursus consecrandum absolutè, quia tunc idem urgeret periculum faciendi secundum sacrificium mutilatum, si fortè prior materia fuerit verè apta: dico igitur hanc secundam consecrationem fieri debere sub conditione, nempe si prior materia non fuerit consecrata; periculum enim non relinquendi sacrificium mutilatum, justa crit causa repetendi consecrationem sub prædicta conditione.

207. — « 2. Valida quidem consecratio, sed illicita est. » I. In musto » (*In quo validè consecratur, ut ex communi Salm. de Euch. c. 4. p. 2. n. 30. cum Pal. Lugo etc.*) « quia » non est vinum simpliciter, sed impurum, habens admixtas » fœces, non consecrabiles: ideòque obstat præceptum Ecclesiæ, obligans secundum Suarez sub mortali, saltem » extra necessitatem, qualis esset defectus vini veteris, et » secundum quòsdam etiam devotio populi; quomodo multi » excusant contra Suarez, quòd in quibusdam locis primitiæ » uvarum in calice exprimantur. *Vide Bon. l. c. II.* In vino » liquoribus aliis, vel aromatibus ita modicè permixto, ut » naturam vini retineat. Si verò permixtio sit immodica, » erit materia dubia. III. In vino acescente: quia adhuc est » vinum, sicut panis mucidus est panis. » (*Vide infra Qu. I.*) » IV. Probabilius etiam in vino congelato. (etsi à quibusdam » propter negantium auctoritatem, dicatur esse materia dubia), » tùm quia adhuc retinet substantiam, et denominationem » vini, estque naturà suà potabile; tùm quia Christus sub » eo antè consecrato manet. *Card. de Lugo l. c.* Nec refert » 1. quòd aqua congelata non sit materia baptismi; quia hic » essentialiter consistit in ablutione, Eucharistia verò non » in sumptione. Nec refert 2. quòd non sit proximè potabile: » quia est per accidens, et facile tolli potest, estque par ratio » in pane indurato. Non est autem idem in liquore nondum

» ex uvis expresso, cùm non sit vinum simpliciter, et per » se, ac natura suà non sit potabilis, sed comestibilis, quod » vino congelato non convenit: alioqui enim jejuniū fran- » geret. *Bonac. l. c. num. 10.* » (*Vide infra Qu. II.*) » « Peccat tamen, qui in congelato consecrat, ideòque si » hyeme congelavit calix, calore manuum, aut halitùs, aliove » modo solvendus est. *Fill. t. 4. c. 3. Laym. l. 3. t. 4. c. 2.* » « 3. Valida et licita est consecratio in vino, sive albo, » sive rubro, etsi etiam specie physicà differant: cùm utrum- » que habeatur, et sit simpliciter vinum de vite. *Bon. p. 2. » n. 2. Card. de Lugo l. 4.*

Quæritur I. An peccet mortaliter sacerdos, qui consecrat in vino acescente? Dicunt *Salm. de Euchar. c. 4. p. 2. n. 26. Pal. eod. tit. p. 4. n. 9. cum Suar. Vict. Vasq. Laym. et Conc. ac Bon. p. 2. n. 3. cum aliis*, tunc peccare mortaliter, quando vinum est proximum aceti naturæ, ita ut dubitetur, an qualitates vini jam amiserit. Veneror auctoritatem tantorum DD. Sed nescio quomodo hæc opinio sustineri possit, cùm expressè adversetur Rubricæ *tit. 4. n. 2.* ubi sic dicitur: *Si vinum cœperit acescere vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distillationis, conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat.* Rubrica igitur damnat de mortali, non solum qui adhibet vinum aceto proximum, sed etiam vinum, quod cœperit acescere, vel fuerit aliquantulum acre. Verùm hoc principium acrimoniæ, sive acescentiæ intelligendum est juxta id quod docet *S. Thom. 3. p. q. 74. art. 3. ad 2.:* *Potest tamen confici (sacrificium) de vino acescenti, sicut et de pane, qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens.* Itaque in vino acescenti diversi considerandi sunt gradus, alii extra, alii intra viam corruptionis. Hinc rubrica juxta *S. Thom.* intelligi debet, quando vinum, vel panis jam ingressus est corruptionis limites, ita ut ad principium acrimoniæ jam accesserit, id est *se già sia arrivato ad esser colla punta*, uti loquitur *Card. Lamb. Notif. 77. n. 2.* Dicit præterea idem *Lamb. citans Meratum t. 1. p. 3. tit. 4. cum Quarti:* *Si urgeat necessitas celebrandi, seu non possit sacerdos absque nota omittere sacrum, ut inter regulares contingit, qui secundum regulam celebrare tenentur, et non sit in eorum potestate aliud*

vinum habere, non peccant subditi eo vino utentes... Et quamvis tali vino uti sit contra reverentiam sacrificii, ea tamen irreverentia non imputatur celebranti, sed superiori, vel ministro, qui est causa voluntaria illius. Præterea, quando vinum est ita proximum aceto, ut dubitetur, an amiserit naturam vini, consecratio erit quidem dubia, ac in Rubrica hujusmodi consecratio habetur pro certa, cum ibi dicatur, *conficitur sacramentum*: ergo juxta Rubricam, et juxta sententiam, quam tenent alii auctores; prout *Abelly de Euchar.* s. 3. n. 4. et *Mazz. t. 5. p. 118.* omnino dicendum, esse mortale consecrare in vino acescenti, non solum quando est materia dubia, sed etiam quando est certè valida, at reputatur illicita ob irreverentiam sacramenti. Neque huic dissentit *Suarez* citatus ab adversariis pro sua sententia, cum dicat posse in hoc graviter peccari, *ratione dubii, vel irreverentiæ.* Et expressè id docet *D. Thom. 3. p. q. 74. art. 3. ad 2.* ubi ait: *Potest confici (sacramentum) de vino acescenti, sicut et de pane, qui est in via ad corruptionem, licet peccat conficiens.* Probabiliter tamen dicunt *Gob. cas. 2. n. 154. Spor. t. 3. p. 112. n. 133. et Croix l. 6. p. 2. n. 346.* quòd, deficiente alio vino, liceat sine scrupulo, prout solent viri probi, adhibere vinum tantum parum acescens, sive non notabiliter acidum. Adduntque *Spor. et Mazzotta*, quòd, urgente gravi necessitate, licitum esse uti vino adhuc notabiliter acescente, modò sit certum vinum.

Quæritur II. An vinum congelatum sit materia valida?

Adsunt tres sententiæ.

Prima sententia negat, quam tenent *Lessius in 3. p. q. 74. art. 3. n. 24. Conc. t. 8. pag. 231. num. 7.* item *Armilla, Led. Alan. Henr. etc. apud Renzi de Euchar. c. 1. q. 53.* et probabilem putant *Salm. de Euch. c. 4. p. 2. n. 54.* Ratio (ut dicunt) quia sicut panis consecrandus debet esse aptus ad comestionem, sic vinum ad potum; vinum autem congelatum non est potui idoneum.

Secunda sententia tamen verior affirmat, et hanc tenent *Sporer nu. 139. Salm. ibid. n. 52. et 55. Anacl. p. 336. n. 25. Renzius l. c. cum Pontio, Pasq. Tamb. Leand. etc.* et probabiliorem putant *Holz. num. 847. Suar. d. 43. sect. 1. in fine.* Ratio, quia vinum congelatum, quamvis actu non sit potabile, est tamen potabile de sua natura, sicut est comestibilis

panis durus. Idque clarè probatur ex Rubr. Missal. *de defect. §. In hyeme*; ubi *S. Pius V.* sic statuit: *Si in hyeme sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis, etc. donec liquefiat.* Ergo supponit Pontifex per congelationem minimè corrumpi species vini, aliàs ibi desineret esse sanguis Christi; vinum enim, cum semel suam amisit naturam, non potest amplius eam reacquirere, nam ex vulgari philosophorum axiomate, *à privatione ad habitum non datur regressus.* Ergo vinum congelatum est verum vinum. Huic rationi nescio quomodo respondèri possit.

Tertia sententia verò, quam tenent *Pal. p. 4. n. 8. Cont. Tourn. de Euch. cap. 3. art. 2. sect. 1. concl. 1. in fin. et Salm. cit. n. 54.* docet esse materiam dubiam, cum prima sententia non careat omni probabilitate. Cæterum ego censeo nulli licitum esse consecrare in vino congelato; saltem propter reverentiam erga tantum sacramentum. Sed si vinum fuerit congelatum, et postea liquefiat, valde probabile videtur cum *Suar. Salm. ibid. n. 53. et Con.* licitè posse fieri in eo consecrationem. At casu quo sacerdos illicitè consecrasset vinum congelatum, tenendum est pro verè consecrato, nec ille licitè posset alterum vinum consecrare, quia puto primam sententiam nullà pollere solidà probabilitate.

208. — « Resp. 2. Vino consecrando debet, non ex necessitate Sacramenti, sed gravis præcepti sub mortali obligationis secundum *Card. de Lugo de Euch. d. 13. s. 2. n. 22.* » misceri aqua: » (*Cum Catech. Rom. n. 16.*) « Idque cæremonialiter, et in ordine ad sacrificium. Est certum, ut constat ex *Trid. sess. 22. c. 7. et 9.* » (*Et prius præscriptum fuit c. 2. de Consec. dist. 2. Utrum verò hoc præceptum sit etiam divinum? Affirmant Valent. Gran. etc. Negant Suar. et Vasquez: utraque sententia est probabilis.*) « An autem aqua » ista immediatè convertatur in sanguinem, necne, disputant » *Schol. Vide Con. vel Præp. hic Card. de Lugo dist. 4. sess. 3.* » (*Vide mox dicenda n. 209.*)

Unde resolves :

« 1. Si mixtio hæc omittatur, valida tamen est consecratio, » etsi illicita mortaliter. Ita omnes commun.

« 2. Miscenda est aqua naturalis, eaque modicissima, ut
 » habet Florentinum, una scilicet, vel altera gutta; ita tamen,
 » ut sit sensibilis, et saltem non excedat tertiam partem
 » vini: alioqui reddat materiam dubiam. *Bon. p. 4. n. 4. ex*
 » *S. Thoma, Con. etc.* » (Vide dicenda n. 210.) « Qui autem
 » misceret rosaceam, vel aliam artificialem, etsi in necessitate,
 » etsi validè consecraret, peccaret tamen mortaliter. *S. Th.*
 » *Mol. Diana, p. 6. t. 7. r. 18.* quia ageret contra præceptum,
 » et consuetudinem Ecclesiæ in re gravi. » (*Est commune cum*
 » *Salm. de Euch. c. 4. p. 4. n. 68.*) « Quam ob causam etiam mor-
 » tale censet *Fagund. p. 2. l. 2. c. 4. Pers. etc.* miscere calidam:
 » quod tamen aliis quibusdam nimis durum videtur apud
 » *Dian. l. c.* ubi addit ipse, si in frigidissima regione con-
 » suetudo id habeat, ne fortè vinum congelescat, posse sine
 » ullo peccato fieri.

« 3. Mixtio illa facienda est non in dolio, vel ampulla,
 » aliove vase, sed in ipso calice, neque domi, sed in ipso
 » sacro, ut fit communiter, vel ante offeritorium, vel certè
 » immediatè ante sacrum, ut fit apud quosdam: idque vel
 » ab ipso sacerdote, ut in missa privata; vel à subdiacono,
 » ut in solemnibus: neque enim sufficit, si caupo illud dilue-
 » rit. *Bonac. l. c.* » (*Cum S. Th. p. 5. q. 74. art. 8. ad 5.*
 » *quod, ut ait, si apponeretur aqua dolio, non sufficeret ad*
 » *significationem hujus sacramenti*).

« 4. Si mixtio hæc sit omissa, idque notetur ante con-
 » secrationem calicis, adhuc facienda est, secus si post.
 » *Bon. l. c. n. 5.*

« 5. Præceptum hoc mixtionis non extenditur ad illam,
 » quæ fit post communionem, ad abluionem oris, et digi-
 » torum. Vide de his *Missale Romanum*, item *Bon. d. 4. q. 2.*
 » *p. 4. Laym. l. 5. tr. 4. c. 2.* »

209. — Quæritur I. An aqua vino permixta convertatur in
 sanguinem Christi? Et an immediatè? Non est quidem de
 fide, aquam in sanguinem converti, tantùm enim *Innocen-*
tius III. dixit in *c. Cum Marthæ, de cel. miss.* probabili-
 rem esse sententiam affirmativam, quæ reverà hodie est
 communis inter theologos, ut omnes docent cum *S. Th. 5.*
p. qu. 74. art. 8. qui ait opinionem oppositam subsistere non
 posse. Circa modum autem conversionis, alii dixerunt, quòd,

sicut vinum convertitur in sanguinem, ita aqua convertitur
 in aquam, quæ fluxit è latere Christi; sed idem *S. Doetor*
loc. cit. ait: *Nec hoc rationabiliter dici potest, quia secun-*
dum hoc aqua seorsim consecraretur à vino, sicut vinum à
pane. Alii verò, ut idem *S. Th. l. c. Scotus d. 11. q. 7. n.*
2. Gonet Man. tom. 6. pag. 208. Frassen. tom. 11. p. 94. et
 communissimè Thomistæ, et Scotistæ cum Catech. Roman.
part. 2. cap. 4. n. 17. dicunt aquam immediatè converti in
 vinum, et mediatè in sanguinem Christi. Ratio, quia non
 convertitur in sanguinem nisi materia consecrabilis, quæ
 tantùm est vinum de vite, ex conciliis Florentino et Tri-
 dentino; unde aqua non potest converti in sanguinem, nisi
 priùs convertatur in vinum. Nec obstare dicunt Rubricam
 Missalis, quæ jubet, ut si ex oblivione non sit aqua immissa
 in calicem, apponatur statim ante consecrationem; quo
 casu videtur non posse tam citò fieri conversio aquæ in vi-
 num, et tunc adesset periculum idololatriæ, quia adoraretur
 materia non consecrata. Nam respondent, tunc adorari con-
 tentum substantiale, quod per calicem representatur, id
 est sanguinem Christi, non autem cætera, quæ per calicem
 non demonstrantur, prout non quidem adoratur musca quæ
 casu in calicem cecidisset. Alii tamen, ut *Tourn. Præl.*
theol. de Euch. quæst. 4. art. 7. concl. 2. et ejus Cont. hic
cap. 5. art. 2. sect. 2. concl. 5. Laym. c. 2. n. 9. Tol. l. 2.
c. 25. Lugo, d. 4. sect. 5. cum Præp. Renzi c. 1. q. 59.
cum Alano, Baron. ac Con. (et probabile putat *Anacl.*)
 sentiunt aquam immediatè transire in sanguinem Christi.
 Et probant 1. auctoritate patrum qui dicunt ex vino et aqua
 fieri sanguinem, sic enim ait *S. Hieronymus: Format sangui-*
nem suum ex vino et aqua mixtis. S. Ambrosius: Vinum cum
aqua in calice mixtum fit sanguis consecratione. Alios patres
 vidère potes apud *Lugo num. 48.* Probant 2. ratione, quia
 juxta recentiores physicos negatur transmutatio elementor-
 um, eò quòd ipsa arte chymicà benè possunt separari, ut
 diximus de baptismo n. 104. Et huic opinioni favere ajunt
Innocentium in dic. c. Cum Marthæ, eum Pontifex ibi dicat
 probabilius esse, *aquam cum vino in sanguinem transmutari.*
 Non dicit aquam conversam in vinum, sed *aquam cum vino;*
 ergò ante consecrationem aqua remanet aqua. Nec obstare
 dicunt, quòd non possit converti in sanguinem alia materia

quàm vinum, respondent enim, quòd vinum mixtum cum modica aqua fit verum vinum usuale, unde fit tota materia consecrabilis, sicut si in pane triticeo miscetur modicum alterius frumenti, tota materia consecratur, ut dictum est n. 201. et docet *D. Th. q. 74. art. 3. ad 3.* quia (ut ait) *modica permixtio non solvit speciem.* Idem ergò dicendum de aqua mixta vino. Utraque sententia est satis probabilis.

210. — Quæritur II. Quenam quantitas aquæ sit in calice immiscenda? *Habert t. 5. p. 578.* dicit non esse probandos sacerdotes, qui unam aquæ guttulam infundunt: sed hoc sine scrupulo fieri posse censent *Bonac. d. 4. qu. 2. p. 4. n. 4. Wigandt ex. 2. n. 9. Anacl. p. 338. n. 52.* et pro certo id habet *Suar. d. 43. sect. 3. ex decreto Eugenii IV.* qui dixit: *Vino ante consecrationem aqua modicissima admisceri solet;* et ex *D. Th. q. 74. a. 8. ad 1.* ubi ait, non requiri ut quantitas aquæ sit magna, sed sufficere ut sit sensibilis. E converso *Laym. c. 2. n. 9. Pal. p. 5. n. 6. et Diana p. 5. tr. 4. r. 47.* probabiliter dicunt sine scrupulo posse immitti aquam usque ad octavam partem; et *Lugo d. 4. n. 58. Viva qu. 4. a. 5. n. 5. ac Croix l. 6. p. 1. n. 459. cum Gob. (contra Bernal)* usque ad quintam partem, quia (ut ajunt) nullum vinum adeò debile creditur, ut tam modica aqua corrumpatur. Imò *Bus. ut supra, et Spor. t. 5. p. 115. num. 163.* putant sufficere, ut aqua non excedat tertiam partem; idque videtur probari ex *c. Perniciosus, 15. de cel. miss.* ubi *Honorius III.* tantum præscribit: *Plus (in calice) de vino, quàm de aqua ponendum.* Et in concilio Triburiensi (*apud Cont. Tourn. de Euch. cap. 5. art. 2. sect. 1. concl. 2. v. Quær. 1.*) sic dictum fuit: *Duæ sint partes vini, tertia aquæ.* Verumtamen in praxi *Escob. t. 5. probl. 29. Viva, et Pal. ll. cc.* hanc opinionem tertiæ partis non admittunt, nisi (ut dicunt *Escob. et Pal.*) vinum sit generosum.

Hic autem notandum id quod habetur in Rubrica (*tít. 40. n. 12.*): *Si per negligentiam aliquid de sanguine Christi ceciderit, si quidem super terram, sive super tabulam, lingua lambatur, et locus ipse radatur quantum satis est, et abrasio comburatur; cinis verò in sacrarium recondatur. Si verò super lapidem altaris ceciderit, sorbeat sacerdos stillam, et locus bene abluatur, et ablutio in sacrarium projiciatur. Si super linteum altaris, et ad aliud linteum stilla pervenerit;*

si usque ad tertium, linteamina ter abluantur; calice supposito; et aqua ablutionis in sacrario projiciatur. Et idem ibi dicitur, si sanguis cadat super corporale, vestes, aut tapetum.

DUBIUM V.

Quæ conditiones ad materiam consecrationis requirantur?

- 211 *Ad validam consecrationem requiritur I. ut materia sit moraliter, et sensibiliter præsens.*
 212 *Hinc validè consecrantur hostiæ in ciborio clausæ, vel in tenebris, etc.*
 213 *Invalidè iam consecratur I. materia post tergum, aut parietem. II. Materia remota. III. Materia valde modica.*
 214 *Requiritur II. ut materia sit certa et determinata.*
 215 *An consecretur hostia incio sacerdote? Et an guttæ vini separata.*
 216 *Valida est consecratio: I. Si sacerdos determinet quoquo modo. II. Si putet hostias esse minores numero. III. Si postquam intenderit eas consecrare, earum obliviscatur.*
 217 *Quid, si ciborium ex oblivione relinquatur extra corporale? IV. Si hostiæ deferantur post oblationem.*
 218 *Quæ requirantur ad licitam consecrationem?*
 219 *Quibus casibus peccet celebrans in consecrando?*

211. — « **R**ESP. 1. Ad validam consecrationem requiruntur duæ conditiones: Prima est, ut materia sacerdoti consecranti moraliter, et sensibiliter sit præsens. Ita communiter, et est certum. Ratio petitur tum ex institutione Christi, et verbis formæ *Hoc, et Hic,* quæ non verificantur, cum sint demonstrativa: tum ex perpetua Ecclesiæ praxi, nunquam consecrantis, vel etiam benedictis res absentes: tum etiam ratione sacrificii, quod requirit hostiam præsentem. *Vide Bonac. d. 4. q. 2. p. 6. Laym. c. 2.* »

Unde resolves:

212. — « 1. Validè consecratur vinum in calice còperto, vase, vel cantharo clauso: panis in canistro; hostiæ in ciborio, vel in cumulo sub aliis latentes, aut aliter tectæ, *Tom. VI.* »

» v. g. sub corporali, vel mappa, vel etiam in Missali, ut
 » ex *Suar. Henr. Con.* docet *Bonac. contra Laym. l. 5. t.*
 » 4. c. 2. (unde hoc postremum dubium vidèri potest: et
 » saltem peccaret graviter, qui sic tectas, aut latentes con-
 » secraret). Item validè consecrantur hostiæ præsentès à cæco,
 » vel alio sacerdote in tenebris. » (*Est communis cum*
Salm. de Euch. c. 4. p. 6. n. 120. Et sufficit, si ex relatione
alterius certificatur de præsentia materiæ, ut Sot. Henr.
Præp. etc. apud Salm. ibid. in fin.) * Ratio horum omnium
 » est, quia ad præsentiam, et sensibilitatem non requiritur,
 » ut materia videatur, vel tangatur, vel feriatur sono ver-
 » borum (unde communiter non probatur praxis eorum,
 » qui os proximè admovent, ut halitum in calicem, et pa-
 » nem inspirent), dummodò vidèri possit sive in se, sive
 » in alio, v. g. in suo toto, vel continente, vel vase ad illam
 » continendam destinato. *Vide Bon. d. 4. q. 2. p. 5.*

215. — « 2. Invalidè consecratur I. Materia post parietem,
 » aut post tergum posita, vel clausa in tabernaculo ut docent
 » *Fill. Bon. qu. 2. p. 6. et alii.* Ratio est, quia moraliter cen-
 » setur abesse; cum non possit demonstrari per *to Hoc*, et
 » *Hic*; neque paries habet se, ut continens, aut tangens. II.
 » Materia valde procul, v. g. centum passibus distans, etsi
 » vidèri possit. Ratio est eadem. Quanta autem propinquitas
 » sufficiat, dubium est, et ex morali prudentum iudicio pen-
 » det. *Henr. l. 8. c. 54. docet 20 aut 50 passuum* » (*Putant*
Lugo, et Gabr. apud Salm. de Euch. c. 4. p. 6. n. 115.
in fin. consecrationem in 20 passus esse certam), « quod *Bon.*
 » *l. c. et alii* putant non esse certum. *Vide Schol. III.* Materia
 » tam modica, ut sensu percipi non possit: tum quia non
 » potest demonstrari, tum quia sacramentum debet esse si-
 » gnum sensibile. Ita *Suar. Vasq. et alii contra Sotum, Henr.*
 » quod intellige, si non sit in toto, sed extra illud, quia
 » in toto etiam minimæ ejus particulæ consecrantur: ut con-
 » stat ex *Trid. sess. 13. c. 5. et 4. Bon. loc. cit.*

214. — « Secunda conditio, ut materia sit certa, et à con-
 » secrantis intentione, et in individuo determinata. Est com-
 » munis apud *Bon.* et alios: tum quia hoc requirunt
 » pronomina *Hoc* et *Hic*: tum quia actiones sunt circa
 » singularia, quæ debent esse certa, et determinata. *Vide*
 » *Bon. loc. cit. p. 5.*

Unde resolves:

« 1. Invalidè consecraret, qui vellet tantum consecrare
 » tertiam, vel mediam hostiæ partem, eam non determi-
 » nando, vel ex multis, v. gr. viginti præsentibus, tantum
 » quatuor, aut quinque, nullas designando; quia non est
 » ratio, cur una magis, quam altera consecraretur. Item,
 » qui ex multis hostiis intenderet illas consecrare, vel illas
 » partes hostiarum, aut vini, quas Deus elegerit, aut Ti-
 » tius designarit, aut partes illas, quæ fractis speciebus sunt
 » mansuræ in continuo, non quæ excident: quia non est
 » materia definita. *Bon. l. c. p. 5.*

215. — « 2. Non consecratur hostia incscio sacerdote posita,
 » sive in corporali (sejuncta tamen à cumulo), sive infra
 » illud. *Con. 3. p. q. 74. art. 2. d. 3. et alii.* Ratio est, quia
 » non est determinata in mente sacerdotis, cujus voluntas
 » non fertur in incognitum. Similiter non consecrantur guttæ,
 » quæ exterius calici adhærent, quia non intenduntur; imò
 » ut probabilius docent *Suar. Reg. c. 2. l. 29. et c. 2. Laym.*
 » *l. 5. t. 4. c. 2. n. 15. Con. q. 74. d. 2. contra Tann. et Bon.*
 » nec eæ guttæ, quæ interiùs adhærent; quia intentio Ec-
 » clesiæ esse videtur, ideòque et sacerdotis esse debet, con-
 » secrare id quod per modum unius continui est in calice.
 » Unde, ne opus sit de detergendis guttis sollicitum esse,
 » benè faciet sacerdos, si semel pro semper intendat eas non
 » consecrare, uti nec micas hostiæ adhærentes. *Vide Dian. p.*
 » *2. t. 3. m. r. 16. et p. 5. t. 4. r. 52. Escob. l. 7. e. 6.* ubi
 » docet, sacerdotem vi particulæ *Hic*, tantum intendere id
 » consecrare, quod per modum unius continui potabilis est
 » in calice, ideòque guttulas illas non consecrari. Quæ sen-
 » tentia probabilis est ex *Reg. Suar. et Laym. l. 5. t. 4.*
 » *c. 2. n. 15.*

Quæritur, an consecrentur guttæ vini, quæ sunt in calice
 separatae, quando sacerdos nihil circa eas intenderit? Alii
 negant, ut *Busemb.* Alii affirmant, ut *Croix l. 6. p. 1. n. 449.*
cum Præp. Dic. etc. Alii denique affirmant de guttis propin-
 quis, negant de remotis. Monet *Platel apud Croix ib.* quòd
 sacerdos advertens statim ante consecrationem tales guttas, si
 sint vicinæ, admisceat; si verò remotæ, vel abstergat (quod

ait *Tanner apud Busemb. in fin. huj. dub. haud expedire*, vel excludat ab intentione. Sed *Croix* dicit etiam posse licitè includere eas in intentione, ne in calice sit vinum, quod non sit consecratum (1). Sic etiam dicit *Croix contra Busemb.* quòd sacerdos debet consecrare micas adhærentes hostiis, non autem separatas in patena, vel corporali; nec obstat quòd eas sumendo læderetur jejunium, nam magis videtur tunc præcavenda irreverentia sacramenti, quàm læsio jejunii. Si verò micæ sint in ciborio, eas etiam (ait) intendat consecrare, cum absit periculum eas perdendi.

216. — « 5. Valida est consecratio, I. Si sacerdos intendat consecrare ex pluribus hostiis præsentibus tantum quinque, eas determinando, vel omnes, præter infimam, et supremam cumuli, vel omnes pares, v. g. secundam, quartam, sextam, si sint ordine collocatæ, et determinetur, unde numerandi initium sumendum sit; quod tamen grave peccatum erit. Quòd si autem hoc, vel alio casu, non consecratæ miscantur consecratis, totus cumulus ad altare est deferendus, ut sacerdos intendat consecrare non consecratas: vel potius totum cumulum consecret sub conditione, si non sint consecratæ. » (*Et hoc potius faciendum est, quia in consecrando hostias non consecratas, deficit vera determinatio materiæ, nec potest verificare verbum Hoc, unde debent consecrari omnes hostiæ sub conditione, ut validè consecrentur; ita Lugo d. 4. n. 156. Salm. de Euch. c. 4. p. 7. n. 129. cum Laym. Dic. Avers. Leand. Dian. etc. Et hoc etiam licitè fieri potest, ut dicunt Salm. ibid. in fin. cum Laym. Dic. Dian. Leand. contra Lugo, et Silv. de Afflicto.*) « *Card. de Lugo d. 4. de Euch. n. 56. II. Etsi putet, unam, vel duas, vel sex hostias consecrandas adesse, cum sint plures, sive à se, sive ab alio positæ, quia error speculativus, et privatus non obstat intentioni practicæ, et absolutæ consecrandi omnes præsentis, quam tanquam Ecclesiæ consuetudini conformem, quisque censetur habere implicitè; ut docent*

(1) Quoad guttas vini separatas, sed inter calicem existentes, ait *La Croix*, expedire, ut sacerdos intendat eas consecrare, sed melius mihi videtur, id intendere de guttis proximis fundo, non verò de remotis. » *Hom. Ap. Examen Ord. n. 99.*

» *Sylv. Henr. et Suar.* » (*Cum Nav. Bon. Vasq. Conin. Lugo, et comm. ap. Salm. ibid. n. 128.*) « Unde si sacerdos advertat post consecrationem esse duas simul junctas, utramque ut consecratam sumet, ut habet Missale. Si verò ante consecrationem, postquam obtulit, advertat, alteram seponet, et post missam ipse, vel alius sumat, tanquam panem benedictum. III. Si quis plures hostias ad altare tulerit, aut rationabili modo adverterit, ab alio adferri à se consecrandas, vel ante sacrificium monitus fuerit de consecrandis in altari jam positis. Ratio; omnes enim consecrantur, etsi, dum consecrat, earum non ita expressè meminerit, aut etiam ad oblationem non detegat, modò sint præsentis in corporali, vel saltem in altari. Ita *Regin. l. 27. n. 19. Laym. l. 5. t. 2. c. 2. Bon. t. 1. d. 4. q. 2. p. 2. et alii ab ipso citati*, estque sententia in praxi tuta. Quia intentio præcedens respectu illarum virtualiter perseverat.

217. — Quando ciborium consecrandum positum est à clerico in corporali, te advertente, et illud jam intenderis consecrare, certum est quòd consecras, licet postea ad illud non advertas. Est communis sententia, ut ait *Croix l. 6. p. 1. n. 456. cum Pal. Dic. et Salm. de Euch. c. 4. p. 7. n. 125. cum Gavant. et Suarez.* Sed dubium est, utrùm censendum sit consecratum ciborium ex oblivione extra corporale relictum?

Prima sententia cum Tanner. et Præp. apud Croix l. c. qui probabilem vocat, affirmat, quia, ut dicunt, voluntas consecrandi jam adfuit, et non fuit retractata.

Secunda sententia tamen communis, et probabilior negat cum *Suar. Dian. Pal. Less. etc. cum Croix ibidem.* Ratio, quia, cum intentio consecrandi extra corporale fuisset peccatum grave, illam tu habuisse non præsumeris. Sed quia prima sententia non videtur improbabilis, cum res sit dubia, rationabiliter ait *Bened. XIV. de Sac. Miss. l. 5. c. 18. n. 6.* ciborium denuò consecrandum: vel ut dicit *Cont. Tourn. de Euch. cap. 5. art. 2. sect. 1. post. concl. 2. v. Quæres 3. in fin.* in praxi illas particulas esse sumendas post sanguinem; et ego addo post ablationem, sed ante purificationem: quia reliquæ sanguinis sunt certè sacramentum, sed hostiæ illæ in ciborio sunt dubiè. Censent autem *Cont. Tourn. et Croix l. cc. posse*

cas etiam consecrari in alia missa sub conditione : sed hoc mihi non placet, quia non videtur adesse justa causa illas consecrandi sub conditione, cum jam sumi possint.

« IV. Si parvæ hostiæ pro communicando populo afferantur sacerdoti paulò post factam oblationem (addit *Aversa* » q. 11. s. 12. ante cæptam præfationem) licitè eas consecrari, » suppletâ oblatione mentaliter, ex *Gavant. et Possev. docent* » *Dian. p. 2. t. 14. r. 71. et Tann. de exped. sacrific. l. 2.* » c. 3. » (Et hoc etiamsi canon sit inceptus, ut *Tamb. c. 3. §. 2. cum Gob. Burg. Quarti, Diana, et Possev. apud Croix n. 460. Salm. quando plures sine communione remanent; et consentit Bened. XIV. de Sacr. Missæ l. 5. c. 18. n. 3. Si verò remaneret tantum unus, Cod. ib. suadet potius dari illi partem hostiæ magnæ: quod licitè jam fieri potest, ut ait Croix n. 308. cum S. Anton. Sylv. Bon. Sa, Tamb. etc. Et sufficit pro causa, si communicaturus diù expectare deberet communionem).*

218. — « Resp. 2. Ad licitam materiæ consecrationem » requiritur, 1. ut non sit major quantitas, quam tempore » opportuno possit absumi, quia periculum esset, ne species » computrescerent. *Bon. l. c. 2. Ut ab usu Ecclesiæ, præ-* » sertim in Missali præscripto, non recedat.

Unde resolves :

219. — « Peccat I. Qui vas, in quo hostiæ consecrandæ » sunt, non aperit. II. Qui consecrat materiam positam extra » corporale. III. Qui intendit consecrare guttas calici adhæ- » rentes exterius, quod esset grave; de interiùs adhæren- » tibus est dubium, quia non constat satis de mente Eccle- » siæ, ad quod evitandum *Gavant. part. 2. tit. 7. jubet eas* » abstergi, quod consuetudo probat. Qui tamen id omittit, » eum non peccare, docet *Tamb. l. 5. c. 1. §. 3.*, imò nec » expedire, si eas advertas, quando discoöperto calice jam- » jam es consecraturus, et elevationem populus expectat. » Post consecrationem autem nullo modo sunt abstergendæ. » IV. Qui ante consecrationem ita statueret: nolo consecrare » hostias appositas, nisi tempore consecrationis, vel saltem » oblationis fuero memor. Ita *Præpos. hic art. 3. d. 3. Laym.* » *l. cit.*, etsi *Tamb. de exped. sacrific. c. 1. §. 3.* eo casu nullum » peccatum agnoscat.

DUBIUM VI.

Quæ sit forma consecrationis Eucharistiæ?

- 220 Quæ verba sint de essentia in consecratione panis? Et quæ vini? Et an verba sint proferenda simul recitativè, et significativè?
- 221 Quæ forma sit illicita? Quæ invalida? Et quæ dubia?
- 222 Qu. I. An in consecratione panis prærequirantur verba: Qui pridie, etc.
- 223 Qu. II. An in consecratione calicis omnia verba sint de essentia? Qu. III. Quid significant to Hoc, et Hic? Qu. IV. An conficiatur Eucharistia si omittatur verbum Est?
- 224 Vide plura circa variationem verborum. Quid si sacerdos se distrahit in consecrando?

220. — « RESP. Est duplex, una panis et est hæc: *Hoc* » est enim corpus meum: ubi omnia sunt de essentia, præ- » ter to enim; cujus omissio esset veniale. » (*Cum Suarez, Conc. Bon. Pal. etc. apud Salm. de Euch. c. 3. p. 5. n. 18. Sed non improbabiler Ronc. et Conc. damnant de mortali. Reverà enim in re tam gravi non videtur levis materia quæcumque levis mutatio deliberatè apposita.*) « Altera vini, et » est hæc: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi, et æterni* » *testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis* » *effundetur in remissionem peccatorum. Ubi etsi verior, et* » *communior sit sententia S. Bonav. Suarez, Bell. et aliorum* » *contra S. Th. et Thomistas, quòd essentialia sint tantum* » *hæc: Hic est calix sanguinis mei, vel Hic est sanguis* » *meus, aut eis æquivalentia; graviter tamen peccaret, qui* » *aliqua ex reliquis omitteret, vel mutaret. Debent autem* » *formæ proferri in persona Christi formaliter, et significa-* » *tivè, sive assertivè » (Id est simul recitativè et significativè* » *scilicet referendo verba Christi, et applicando eorum signi-* » *ficationem ad materiam præsentem, nempe ad panem et vi-* » *num, quæ sacerdos in manibus habet, ut illa transmutet in* » *corpus, et sanguinem Christi; ita Conc. p. 261. num. 14. et* » *Salm. de Euch. c. 3. p. 3. n. 31. cum S. Th. 3. p. qu. 78.* » *art. 3.) « et non tantum recitativè, sive historicè, licèt ea,*

» quæ in canone præcedunt, dicantur tantùm recitativè, seu
 » historicè. Vide *Laym. c. 3. Bon. q. 3. p. 2. Card. de Lugo*
 » *d. 11. s. 5.*

Unde resolves :

221. — « 1. Valida, sed illicita est consecratio, 1. Si con-
 » secrans dicat : Hic cibus, hic potus, hic calix : vel hæc
 » res, vel contentum sub his speciebus, est corpus meum,
 » vel sanguis meus. *Bon. l. c. p. 1. II. Si dicat : Hic est calix*
 » novum testamentum in sanguine meo, ut habet *S. Lucas*
 » *c. 22. III. Hoc est corpus meum, quod de virgine sumpsit :*
 » hic est sanguis meus infiniti valoris. IV. Hoc est meum
 » corpus, hic est meus sanguis, vel, hoc est sanguis meus.
 » Ratio horum est, quia manet idem sensus, nec fit mutatio
 » substantialis. *Bon. loc. cit.*

» 2. Invalida erit consecratio, si dicas : I. Hic (adverbiali-
 » ter) est corpus meum. Si autem to *Hic* ponatur masculinè
 » pro neutro, valet, etsi non secundùm Grammaticam. *Escob.*
 » *Gran.* » (*Cum Suarez, Dian. Bonac. et multis apud Salm.*
 » *l. c. p. 1. n. 5.*) « II. Hoc corpus est meum : Hic sanguis
 » est meus. *Fag. p. 5. q. 78. c. 2. et 5. III. Ecce corpus meum.*
 » Ecce sanguis meus. IV. Hoc fit, vel hoc sit corpus meum :
 » vel, hic panis convertitur in corpus meum, vel hic poni-
 » tur corpus meum. V. Illud est corpus meum : ille est sanguis
 » meus. VI. Hoc est substantia mea ; vel, hoc est corpus
 » Christi. *Bon. l. c. p. 3.*

» 3. Dubia erit consecratio, I. Illud est corpus meum : Ille
 » est sanguis meus. II. Hæc est caro mea : quam tamen
 » *Laym. contra Concin.* putat valere. III. Secundùm quosdam
 » forma ex *S. Luca* primo casu allata. Vide *Bon. quæst. 5.*
 » *p. 1. et 2. Reg. l. 29. n. 53.*

222. — Queritur I. An in consecratione panis prærequirantur verba illa : *Qui pridie etc. ?* *Ambrosius Catharinus*
apud Habert propugnavit consecrationem perfici per præ-
 ces antecedentes, verba autem Christi ex præcepto histo-
 ricè tantùm recitari ; sed hæc opinio rejicitur à *S. Pio V. in*
Rubr. Missal. tit. 10. n. 5. ubi postquam dictum fuit (*tit.*
5. n. 1.) quòd forma corporis sunt verba illa : *Hoc est enim*
corpus meum. Dicitur : *Si autem, semiprolata forma cor-*

poris, obiit sacerdos, quia non est facta consecratio, non
est necesse, ut missa per alium suppleatur. Ergo con-
 secratio non fit, nisi per verba : *Hoc est, etc.* Idque con-
 firmatur in Decreto *Eugenii*, ubi habetur : *Forma hujus*
sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacra-
sacramentum ; sacerdos enim in persona Christi loquens hoc
conficit sacramentum. Ergo sacramentum non conficitur, nisi
 per verba Christi, quæ certè alia non sunt, nisi illa : *Hoc*
est, etc. Scotus autem in *4. d. 8. q. 2. n. 5.* non dubitat
 quin forma consecrationis panis et vini utique sint verba : *Hoc*
est corpus, etc. Hic est calix, etc. Sed si hæc sola verba proferan-
 tur, prætermisissis illis, *Qui pridie, etc.*, an fiat consecratio?
 dubitat, et dicit tunc sacramentum sub conditione adorandum.
 Ratio, quia verba, *Hoc est, etc.*, prolata sine præcedentibus,
 per se non significant corpus Christi, sed corpus sacerdotis ;
 unde oportet, ut per antecedentia verba significetur, quòd
 sacerdos loquatur in persona Christi. Et hanc sententiam se-
 quuntur *Angel. v. Eucharistia n. 24. Dupasquier t. 7. p. 585.*
 Atque *Cont. Tourn. de Euch. cap. 4. art. 2. concl. 5. ac*
Frasen tr. 11. p. 122. v. Verum, dicunt non carere omni
 probabilitate. Alii verò communiter, ut *Juen. t. 7. p. 259.*
Tourn. Præcl. theol. de Euch. qu. 4. art. 8. concl. 3. Gonet,
Man. t. 6. p. 285. Conc. t. 8. p. 259. n. 7. Frassen l. c. et
Lugo d. 11. n. 59. (qui ait opinionem *Scoti* ab omnibus re-
 jici) docent ad consecrationem sufficere sola verba : *Hoc est,*
etc. Probatur ex Decreto *Eugenii*, ubi dicitur consecratio
 non aliis fieri nisi verbis Christi : *Forma hujus sacra-*
menti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacra-
sacramentum ; sacerdos enim in persona Christi loquens conficit sacra-
sacramentum. Et ut sacerdos loquatur in persona Christi, sufficit
 quòd corpus Christi satis designetur ex institutione Christi, et
 ex intentione sacerdotis, prout si rex aliqua instituerit ver-
 ba, quæ quoties dicerentur à judice, repræsenterent personam
 regis, hoc ipso quòd à judice proferuntur regis personam
 repræsenterant. Hæc quidem sententia est communis, et pro-
 babilissima ; sed oppositam non audeo dicere improbabilem :
 tantò magis, quia Rubrica *Tit. 5. n. 5. tit. 10. n. 5.* et alibi
 quando forma est repetenda ratione materiæ dubiæ, vel ex eo,
 quòd forma calicis fuerit semiprolata, præcipit, ut sacer-
 dos incipiat ab illis verbis : *Qui pridie, etc.* et *Simili modo, etc.*

225. — Quæritur II. An in consecratione calicis sola verba, *Hic est calix sanguinis mei*, sint de essentia?

Prima sententia negat, et hanc tenent *Gonet, Man. t. 6. p. 284. et Salm. de Euch. c. 5. p. 2. n. 23. cum S. Antonino, Sylvest. Palud. Hurt. Richar. etc.*, qui dicunt, omnia verba sequentia, *Novi et æterni testamenti*, etc. ad essentiam pertinere: et pro hac sententia videtur esse *D. Thomas in 4. d. 8. art. 2. qu. 2.* ubi ait: *Et ideò illa quæ sequuntur sunt essentialia sanguini, prout in hoc sacramento consecratur, et ideò oportet quòd sint de substantia formæ.* Ergò, ait *Gonet*, si verba illa sunt essentialia sanguini, sunt etiam essentialia formæ. Ratio hujus sententiæ est, quia Eucharistia non solum est instituta ad significandum corpus et sanguinem Christi per modum cibi et potus, sed etiam ad explicandam virtutem passionis Christi, id est peccatorum remissionem quæ habetur per effusionem sanguinis ex novo testamento etc. Ergò verba sequentia, quæ hanc exprimunt virtutem, dicendum est ad essentiam formæ pertinere. Censent verò *Salm. de Euch. c. 5. p. 2. n. 31.* non omnia verba subsequenta esse essentialia, nam verbum *æterni* virtualiter includitur in illis, *novi testamenti*, et verba *mysterium fidei* includuntur in illis, *qui pro vobis effundetur*, etc.

Secunda sententia verò communior, quam tenent *Scotus in 4. d. 8. q. 2. Petroc. tom. 3. p. 526. q. 2. Holz. p. 37. n. 264. Juen. t. 7. p. 262. Cont. Tourn. loc. suprâ cit. art. 5. concl. 1. Lugo d. 11. n. 60. cum Bellarm. Spor. n. 185. cum S. Bon. et Suar.* ac plures ex Thomistis, ut *Sot. Contens. Wig. et Conc.*, dicit sola verba, *Hic est calix sanguinis mei*, esse ad formam essentialia. Probant 1. ex verbis *D. Pauli 1. ad Cor. c. 11. v. 25. Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Unde dicunt non esse credibile, quòd apostolus aliquid essenziale ad formam omiserit. Probant 2. ratione, quia hæc sola verba significant præsentiam sanguinis Christi sub speciebus vini; alia verò pertinent ad integritatem quidem formæ, non autem ad essentiam. Et hanc fuisse mentem *D. Thomæ* censent Thomistæ qui hujus sunt sententiæ, dum *S. Doctor*, quando loquitur de primis verbis (ut in *quæst. 78. art. 1.*) dicit ea spectare ad *essentiam*; cum verò loquitur de sequentibus, inquit spectare ad *substantiam* formæ. Hæc autem explicatio an verè sit juxta mentem *D. Thomæ*, non satis percipitur: unde bene

ait *Petr.* in hac quæstione sententiam Angelici esse valde dubiam. Cæterum utraque sententia est speculative probabilis, sed in praxi certum est, quòd sacerdos graviter peccaret, si non proferret omnia verba, quæ in consecratione calicis habentur; et si fortè tantum prima verba dixisset, deberet utique sub conditione integram repetere formam, ut rectè advertit *Nat. Alex. prop. unic. reg. 4.* Et hoc omnes dicere debent, juxta *Rub. tit. 10. de defect. n. 3.* ubi dicitur: *Si obierit (sacerdos) semiprolatâ formâ sanguinis, tunc alter prosequitur missam, et super eundem calicem repetat integram formam* (intellige sub conditione, si fortè jam dixerit verba, *Hic est calix sanguinis mei*) *ab eo loco*: Simili modo, etc. *Vel posset super alium calicem præparatum integram formam proferre, et hostiam primi sacerdotis, et sanguinem à se consecratum sumere, et deinde calicem relictum semiconsecratum.*

Quæritur III. Quid significant verba *Hoc*, et *Hic*? Resp. cum *Suar. d. 58. sect. 7. Cont. Tourn. eod. art. 5. Holzman n. 272.* qui citat *Scotum, Sporer, et alios communiter*, quòd verbum *Hoc* et *Hic* significant: *Hoc* ens, quod est cibus, *est corpus meum*: *Hic* calix, sive hic potus, *est sanguis meus*; omnis enim propositio in fine prolationis habet suam veritatem, et effectum.

Quæritur IV. An conficiatur Eucharistia dicendo tantum: *Hoc enim corpus meum*: Affirmat *Bernal*, dicens quòd verbum est in latino idiomate sanè subintelligatur. At meritò negant alii communiter *apud Croix l. 6. p. 1. n. 53.* Nam licèt to est ex aliis verbis adjunctis quandoque satis subintelligatur; tamen hic ex ipsa propositione absoluta minimè percipitur, dum hic non habentur alia adjuncta, quæ denotent subaudiri verbum est.

224. — Hic autem notandum, quoad mutationem verborum formæ id, quod habetur in *Rubrica Missalis (tit. 3. n. 1.)*: *Si quis autem aliquid diminueret vel immutaret de forma consecrationis et verba idem non significarent, non conficeret sacramentum. Si verò aliquid adderet, quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissimè peccaret.* Valida est autem consecratio, si quis dicat: *Hoc est corpus meum, vel copus meum*: ita *Croix l. 6. p. 1. n. 56. cum Suar. Lugo, et aliis communiter*; pariter ac diximus, *n. 110. de baptismo, ex c. Retulerunt, dist. 4. de consecr. ubi Zacha-*

rias Papa declaravit validum baptismum collatum in nomine Patria, Filia, etc. Ratio, quia voces ita constitutæ sunt, ut si aliquando cum vitio proferantur, idem significant; sufficit enim, ut verba formæ ingerant sensum à Christo intentum; secus si alium sensum ingererent, ut si quis diceret, *Hic* (adverbialiter prolato) *est corpus meum*, prout docet *S. Th. 3. part. q. 60. art. 8.* Valide etiam consecraret, qui adderet verba sensum non corrumpentia, v. g. *Hoc est corpus meum reale.* Secus si diceret: *Hoc est corpus meum figuratum.* Et ita pariter invalide consecraret, si quis diceret: *Hoc corpus est meum*, ut dicunt *Bon. Con. Antoine, et Elb.* quia per hæc verba non significaretur transsubstantiatio panis in corpus Christi.

Dicunt *Salm. de Euch. c. 5. p. 1. n. 16.* cum *Soto* repellendum esse scrupulum, si quis vice *corpus meum* proferat *corpus meum.* Pariter, si pro *est*, proferat *es*, ut *Dian. ibid.* Si pro *calix*, dicat *calis*, ut *Henr.* Si pro *sanguinis*, proferat *zanguinis*; (et *Sotus* hoc excusat ab omni culpa, etsi omittatur diligentia ad proferendum: sed melius *Dian. Leand. etc.* excusant tantum à mortali apud *Salm. ibid. n. 17.*) Ratio, quia in his remanet forma, et significatio substantialis, cum communiter tunc *calis* verè percipiatur pro *calix*, et sic de aliis.

Notandum, quòd si sacerdos se distrahit in conficiendis sacramentis, vix fieri potest, ut sacramentum reddatur invalidum ob distractionem ministri; nisi distractio esset totalis, ait *Croix l. 6. p. 1. n. 85.* Sed hanc limitationem minimè esse probabilem probavimus *n. 14. de Sacram. in gen.* In conficiendis aliis sacramentis, minister voluntariè se distrahens, non peccat plus quàm venialiter, ut dicit *Gobat cum communi apud Croix l. c.* Sed ibidem *Tamb.* advertit, quòd in consecranda Eucharistia sacerdos voluntariè et-advertenter se distrahens, ratione gravis irreverentiæ graviter peccaret.

Advertendum autem, quòd verba consecrationis minimè replicanda sint, nisi valde probabiliter dubitet sacerdos aliquid omisisse, ut loquitur *Rubrica tit. 5. n. 2.* his verbis: *Si celebrans non recordetur se dixisse ea quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certò ei constat se omisisse aliquid eorum quæ sunt de necessitate sacramenti, resumat formam. Si verò valde probabiliter dubitat se aliquid essentielle omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione.*

DUBIUM VII.

Quamdiu Christus maneat in Eucharistia?

225 *Infra quantum tempus species consummentur?*

226 *Quando recipiatur gratia?*

227 *Quid si sacerdos se disponderet inter sumptionem?*

228 *An recipiatur plus gratiæ si sumatur utraque species, vel major materia?*

229 *Quid si vinum consecratum in aliud vinum, aut liquorem injiciatur?*

225. — **R**ESP. 1. Manet sub speciebus etiam divisus, et sub quavis earum minima parte, donec tanta earum fiat mutatio, ut consueta substantia panis, et vini corrumpatur. Ita comm. cum *S. Thom.* Et est certum.

Certum est apud omnes, saltem inter spatium horæ species in omnibus immutari. Benè tamen advertit *Tamb. de Commun. c. 5. §. 4.* quòd juxta qualitatem stomachi magis vel minus calidi, aut validi, species consummentur. Cæterum, generaliter loquendo, refert *Lugo d. 10. n. 54.* plures medicos à se Romæ consultos putasse in laicis species intra minutum corrumpi, et in sacerdote intra medium quadrantem: quod utrumque approbat *Bernal apud Croix l. 6. p. 1. n. 476.* Imò *Arriaga ibid.* censet in laico consummari intra 5. Pater et Ave, et in sacerdote postquam vestibus est exutus. Saltem post quadrantem à communionem. etiam in sacerdote, tenet ut certum *Lugo*, et consentit *Croix* quoad sanos, species consummari.

226. — « 1. Gratia datur in prima manducatione etiam primæ partis, cum sit totum sacramentum. Manducatio autem dicitur trajectio ex ore versùs stomachum, etsi alii dicant gratiam tum primùm dari, cum pars aliqua est in stomachum recepta. *Dian. p. 5. t. 7. m. r. 96. ex Henric. Sylv. et Fagund.* Item *Card. de Lugo d. 12. s. 2.*

« 2. Species non sunt retinendæ in ore tamdiu, donec penitus pereant: quia tunc non manducaretur Christus, nec gratia sacramenti conferretur; uti nec si moriaris, dum hostia adhuc est in ore. *Diana l. c. contra Bec. c. 22. Vide Bon. d. 4. q. 5. p. 2. n. 2.*

Tom. VI.

227. — « 5. Si quis partem vini, vel hostiæ sumpsisset » indispositus, et deinde se disponeret, acciperet adhuc gratiam in sumptione alterius partis. » (Ita Salm. de Euchar. c. 6. p. 1. n. 10. cum Suar. Con. Sot. Caj. (contra Bon. et Henr.) quia adhuc tunc Eucharistia habet vim conferendi gratiam ex opere operato). « Quod etiam aliqui, ut Gabr. Cajet. et alii probabiliter dicunt futurum, si se disponat antequam species consummentur in stomacho. Dian. l. c. r. 96. ex Nug. Vide Card. de Lugo d. 12. s. 2. n. 46. 55. et 64. ubi illud posterius negat. Vide Bon. l. c.

228. — « 4. Non videtur reprehendus laicus, qui desiderat esse sacerdos, ut possit communicare sub utraque specie, quòd putet plus gratiæ dari sub utraque, quàm sub una: quia id fieri non est improbable, ut docent Vasq. Mar. Card. de Lugo dub. 12. s. 5. et alii. » (Cum Alensi, Hurt. Leand. Palao, et pluribus apud Salm. ibid. n. 15. contra Bellar. Suar., Soto etc. ambas probabiles Salm. ibid. in fin. meritò vocat:) » uti nec carpenda devotio illius, qui multum materiæ sumit ad consecrationem ea mente, ne tam citò in stomacho species consummentur, et sic diutius secum Christus maneat, et sæpius gratiam augeat: quod fieri non est improbable, si dispositio subjecti fiat melior; ut docent Suar. Comm. Item Fagund. et Becan. apud Dian. p. 5. t. 6. m. r. 97. » (Idem sentiunt Gonet t. 6. p. 506. Lugo d. 12. n. 48. Cont. Tourn. de Euchar. in fin. part. 1. cum Juenin. Holzm. p. 66. n. 296. cum Reg. Mastr. Bos. et aliis; item Suar. Leand. etc. (contra Sot. et Vasq.) apud Salm. ibid. n. 12. et 15. qui meritò id probabile putant. Ratio, quia, ut ait Florentinum, hoc sacramentum institutum est per modum cibi; unde sicut cibus toto tempore, quo in stomacho manet, corpus nutrit, ita pariter semper ac Eucharistia in corpore manet, nutrit animam augendo gratiam. Hic tamen notandum ex Dupasq. quòd Innoc. XI. post Decretum S. C. damnavit abusum tradendi communicantibus plures particulas simul, vel solito grandiores).

« 5. Species per vomitum rejectæ, si tales sint ut sub illis panis, vel vinum possit existere: verè sunt adorandæ; et si iterum sumantur, iterum conferre gratiam, docet Card. de Lugo l. c. n. 55.

229. — « 6. Etsi, si modicum vini consecrati miscetur

» perfectè cum alio liquore ita ut non maneat substantia » vini, desinat ibi esse Christus, non tamen desinit, si » miscetur cum vino alio saltem ejusdem speciei. C. de Lugo » d. 10. sect. 5. Unde, si gutta consecrata lapsa sit in dolium » vini ejusdem speciei, totum illud vinum adhibendum » tantum est pro sacrificio; licet quidam dicant, libi posse » à laicis.

Dicunt autem Suar. Dicast. Arriag. et Bernal apud Croix l. 6. p. 2. n. 474. quòd Christus desinit esse præsens, si guttula vini consecrati injiciatur in altero vino non consecrato potentiore, vel in altero liquore, in quo species vini corrumpantur. In dubio autem, dicit Croix ib. tenendum, species non esse corruptas.

« 7. Si species consecratæ liquorem specie diversum sibi » permixtum convertant in vinum similis substantiæ ei, in » quo facta est consecratio, species priores manent consecratæ: non item posteriores adjunctæ.

CAPUT II.

DE CAUSIS, ET SUBJECTO EUCHARISTIÆ.

DUBIUM I.

De causis.

« **A**go hic tantum de efficiente, id est, de ministro, in quo » quid requiratur ad confectionem validam, constat tum » ex dictis de Sacramentis in genere, tum ex superioris capituli » Dub. 5. Quid ad licitam requiratur, patebit ex sequenti » Dub. de subjecto suscipiente Eucharistiam: quia omnes » dispositiones, quæ ad dignè suscipiendam sunt necessariae, » requiruntur etiam ad licitam confectionem; cum conficiens » necessariò suscipere debeat. Hic ergò tantum quæritur, » 1. Cujus sit dispensare Eucharistiam? 2. Quid ex parte ministri requiratur ad licitam dispensationem?

ARTICULUS I.

Ad quem spectet dispensatio Eucharistiæ?

- 250 *An solis sacerdotibus liceat Eucharistiam ministrare?*
 251 *An soli sacerdotes validè consecrent?*
 252 *Quid notandum de sacerdotibus consecrantibus simul unam hostiam, sive cum Episcopo?*
 253 *An parochus tempore pestis teneatur ministrare Eucharistiam?*
 254 *An inferior sacerdote ministrans incurrat irregularitatem?*
 255 *An sufficiat consensus pastoris?*
 256 *Quid si ministrandum sit Viaticum?*
 257 *Qu. I. Quando liceat diaconis ministrare? Qu. II. An liceat clericis, aut etiam laicis in necessitate sumere Eucharistiam per seipsos? Qu. III. An liceat laico in necessitate alteri Viaticum ministrare?*
 258 *An sacerdos extra articulum mortis possit seipsum communicare?*
 259 *An alii præter pastores possint ministrare Eucharistiam in articulo mortis, et in Paschate?*
 240 *Quibus casibus liceat regularibus tunc ministrare?*

250. — « **R**ESP. Eucharistiam dispensare ex officio potest » solus sacerdos habens jurisdictionem ordinariam, delegatam, aut saltem rationabiliter præsumptam, vel privilegium. Ratio est, quia pastorum proprium est pascere, quod præcipuè fit per sacramenta. Vide *Bonac. d. 4. q. 5. p. 1. Card. de Lugo q. 48. s. 3.*

251. — Fide certum est, solos sacerdotes validè consecrare Eucharistiam, ut constat ex traditione, et ex definitionibus conciliorum *Nicæni 1. c. 14. Lateranensis sub Innoc. III. c. 4. Florentini in Dec. pro Inst. Arm. et Tridentini sess. 25. can. 1.* Inferque id Tridentinum ex *Matt. c. 26. v. 26. et Luc. c. 22. v. 19. Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis tantum apostolis, et sacerdotibus successoribus potestas consecrandi à Christo collata apparet: meritò enim ad tantum ministerium ministros singulari modo consecratos esse oportebat.

252. — Notandum hic, quòd si plures sacerdotes eodem tempore consecrent unam hostiam, omnes quidem sacramentum conficiunt, ut est commune cum *Salm de Euch. c. 9. p.*

4. n. 3. ex *Suarez. Fill.* E converso, si unus eorum ante alios formam compleat independenter ab aliorum intentione, jam conficit sacramentum, ita ut alii frustra formam postea absolvent. Hinc *Salm. ib. n. 5. cum Suar. Fill. Pal. Con. Dian. et aliis pluribus* inferunt, quòd sacerdotes novi, qui cum Episcopo consecrant, primò curare debent, quoad fieri potest, simul cum Episcopo formam absolvere: præterea habere debent intentionem consecrandi tunc tantum quando in eodem tempore cum Episcopo formam absolvent: imò, ultra hoc, in consecratione calicis intendant etiam non consecrare, si panem fortè ipsi non consecraverint. Cum autem certum sit solos sacerdotes posse consecrare; hinc etiam certum est tantum ad ipsos pertinere ministrationem Eucharistiæ.

253. — Quæritur hic, an parochus tempore pestis teneatur Eucharistiam ministrare cum periculo vitæ?

Prima sententia valde gravis affirmat, et hanc tenent *Merbes. t. 2. p. 354. qu. 19. Conc. t. 8. p. 508. n. 15. Holzm. p. 64. n. 286. Pal. de Euch. p. 20. n. 2. et Cont. Tourn. de Euch. cap. 5. art. 2. post. concl. 4. v. Quær. 5. cum Suar. Vasq. Tann. Barb.* Et eandem probabiliorem putat *Sylv. suppl. q. 52. a. 5.* ubi ait: *Securior et verosimilior aliorum sententia est parochum sub mortali tenèri administrare Eucharistiam parochianis peste vel alio morbo contagioso infectis; etiam cum propriæ suæ vitæ periculo, nisi per aliquem alium id fiat, et nisi occurrant quædam circumstantiæ, propter quas meritò possit excusari.* Ratio, quia licèt hoc sacramentum non sit necessarium ad peccata delenda, est tamen moraliter necessarium ad perseverandum in justitia. Excipit verò *Sylvius (post Suar. et Barb.) 1. Si aliqui infirmi aliis essent absque confessione morituri. 2. Si sit grave parochi periculum: et ejus mors futura sit magna populi jactura, sicut si ipse solus sit, nec facillè habendus sit alius.*

Secunda sententia verò negat, quam tenent *Salm. de Euch. c. 9. p. 3. n. 50. cum Dic. Gabr. et Ant. à Sp. S. Diana p. 5. tr. 4. r. 174. cum Major, Villal. et Molf. item Gobat et Lohn. apud Croix num. 484.* Ratio, quia hoc sacramentum non est tantæ necessitatis, ut parochus cau-à illud ministrandi teneatur prodere vitam. Et hæc sententia est etiam valde probabilis ex declaratione *Gregoriæ XIII. apud Fagnan. t. 5. in c. Clericos, de cler. non resident. ex n. 58.* ubi refert quòd,

instante S. Carolo Borromæo, an parochi tenerentur ministrare sacramenta tempore pestis? præfatus Pontifex die 12 Oct. an. 1576. approbans decretum S. C. concilii, sic declaravit: *Parochum suis parochianis peste laborantibus tenèri ministrare dumtaxat duo sacramenta ad salutem necessaria, nempe baptismum, et pœnitentiam; posse autem ministrare vel per se, vel per alium idoneum, ut parochus possit audire confessiones sanorum, quia aliàs eum reformidarent, si viderent ipsum accedere ad pestilentes.* Deinde Fagnanus refert, quòd idem Gregorius die 26 Octob. 1576. Archiepiscopo Florentino, qui decreverat parochos suæ diœcesis tenèri tempore pestis ministrare sacramenta, præcipit ei rescribi ab eadem S. C. concilii: *Parochos tenèri omninò ministrare (tantùm) baptismum, et pœnitentiam.* Et sic de facto S. C. rescripsit, addito insuper verbo *per alios*; dixit enim S. C. hanc fuisse mentem Pontificis, prohibendi scilicet, ne parochi per seipsos, etiam volentes, ministrent baptismum, et pœnitentiam, ad commodum parochianorum, qui sani essent. Ita Fagnanus.

Deinde hic sedulò notandum, quòd, cùm circa idem tempus quæsitum fuerit, an parochi tempore pestis tenerentur residere? Refert idem Fag. l. c. quòd S. C. die 6. Dec. 1576. decrevit tenèri, *sed hoc non per legem generalem statuendum, sed per litteras S. C. significandum eidem præfato Archiepiscopo, ut non omnes parochos cogeret, sed aliquos partiendo ópus, vel deputaret alios sacerdotes; cùm Tab. Arm. et Barb. sentirent parochos excusari tempore pestis à residentia, et quia sani sugerent parochos, et quia parochi omnes morerentur.* Sed factâ relatione, Pontifex decrevit: *Scribendas simpliciter litteras ad Cardinalem S. Prædixis, quibus significetur Sanctitatem suam decrevisse, parochos tempore pestis omninò tenèri residere in suis Ecclesiis, posse tamen per alium idoneum ministrare sacramenta baptismi, et pœnitentiæ: et si non resederint, contra eos procedendum, servatâ formâ Tridentini sess. 55. c. 1.*

Tandem dubitatum fuit à nonnullis Ecclesiarum prælatis, quodnam sit proprium officium Episcoporum tempore pestis, an scilicet teneantur residere, et etiam suis curatis ministrare sacramenta? Refert Fagnan. n. 46. Pontificem die 18. Decemb. 1576. sic declarasse: *Decretum factum in parochis multò ma-*

gis procedere in Episcopis, qui magis obligati sunt; tamen posse Episcopos in locis tutioribus manere, et inde providere. Et hic observare oportet, quòd hoc decretum fuit proprium Pontificis, quo generaliter explicatum fuit officium Episcoporum: reverà enim, si Episcopus in hujusmodi necessitatibus oves suas deserat, quis alius eis satis providere curabit?

254. — « 1. Peccat mortaliter, qui sine omni jurisdictione » Eucharistiam dispensat. *Con. l. c. p. 2.* quia violat alterius » jurisdictionem in re gravi. Inferior autem sacerdote incurrit » insuper irregularitatem, ut docet *Coninc.* (Idem docent *Laym. de Euch. cap. 7. n. 5. cum Coninch. Sporer eod. tit. c. 5. num. 509. Mazz. t. 5. p. 151. cum Bonac. et Salm. de bapt. c. 4. p. 2. n. 20. qui dicunt idem de clerico ministrante baptismum solemniter. Ratio quia, cùm horum sacramentorum solus sacerdos sit minister, et diaconus non nisi ex commissione; ideò etiam diaconus sine commissione ministrans hæc sacramenta, cùm ipsorum non sit minister ordinarius, irregularitatem incurrit. ex c. 1. de cler. non ord. Vide dicta de bapt. n. 116. v. Dub. 2.) « Hinc religiosi etiam ipso facto incurrun excommunicationem Papæ reservatam, si scilicet sine licentia » parochi, et quidem speciali præsumant clericis, vel laicis dare » extremam unctionem, vel Eucharistiam, vel matrimonium » solemnizare: nisi habeant privilegium, vel parochus absit, » aut injustè nolit in articulo mortis. A dicta tamen excom- » municatione excusare ignorantiam, etiam crassam, ex » *Præp. etc.* notat *Dian. p. 5. t. 2. r. 51.* idque propter verbum præsumant.*

255. — « 2. Licet ministrat Eucharistiam qui præsumit » rationabiliter, pastorem factum suum approbaturum esse. » *Reg. l. 2. n. 91. Bonac. l. c. n. 8.* (Palaspunct. 18. num. 4. dicit ex consuetudine communiter præsumi consensum parochi, quoties communio non fit ex obligatione. Hinc rectè ait Roncaglia cap. 4. quæst. 2. resp. 1. cum communi, quòd cui conceditur facultas celebrandi, intelligitur etiam concessa facultas Eucharistiam ministrandi. Et sic reverà ubique usus habet. Dicit tamen Pal. ibid. hanc præsumptionem tantum locum habere, cùm communio fit ex devotione, non verò si ex obligatione: sed *Laym. c. 7. nu. 4.* illam admittit etiam in præcepto paschali, si præsumptio sit rationalis, putà si persona frequenter communicet. Cæterim *Croix num. 654. et*

Lugo d. 18. n. 51. cum Suar. Fag. Diana, et aliis rectè dicunt. hanc præsumptionem in communione ex obligatione non esse de facili habendam: imò meritò addit Croix non semper sufficere, quòd certè parochus daturus esset licentiam si peteretur; si enim recognosceretur ut pastor, et ipse saltem confusè cognosceret ovem suam).

256. — « 5. Si infirmus sacro Viatico muniendus sit, et proprius pastor absit, vel præsens non possit deferre Eucharistiam, quivis alius sacerdos, vel regularis, vel sæcularis, et hoc deficiente, etiam diaconus, ei conferre potest, quia tunc præsumitur voluntas Episcopi, aut Papæ. Ita Laym. l. 5. tract. 4. c. 7. n. 5. Bon. l. c. n. 10. Suar. » (etsi parochus renuat, sed injustè. Salm. de Euch. c. 9. p. 2. n. 15. cum Tol. Lugo, Sa, Dic., est commune apud Ronc. c. 4. q. 2. r. 2. cum S. Th.).

257. — « Dixi in resp. ex officio, quia extraordinariè, in statu necessitatis, id potest diaconus ex commissione parochi, et secundùm Quint. si absit, sine ea, v. gr. in magno festo, quo sacerdos confessionibus, concionibus, etc. est occupatus. Dian. p. 9. t. 6. r. 59. ex Præp. In extrema verò necessitate, v. gr. articulo mortis, si non esset alius, etiam diacono, imò laïco licère, secluso scandalo, et alios et seipsum communicare probabile est, ut contra Henr. Vasq. et Sa, docent Suar. Conc. Laym. Præpos. hic d. 2. n. 11. confirmatque Dian. p. 8. t. 1. r. 48. ex Avers. et Franc. Lugo. Sed Amic. limitat ad casum, quo moriturus peccati mortalis conscius aliud sacramentum suscipere non posset. Dian. p. 9. t. 6. r. 59. in praxi tamen id non facilè faciendum, ob contrariam consuetudinem. Card. de Lugo d. 18. s. 2. Bonac. d. 4. q. 5. p. 1.

Quæritur hic I. Quando diaconus possit Eucharistiam ministrare. Nulli dubium quòd diaconus potest ministrare Eucharistiam in necessitate, ut habetur in Carthagin. IV. can. 59. ubi dicitur: *Diaconus præsentè presbytero Eucharistiam charitatis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* Sed dubitatur an hæc necessitas debeat esse extrema? Affirmat Cont. Tourn. de Euch. cap. 5. art. 2. concl. 2. v. Obj. 2. cum Habert, et Wittas. dicens, requiri necessitatem præbendi Viaticum, dum abest sacerdos; quia aliàs non vitaretur scandalum, cum jam obsoleverit usus, qui primitus in Ecclesia

invaluerit (ut testantur Alensis, Sotus, Sylvest. etc.), nempe quòd diaconi universè Eucharistiam populo ministrabant. Sed negant communiter Suar. d. 72. s. 2. concl. 5. Pal. p. 17. n. 6. Lugo d. 18. n. 27. Laym. c. 7. n. 2. et Salm. de Euch. c. 9. p. 1. n. 8. cum Rod. Dic. Henr. qui dicunt sufficere necessitatem gravem, nempe cum nullus adsit sacerdos, qui commodè possit ministrare. Et huic non dissentit P. Conc., admittens sufficere ad id justam causam. Imò Sylv. v. Diaconus, ait satis esse præceptum Episcopi vel parochi, etiamsi nulla causa subsit. Et Quintanad. apud Renzi c. 5. q. 2. tenet quòd, absente sacerdote, etiam sine commissione, et nullà urgente necessitate, possit diaconus ministrare. Sed meritò has duas opiniones rejicit P. Suarez. Omnes verò conveniunt, quòd in necessitate extrema, absente sacerdote, diaconus poterit et tenebitur Viaticum ministrare, adhuc sine commissione: ita Tolet. l. 5. c. 28. n. 2. Holzm. n. 280. et Laym. loc. c. cum Soto, Vict. Henr. Miranda, etc. Diaconus autem, dum Eucharistiam ministrat, debet esse indutus superpelliceo, et stolà transversà, ut benè advertunt Holz. l. c. Croix l. 6. p. 1. n. 489. et alii.

Quæritur II. An liceat clericis, aut etiam laïcis in necessitate sumere Eucharistiam per seipsos?

Prima sententia negat, et hanc tenent Lugo d. 18. n. 24. qui vocat communem, Gonet d. 10. n. 18. Cont. Tourn. loc. cit. concl. 4. Bonac. p. 1. num. 5. cum Henr. Sa, Vict. Sylv. Palud. Possev. etc. ac Salm. de Euch. c. 9. p. 1. n. 11. cum Vasq. Soto, Fag. et Dic. Ratio, quia laïcus non potest Eucharistiam sumere, nisi de manu sacerdotis, vel saltem diaconi; è converso hoc sacramentum non est necessarium ad salutem.

Secunda sententia verò affirmat, quam tenent Suar. d. 72. sect. 1. in fine, Caj. in Matth. 26. Fill. tr. 4. n. 285. Val. q. 10. n. 4. Escob. l. 6. n. 455. Diana p. 5. tr. 4. res. 47. et probabilem putant Lugo d. 18. n. 25. et Conc. q. 82. n. 27. Ratio, quia in tali casu necessitatis, putà in articulo mortis, urget præceptum divinum communicandi; è converso nullo præcepto divino, vel ecclesiastico id apparet prohibitum; imò notum est, quòd olim fideles laïci Eucharistiam in suas domos deferebant, et seipsos propriis manibus communicabant: et hoc quidem propter necessitatem permittebatur;

cur autem eadem necessitate occurrente aliquando permitti non poterit?

Deinde hic quæritur III. an liceat laïco in necessitate ministrare Viaticum moribundo. Negat *D. Th. in 4. d. 15. qu. 1. art. 3.* ubi postquam dixit licere laïco tangere corpus Christi in necessitate, putà ut extrahat Eucharistiam è loco immundo, subdit: *Sed non est simile de dispensatione sacramenti, quia receptio hujus sacramenti non est necessitatis.* Et idem sentiunt *Lugo d. 18. n. 22. Petrocor. t. 3. p. 448. q. 4. et Cont. Tourn. ibid. v. Quær. 1. in fin. cum Contens. Conc. Henr. à S. Ign. et Henno.* Ratio, tum quia hoc esset contra universalem Ecclesiæ consuetudinem; tum quia hoc sacramentum non est tantæ necessitatis, ut mox suprà dictum est; tum demùm quia in *c. Pervenit 29. de consecr. dist. 2.* expressè prohibetur sacerdotibus committere laïco ministrationem hujus sacramenti. Excipit *Cont. Tourn. l. c.* solum casum, quo infirmus non posset aliud sumere sacramentum, et dubitaret de perfecta contritione; quia tunc Eucharistia fit sacramentum necessitatis. Affirmant verò *Suar. dicta d. 72. s. 5. in fine, ac Cajet. Fill. Val. Escob. cum Dian. l. c.* ac valde adhæret *Laym. c. 7. n. 4.* Ratio, quia nulla fit sacramento injuria, si in tali necessitate morienti ministraretur Eucharistia à laïco. Nec obstat textus in *cit. c. Pervenit*; quia ille loquitur de sacerdote, qui ministrationem committebat laïco etiam extra casum necessitatis. Neque obstat contraria consuetudo; cum enim hic casus rarissimè accidat, consuetudo contraria minimè probari potest. Hanc sententiam tenet etiam *Habert t. 3. p. 511. q. 2.* ubi dicit quòd, occurrente necessitate, nempe tempore pestis, benè poterit judicio Episcopi etiam laïcis permitti Eucharistiam ministrare.

258. — « Probabile est, etiam extra mortis articulum, ex gravi causa licere sacerdoti, præciso scandalo, sacram hostiam sumere ex sacrario, vel à diacono allatam sibi ipsi dare, v. gr. si in longo morbo diù non communicasset, ut contra *Suar. et Conc.* docent *Fag. p. 5. l. 5. c. 2. Præp. Escob. t. 7. e. 6. l. c.* » (*Immò Croix n. 481. cum Suar. Bon. Lug., etc. Ronc. c. 4. q. 4. Salm. de Euch. c. 9. p. 2. n. 18. cum Sylvio, etc. dicunt, solà devotionis causâ, sacerdotem semper posse seipsum communicare, quia, præciso scandalo, nulla est irreverentia, nec ullibi est vetitum, nisi adsit alius sacerdos:*

et id non improbabile putat *Conc. p. 507. n. 12. Ibiq. addit cum Vasq. Dic. et Leand. hoc permitti etiam diacono, quia ex concilio Nicæno can. 14. id ei conceditur. Tandem concludit disciplinam hodiernam in hoc spectandam esse).*

259. — « Dixi 2. vel privilegium, quale habent religiosi Mendicantes, et nominatim Societatis Jesu, ex *Pauli III. Bulla*, et aliorum, ut scilicet in suis templis per se, vel per alios sacerdotes illic celebrantes communicare possint quoscumque Christi fideles, præterquam in mortis articulo (in quo tamen, si urget necessitas, præsumitur rati habitio) Papæ, etiam invito parochi, ut habet *Bon. hic*, et festo paschali. » (*Et præterquam, si Episcopus rationabiliter alicui communionem prohibeat.*) « Vide *Card. de Lugo l. c. s. 2. n. 58. et 49.* Porro per festum Paschatis Pontifices hic videntur intelligere, et prohibere communionem illam, quâ satisficit præcepto annuæ communionis, ut docent *Sa, Fill. et comm.* Per mortis articulum intelligitur tempus, quo vel mors proximè instat, et moraliter certa et inevitabilis est, vel quo est mortis periculum, id est probabile dubium de vitæ conservatione, tali casu, quo valde frequenter mors solet accidere. *Suar. t. 4. de rel. lib. 2. c. 5. et 5. p. d. 26. s. 4. et alii.*

240. — « Ex dictis resolves, quòd regulares licitè dent Eucharistiam in articulo mortis, uti et in Paschate sequentibus casibus:

« 1. Si extrema sit necessitas, ut si periclitetur de salute æterna.

« 2. Si sit gravis necessitas, id est probabile mortis periculum, et parochus nolit, vel non possit dare. *Card. de Lugo d. 18. s. 2. n. 55.* » (*Cum Ronc. c. 4. q. 2. r. 2. et pluribus, contra aliquos.*)

« 3. Si à Pontifice, vel Episcopo habeant privilegium: quale hoc tempore habent religiosi aliqui quibusdam locis ab Episcopis communionem paschalem dandi.

« 4. Si quis in Paschate non possit in sua parochia communicare, nec petere veniam à parochi.

« 5. Si ratione communionis paschalis parochiæ suæ antè satisfecerint, aut postea satisfacturi putentur, quia tunc parochis nihil decedit, cum ipso die Paschatis abstinere à communionem possint. » (*Ita Suar. d. 72. s. 5. Pal. c. 19.*

n. 3. *Anacl.* p. 101. n. 40. cum communi). « Sic contra *Heur.*
 » et *Nav.* docent *Sa.*, *Fill.* et *Laym.* qui addit, nisi constaret
 » parochum esse invitum, ac rationabiliter id prohibere,
 » v. g. quòd aliàs rationem communicantium habere in sua
 » parochia non possit; tunc enim ad parochiam esse reji-
 » ciendos. *Card. de Lugo d. 18. s. 2. n. 30. Bon. loc. cit.* »
 (*Refert N. SS. P. Bened. XIV. de Synod. l. 7. c. 42. declara-*
rasse S. C. non posse regulares die Paschatis ministrare Eucha-
ristiam ex devotione communicantibus. Sed Ronc. c. 4. q. 9.
r. 2. et Wigandt ex. 4. n. 48. in hoc constantem esse con-
suetudinem in contrarium, quæ jurisdictionem præbet).

« 6. Si ægrotus necdum pervenerit ad eum statum, ut
 » ex præcepto teneatur ad communionem, etsi tunc maneat
 » obligatus suscipere communionem ex manu parochi in arti-
 » culo mortis.

« 7. Si ægrotus satisfecerit præcepto de Viatico, cum inten-
 » tione illud implendi: quia administratio Eucharistiæ tan-
 » tum est vetita regularibus quando præceptum communio-
 » nis obligat. Nunquam tamen, sine licentia Episcopi, vel
 » parochi, licet religiosis publicè Eucharistiam deferre per
 » plateas, cum id juri parochorum consuetudine obtento de-
 » roget: proinde eo casu in ægroti oratorio, aliove honesto
 » domùs loco, de licentia Ordinarii, privatim facto sacro,
 » Eucharistia est danda. Ita *Suar. Vide Diana t. 4. p. 4. r. 14.*
 » et *p. 9. t. 9. r. 63.*

« 8. Quibusdam, qui frequenter communicant apud reli-
 » giosos, nec possunt adduci, ut communicent in parochia;
 » idque ex tacito, et præsumpto consensu, quem *Laym. lib.*
 » 5. t. 4. c. 7. n. 4. putat faciliùs posse præsumi in militibus
 » præsidariis; item in aulicis, studiosis, aliisque academi-
 » cis, etc. qui frequenter communicantibus extra suspicionem
 » esse solent. *Vide Laym. l. c.*

« 9. Si in Paschate sint vagi, peregrini, et advenæ, secun-
 » dùm sententiam probabilem multorum, ut *Sanch. de matr.*
 » l. 5. d. 57. *Fagun. præc. 1. Eccl. l. c. c. 8. Card. de Lugo*
 » l. c. *Dian. p. 2. t. 2. r. 12.*

Huic adversantur *Cont. Tourn. de Euch. cap. 3. art. 2.*
post concl. 4. Quær. 2. et Ronc. c. 4. q. 2. r. 2. cum
Barbosa, et Passer., dicentes, quòd advenæ debent su-
 mere communionem paschalem de manu parochi loci, quia

iste tunc censendus est proprius eorum pastor. Sed cum
Busemb. communissimè oppositum docent *Sanch. d. disp. 25.*
n. 17. Suar. 3. p. d. 72. s. 2. in fin. Lugo d. 18. n. 30. (qui
 vocat ferè comunem) *Viva q. 4. art. 10. Anacl. p. 101. n. 40.*
Pal. p. 19. n. 7. et Salm. de Euch. c. 8. p. 2. n. 31. cum Nav.
Sot. Cajet. Azor. etc. Ratio, quia peregrini, et vagi non habent
 proprium pastorem; et favet declaratio *Eugenii IV.* (apud
Sanch.) qui concessit peregrinis, ut possint in parochiæ hospiti-
 is communicare, non autem coëgit, sed reliquit eos dispo-
 sitioni juris communis.

« 10. Si sint famuli, vel domestici, vel familiares eorum,
 » qui circa tales habent privilegium. *Vide Comp. privil. Soc.*
 » *Jesu v. Familiaris, et Dian. p. 2. t. 1. de dubiis regula-*
 » *rium, r. 12.* »

Bon. q. 7. p. 2. n. 10. refert quamdam declar. S. C. con-
 ciliii (apud *Sa*), quò dictum fuit, famulos sæculares monaste-
 riorum tenèri sumere communionem paschalem in parochia.
 Hoc autem ait *Bon.* non intelligendum de iis qui degunt in
 monasteriis, vel in locis exemptis à cura parochorum: et idem
 sentiunt *Anacl. p. 401. n. 40.* cum communi ut asserunt *Ronc.*
c. 4. q. 2. r. 2. Pal. p. 15. n. 10. et Salm. de Euch. c. 8. p. 2.
n. 30. cum Dic. Attamen Wigandt ex. 4. n. 48. et Bened. XIV.
Notif. 33. t. 2. sentiunt oppositum; nam (ut ait præfatus
Bened.) tantùm illi servientes monasteriis sunt exempti à
 jurisdictione sui Ordinarii, qui, ut habetur in *Trident. sess.*
24. c. 11. actu inserviunt, intra eorum septa ac domos resi-
dent, sub eorumque obedientia vivunt. Unde, ut ait, non
 eximuntur ab obligatione communionis paschalis in parochia
 famulos monasteriorum, nisi vivant intra ipsam clausuram,
 et sub obedientia prælatorum regularium. Et huic conformia
 esse refert idem *Bened.* plura deer. S. C. et signanter illud
 editum 22. Nov. 1721. ubi dictum fuit tenèri recipere com-
 munionem in parochia famulos monialium degentes in domi-
 bus sitis in atriis monasteriorum, muro circumvallatis, quæ
 sunt contigua monasteriis, cum janua quæ clauditur. Sed hoc
 non obstante, refert *Croix l. 6. p. 1. n. 633.* Societati *Jesu*
 expressum privilegium concessum fuisse, ut famuli dome-
 stici, intra septa religiosa habitantes, possint satisfacere com-
 munioni paschali communicando in templis Societatis. Sed
Tom. VI.

notat ibi P. Zaccharia pluries decrevisse S. C. hoc privilegium non extendi ad alias religiones.

ARTICULUS II.

Quid requiratur in ministro ad licitam administrationem Eucharistiæ?

- 241 An Eucharistia deferenda ad infirmum cum stola, superpelliceo, ac lumine? Quid de extrema unctione?
- 242 An in necessitate liceat currere?
- 243 An deferre Eucharistiam in equo? Et an tantum ad eam adorandam?
- 244 An liceat dispensare, vel celebrare posterioribus digitis? Et an medio instrumento tempore pestis?
- 245 Quando peccet dispensans ob defectum ritus Ecclesiæ?
- 246 Quibus non liceat porrigere communionem?
- 247 An autem communico porrigenda reis capite damnatis? Et an semifatis, et obsessis?
- 248 Quomodo pastor debeat asservare Eucharistiam? Et an Eucharistia asservanda, et deferenda semper sit cum lumine?
- 249 An ministranda communico in missa de Requiem?
- 250 Quid faciendum, si hostia decidat in terram?
- 251 Quid faciendum de fragmentis hostiarum?
- 252 Quâ horâ, et quâ die possit dari communico?
- 253 Quoties parochus teneatur ministrare communionem?
- 254 Quid notandum circa communionem quotidianam?

241. — **R**ESP. 1. Ut minister circa Eucharistiæ distributionem non peccet, præter gratiam, etiam reverentiam in eo tum ratio, tum canones requirunt; ita ut præstat hoc sacramentum omitti (cum ejus susceptio sæpè non sit necessaria ad salutem), quàm admitti positivam irreverentiam.

Unde resolves :

« 1. Eucharistia non est deferenda ad infirmum, nisi cum habitu decenti, id est cum stola et superpelliceo, ac præcedente lumine: secus est de extrema unctione, cujus materia, cum non sit sacramentum, non requirit tantam venerationem. » (Ita etiam Mazz. cum Croix, et com-

mini.) « Putant tamen quidam, si habitus haberi non possit, aut sit tempestas, aut iter faciendum, non fore irreverentiam, si sacerdos Eucharistiam in pyxide, vel corporali involutam in sinu suo clam deferat. Quod certius videtur licere in locis hæreticis, ubi etiam necessitate, et clam, præciso scandalo, poterit porrigere sine stola, et superpelliceo: etsi nullo modo celebrandum sit sine vestibus sacris ob Viaticum dandum. Bon. d. 4. q. 5. p. 2.

Ministrare Eucharistiam sine lumine, et solita confessione reputatur tantum veniale, uti comm. dicunt Suar. dist. 72. sect. 4. v. Tertiò, Ronc. cap. 4. q. 5. r. 2. cum Quarti, Croix n. 489. cum Gob. et Salm. de Euch. c. 9. p. 2. n. 24. cum Fill. Gran. et Fag. ac Mazz. t. 5. n. 152. in fin. cum communi ut asserit. Ministrare autem sine stola, et superpelliceo, comm. censent DD. esse mortale ex genere suo, ut Suar. et Ronc. ll. cc. ac Fill. c. 9. num. 270. Omissâ tamen tantum stolâ, dicit Ronc. pluribus vidèri solum veniale. Utrum autem in necessitate liceat ministrare Viaticum sine lumine, et vestibus sacris? Negat Bon. q. 5. p. 2. n. 8. cum Sylvest. et Possev., quia (ut ait) præstat potius reverentiam servari tanto sacramento, quàm infirmum communicare. Sed communiùs et satis probabiliter affirmant Croix, et Mazz. ll. cc. Gobat. tr. 4. n. 417. Elb. t. 5. p. 85. n. 65. et Renz. q. 15. cum Fill. Avers. Gran. etc. Ratio, quia non rationabiliter præsumitur quòd Christus, qui hoc sacramentum ad subsidium animarum instituit, et Ecclesia, quæ tam benigna est mater, voluerint moribundos tanto bono privari, ne præscriptæ cæremoniæ omittantur. Deferre autem Eucharistiam ad aliud altare sine vestibus sacris, dicit Croix l. c. cum Diana, et comm., non excedere peccatum veniale. Censet etiam Pasq. apud Croix n. 614. quòd Episcopus potest dispensare, ut deferatur Viaticum cum pileolo in villis, et pagis.

242. — « 2. Præstat ægrum non communicatum mori, quàm sacerdotem in habitu cum sacramento per publicum currere (etsi festinare valde debeat, ut dicit Quint. t. 4. s. 8.) » (Sed probabile est posse sine irreverentia currere in necessitate, ut Croix n. 614. cum Gob. item contra Salm. de Euch. c. 9. p. 2. n. 25. cum Bon). « Secus est in baptismo, et pœnitentia, si probabiliter timeretur, ne ægrotus

» decederet in mortali; tunc enim currendum esset, ut
 » habet *Bon. l. c. ex S. Th. Possev. et aliis.*

243. — « 5. Ad infirmum longè distantem licere parochio
 » Eucharistiam deferre in equo mansuetò, ita ut non sit
 » periculum lapsus, docet *Quint. c. 4. s. 8.* » (*Idem tenet*
Elb. n. 74. cum Gob. si fiat causà tempestatis, vel distantiae,
vel quia periculum est in mora. Idque concessit S. Carolus
in act. Mediol. p. 4. sub num. 51.) « Sed negant *Possev. et*
 » *Barb.*, nisi loci consuetudo permittat; adduntque non
 » licere pyxidem dare portandam laico, quantumvis pastor
 » sit fatigatus, sed potius ex collo suspendendam bursam.

» 4. Eucharistia non deferenda ad ægrum, venerationis
 » tantum causà, ut adoret, vel osculetur, si sumere non
 » possit. Quod etiam prohibuit congregatio Cardinalium:
 » quæ tamen non videtur prohibere, ut venerationis causà
 » deferatur ad lectum, si in domo celebretur. » (*In hoc at-*
tendendum omninò Decr. S. C. Concil. in s. 15. can. 7.
(ap. Lugo Resp. Mor. l. 1. d. 11. n. 5.) ubi sic declaratum
fuit: Non licet sanctam Eucharistiam ad ægotantes deferre,
qui morbi gravitate impediti sumere eam non possunt, sed
venerationis gratiâ solent eam deosculari. Et si fortè aliquo
in loco talis est consuetudo, ea prorsus est tollenda, quod
Pius V. prohibuit).

244. — « 5. Non licet dare Eucharistiam aliis digitis, si
 » indice, et pollice ob chiram dari non possit, ut docent
 » *Bon. d. 5. q. 4. p. 2. et Possevinus, contra Tolet. cujus*
 » sententia tuta videtur, si aliàs æger sine Viatico esset mo-
 » riturus: præsertim si tunc detur duobus indicibus.

Quær., an qui laborat chiragrâ, possit aliis digitis quàm
 pollice et indice ministrare Eucharistiam? Affirmant *Mazz.*
t. 3. p. 155. n. 111. et Croix l. 6. p. 1. n. 490. cum Ar-
riaga, Leand. et Gob., quia, licet soli primi digiti sacerdo-
 tis inungantur, tamen tota manus consecratur. Probabiliùs
 verò negat *Dian. p. 10. tr. 11. res. 40. Renzi c. 5. q. 16.*
et Bonac. d. 4. p. 2. n. 10. cum Possev. Ratio, quia, etsi
 tota manus sit consecrata, attamen index et pollex ex ritu
 Ecclesiæ ad hoc ministerium deputantur. Et quamvis com-
 munitè admittant cum *Bus. Diana, et Renzi l. c. item*
Conc. p. 109. n. 15. Salm. de Euch. c. 9. p. 2. n. 26. Cont.
Tourn. de Euch. c. 5. art. 2. post concl. 4. ante v. Quær. 6. et

Ronc. c. 4. q. 5. r. 2. (contra Bon.) posse ministrari Eucharistiam
 posterioribus digitis in casu extremæ, vel gravissimæ neces-
 sitatis: pariter tamen communiter dicunt *Pal. tr. 29. d. 6.*
p. 11. n. 5. et Laym. de irreg. tr. 5. c. 7. n. 6. Bon. eod.
tit. d. 7. q. 2. c. 2. n. 16. cum Suar. Mol. Sayro. Avila,
Fill. et Reg., quòd si quis haberet pollicem ita infirmum,
 ut non posset eum eo hostiam frangere, non posset quidem
 celebrare. Idque inferunt ex *c. ult. de corp. vitiat.* ubi di-
 etum fuit, tum tantum permittendum alicui sacerdotio ini-
 tiari, cum habet pollicem aptum ad frangendam hostiam.
 Regula autem generalis est, id quod est impedimentum ad
 suscipiendum ordinem, post susceptionem exercitium ordi-
 nis impedire; vide *Salm. de cens. c. 7. p. 1. n. 2.* Et idem
 dicunt *Bon. l. c. Viva de irreg. q. 9. art. 4. n. 15. et Mazz.*
eod. tit. c. 5. num. 1. de sacerdote, qui indicem haberet
 ineptum ad usum.

» 6. Non licet tempore pestis porrigere Eucharistiam me-
 » dio aliquo instrumento (multò minus deponere alicui in
 » seutella, ut ab ipsomet ægro sumatur), sed manu danda
 » est, ut docet *Bon. d. 4. q. 5. p. 2. ex Suar., et aliis.*
 » Quamvis *Possev. c. 8.* non improbabiler dicat, posse,
 » præciso scandalo, et periculo lapsus in terram, instru-
 » mento ad id ritè confecto dari. » (*Putà in cochleari; id*
tamen negant Dian. p. 5. tr. 5. r. 50. et Renzi c. 5. q. 16.
cum Fagund. et concilio Mediol. V. ubi id vetitum fuit. Sed
meritò putant non improbabiler licitum in tali necessitate
cum Bus. Bon. p. 2. n. 10. item Mancin. et Marc. apud
Croix n. 486. et Salm. de Euchar. c. 9. p. 2. num. 27. cum
Gavant. Leand. etc., quia necessitas satis videtur excusare
à solito ritu Ecclesiæ) « Quod in praxi pro ægroto, qui non
 » potest trajicere hostiam, ut scilicet ei detur Eucharistia,
 » imposità particulâ hostiæ cum vino in cochleari, admittunt
 » *Præp. in 2. p. q. 80. a. 5. d. 6. Esc. t. 7. c. 6. Dian. p.*
 » *4. t. 4. r. 104.* » (*Vide dicenda n. 288. v. Dicunt).*

» 7. Sacerdos podagrâ laborans potest deferri ad altare,
 » ut ibi Eucharistiam administret; seclusâ tamen aliâ pro-
 » hibitione. Ita *Possev. c. 5. n. 50. Bon. l. c.*

245. — « Resp. 2. Requiritur præterea, ut eam dispenset
 » ritu Ecclesiæ consueto: deinde, ut eam neget (per se
 » loquendo) indispositis animo, vel corpore: denique, si

» pastor sit, ut ministret eam ovibus, quoties rationabiliter
 » petunt. *Bon. d. 4. q. 5. p. 1. n. 15.*
 » « Dixi 1. Ritu Ecclesiæ; quia legitimus Ecclesiæ ordo sub
 » peccato obligat.

Unde resolves :

» « Peccat I. qui Eucharistiam dat sub utraque specie, locis,
 » vel personis, quibus à Pontifice non est concessum. Item
 » si morituro, qui ob linguæ ariditatem non potest hostiam
 » trajicere, det species vini » (*Ut communissimè dicunt Tab.*
c. 5. n. 3. cum Fag. et Dian. item Croix n. 611. cum Suar.
Lugo, Dic. etc. contra Ochag. etc. quia præceptum Viatici
non obligat, quando nequit sumi debito modo, et Ecclesiæ
ritu) « licèt talem à mortali excusare conetur Amic. apud
Dian. p. 8. t. 1. r. 24. Bon. l. c. Sanch. Poss. Barb. contra
ipsum Dian. p. 9. t. 9. et r. 64. II. Qui dispensat sine
veste sacra, vel lumine, aut prævia confessionis generalis
formula. » (Vide d. num. 241.) « III. Qui laico dat ho-
stiam majorem; in necessitate tamen, vel in casu magnæ
devotionis, licet ex majore particulam defractam dare »
(Id si sit sine causa, non est licitum, sed non excedit ve-
niiale, ut rectè ait Cont. Tourn. loc. cit. v. Quer. 8. cum
Poss. Sufficit autem ad illud excusandum, si communican-
dus sit infirmus, vir nobilis, famulus, vel alius qui sine
incommodo expectare non potest, etiamsi tantum ex devotione
communicet, ut dicunt communiter idem Cont. Tourn. l. c.
et Conc. p. 507. n. 12. Salm. de Euch. c. 9. p. 2. n. 19. cum
Dic. Diana, Gran. etc. ac Elbel t. 5. n. 59. cum S. Anton.
Sylvest. et Bon.) « vel etiam in defectu minorum, plures
 » majores consecrare; easque deinde in minores partes (non
 » tamen adeò parvas ut honestè dari non possint) divisas
 » distribuere. Ita *Sa v. Euch. d. 4. q. 5. p. 1. n. 14.*

» « Dixi 2. Per se neget: quia aliàs coöperabitur peccato.
 » Per accidens tamen sæpè dare potest, v. g. si sine scan-
 » dalo, aut gravi damno suo, vel pœnitentis, negare non
 » possit. Vide *Bon. l. c. Possev. c. 5. n. 8.*

Unde resolves :

» 246. — « 1. Peccat 1. Qui dat pueris ante annum discre-
 » tionis (nisi in articulo mortis) qui fortè circa annum de-

» cimum incipit. » (*Vide infra n. 501.*) « 2. Qui dat amenti-
 » bus, quando nunquam sunt usi ratione. Si verò usi sint,
 » potest et debet illis dari in articulo mortis, si possit sine
 » periculo irreverentiæ, et non constet, incidisse in amentiam
 » in statu peccati mortalis. *Laym. hic c. 4. num. 4.* » (*Vide*
dicenda n. 502. Qu. II.) « 3. Qui dat peccatori publico, v. g.
 » histrioni, turpes comœdias cum mortali representanti,
 » usurario, meretrici, concubinario; de quibus vide *Fill. t. 4.*
 » n. 166. et seq. » (*Vide dicta n. 46.*)

» « Dixi, publico: quia, si occultè tantum scias esse indi-
 » spositum, occultè quidem, non tamen publicè petenti est
 » neganda: nisi indispositio ex confessione sit nota; tunc enim
 » extra eam ne licet quidem monère, ut docent *Sanch. Bon.*
Laym. l. 5. t. 4. c. 6. Card. de Lugo d. 8. de sac. s. 8. num.
 » 189. » (*Vide n. 49. et 50.*)

» 247. — « 2. Peccat item, qui negat reis morte plectendis
 » (quibus etiam potest dari aliquot, imò unà horâ ante mor-
 » tem, ut habet *Sa*: danda verò est, si fieri potest, non in
 » carcere, vel alio loco inhonesto) etiam ob crimen sagarum
 » captis, dummodò pœnitentiam præ se ferant: etiamsi cri-
 » men negent, et violenta duret suspicio. *Tann. t. 5. qu. 5.*
 » d. 4. » (*Negat Contenson d. 4. c. 1. sp. 5. posse dari com-*
munionem capite damnatis, nisi diu prius pœnitentiâ suâ
crimina expiaverint. Sed rectè affirmant laudabilius posse dari
dispositis per confessionem P. Conc. p. 510. n. 5. et Juenin.
p. 272. concl. 5. ut usus habet in Italia, et Germania (secus
in Gallia, et Hispania); et etiam unâ horâ ante mortem, si
necessitas urgeat, ut admittit Concina: ex consilio enim Ni-
caeno can. 15. præscribitur, quòd Eucharistia danda est omni-
bus, qui ad vitæ exitum veniunt).

» « 5. Rectè facit, 1. qui rarò, v. g. in Paschate, dat com-
 » munionem semifatuis, et qui debilem habent rationis usum,
 » si saltem hunc cibum à profano distinguere norint, ut ha-
 » bent *Hen. et Possev.* Idem ferè dicendum est de surdis et
 » mutis à nativitate. Vide *Laym. hic. 2.* Qui dat obsessis à
 » dæmone, dummodò sine irreverentia possint sumere. Ita
 » *Suar. Bon. Reg.* » (*Vide dicenda n. 505.*)

Dixi 5. Si pastor sit.

Unde resolves :

« 1. Talis peccat graviter contra justitiam, et charitatem, si subditis in periculo mortis, licet peste infectis, non det. » (Vide d. n. 255.) « Alius verò sacerdos, qui in tali casu, absente vel nolente parochi, nollet dare, peccaret tantum contra charitatem, etsi secundum *Chapeau*. mortaliter. » q. 57. n. 2.

248. — « 2. Pastor, ut Eucharistiam opportunè petentibus possit ministrare, tenetur eam asservare cum lumine in Ecclesia; nec licet alibi, ne in sacellis quidem nobilium, vel choro monialium, aut inter septa monasterii earum, ut habet *Trid. sess. 15. de reform. c. 10.* (nisi cum facultate in solemnibus festo) in pyxide; quæ non necessariò est consecrata, licet, si consecrata non sit, debeat interiùs vestiri vittâ lineâ ex tela consecrata, ut ex *S. Th. docent Vasq. Azor. Regin. in praxi t. 2. lib. 29. c. 9.* » (Vide de hoc dicenda n. 424. circa finem).

« 3. Si ob graviter culpabilem negligentiam parochi, vel ejus, cui ista cura commissa est, integro die, vel aliquot integris noctibus, lumen non ardeat ante venerabile sacramentum, peccare eum mortaliter (secus si per horam tantum) docet *Quint. t. 4. s. 1. et 7. item Dian. p. 9. t. 6. r. 54.* licet *Marchant. in Res. Pastor. t. 4. c. 5. q. 4.* obligationem, et consuetudinem tam universalem neget: uti et de lumine præferendo, quando defertur sacramentum foràs, atque ex causa id posse omitti, ut cum defertur ad ægrum longè distantem, nec commodè fieri potest cum lumine. » (Vide dicta hic n. 241. v. *Ministrare*).

249. — Plurâ quæsitâ diversâ, et utilia ad praxim hic sunt resolvenda. Quær. I. An in missa de *Requiem* possit dari communio? Hic tria dubia occurrunt. Dubit. I. An liceat communionem ministrare intra missam? Negant *Gavantus part. 2. tit. 10. nu. 6. lit. n. et Croix l. 6. p. 1. n. 492.* ex Decr. S. C. Rituum edito die 22. Jan. 1701. Sed affirmant meritò *Pignat. t. 9. Conc. 90. n. 58. Quarti p. 2. tit. 10. n. 6. et Merati l. c. in Gav. n. 28. cum Castaldo, et aliis pluribus* Prob. ex *Trid. sess. 22. c. 6.* ubi dicitur: *Optaret sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes Eucharistiæ*

perceptione communicarent. Nota in singulis missis: ergo etiam in missis defunctorum. Item quia in canone etiam Missalis defunctorum dicitur: *Ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumperimus, etc.* Deinde ibidem inferiùs post communionem celebrantis, sic habetur: *Si qui sunt communicandi, eos communicet, antequam se purificet.* Refertque *Merati*, hæc verba inserta fuisse in Missali defunctorum tempore *Urbani VIII.* qui hæc præscripsit inter cætera: *Communicando fra la Messa de Requiem si faccia lo stesso; nè si dia alcuna benedizione* (1). Nec obstat decretum oppositum an. 1701. Nam asserit idem *Merati* invenisse adnotatum in directorio Ecclesiæ Genuensis an. 1715. quòd licet an. 1701. à S. C. vetita fuisset communio fieri in missis defunctorum, tamen ab eadem S. C. ex novis motivis prohibitum fuit extra dari copiam prædicti decreti. Deinde refert idem auctor, quòd die 21. Martii 1711. repositum hoc dubio, eadem S. C. censuit præfatum decretum anni 1701. suspendendum esse. Hinc hodie ubique viget usus communionem dispensandi intra missam de *Requiem*; imò hodie certum est licere ex Decreto mox referendo.

Dubit. 2. An in missa defunctorum liceat dare communionem ex particulis præconsecratis in alia missa? Affirmant *P. Merati n. 50. et Bened. XIV. de Sacrif. missæ t. 9. l. 5. c. 18.* dicentes opinionem oppositam aliorum nullo modo esse admittendam prout noviter adinventam, cum omnes auctoritates et Rubricæ nunquam de hac limitatione verbum faciant. Nec refert, quòd particulæ præconsecratæ non spectent ad idem sacrificium, nam ad totum fructum sacramenti percipiendum sufficit, ut fideles de eadem victima participent. Supposititium autem pro certo reputat *Merati* quoddam decretum in contrarium, quod refertur in quodam Kalendaria anni 1756. Dicit enim ipse omnem diligentiam adhibuisse in evolvendis Regestis S. C. R. in quibus nunquam potuit tale decretum invenire. Sed his non obstantibus, die 2. Sept. 1741. novum prodiit decr. S. C. R. in Aquensi, quo dictum fuit: *In missis defunctorum, quæ in paramentis nigris celebrantur,*

(1) *Id est*: Si communio habeatur intra missam de requiem, idem servetur, nec ulla detur benedictio.

non ministraretur Eucharistia per modum sacramenti, scilicet cum particulis præconsecratis, extrahendo pyxidem à custodia. Potest tamen ministrari per modum sacrificiî, prout est quando fidelibus præbetur communio cum particulis infra eandem missam consecratis (1). Hic autem notandum, quòd antea die 21. Junii 1670. in Pritana aliud fuit decretum emanatum, nimirum: *Missæ defunctorum non possunt celebrari, nisi cum colore nigro, vel saltem violaceo.* His positis, nempe quòd tantùm in paramentis nigris prohibetur Eucharistia ministrari, et aliàs permittitur celebrare missas de *Requiem* in violaceis, infertur, licitè posse in missis defunctorum, quæ celebrantur in violaceis, ministrari Eucharistiam cum particulis præconsecratis: et insuper ministrari posse tam ante, quàm post missam.

Dubit. 5. An communio possit ministrari à celebrante ante vel post missam defunctorum? Meritò id negat *Merati*, quia extra missam nunquam in paramentis nigris est distribuenda communio, eùm juxta Rituale Rom. præscribatur in administratione Eucharistiæ utendum esse stolâ coloris officio illius diei convenientis, vel saltem coloris albi, ut censet idem *Merati* cum pluribus DD. Quod etiam approbavit *S. Carolus in Syn. Prov. I. p. 1.* Cæterùm certum est ex *Rit. Romano*, intra missas vivorum communionem populi statim post sacerdotis sumptionem fieri debère, nisi justa causa suadeat fieri ante, vel post missam, uti si plurimi interessent, et suspicio esset, quòd aliqui eorum missæ longioris tædio caperentur, ut docet *N. P. Bened. XIV. de Sacrif. miss. t. 9. l. 5. c. 18.*

250. — Quær. II. Quid faciendum casu quo decadat hostia? Primò tegendus est locus panno lineo mundo, et postea abludendus, ut præcipiunt Rubricæ, quæ tamen non obligant sub gravi, ut notat *Pasq. apud Croix l. 6. p. 1. n. 494. Holzm. n. 87.* qui addit cum *Gob. Pelliz. Tamb. et Lohn. ap. Croix*

(1) *S. Alphonsus* in suis operibus dogmaticis: *Istoria dell'Eresie*, Confut. 10. n. 41. affirmativam quidem sententiam tenuerat, ast in posterioribus editionibus Theologiæ Moralis, ejus revisionem anno 1775 in manibus ultimò habuit, negativam probavit, hocce decretum S. C. R. 2. sept. 1741 authenticum agnoscens. Falsum itaque est, *S. Alphonsum* præsentem hanc suam sententiam, quòd non liceat in missa defunctorum dare communionem ex particulis præconsecratis, in laudato opere dogmatico, jam anno 1772 edito, retractasse.

Cap. 2. De ministro Eucharistiæ. Dub. 1. Art. 2. 59
l. c. ordinariè omitti posse abluionem vestis, aut barbæ, ad evitandam turbationem populi. Locus verò, ubi incidunt species vini, semper debet ablui, eùm ipsæ imbibantur, etsi non sit opus eas comburere. Si hostia decadat super ubera mulieris, non debet sacerdos ipse auferre, sed ipsa mulier manu abstrabat, et reponat in ciborio. *Croix n. 495. cum Gob. Pasq. et Lohn.*

251. — Quær. III. Quid faciendum de fragmentis hostiarum? In Rubrica Missalis (*Tit. 7. n. 2.*) sic habetur: *Si deprehendat (sacerdos) post sumptionem corporis et sanguinis, aut etiam post abluionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, sive parvæ sint, sive magnæ, quia ad idem sacrificium spectant.* Et hoc non solum immediatè post missam, ut commune est apud *Croix l. 6. p. 1. n. 496.*, sed etiam si sacerdos sit in sacristia, adhuc tamen indutus vestibus sacris, ut dicunt *ibid. Gobat, Granad. Diana, etc.* ac consentit *Bened. XIV. de Sacr. missæ l. 5. c. 17. n. 5. et 6. contra Lugo d. 15. n. 82.* Idque posse fieri dicunt *Tamb. et March. ib.* etiamsi fragmenta illa sint reliquiæ alterius sacrificii, quia (ut ajunt) omnes missæ censentur unum specie sacrificium; et hoc probabile putat *Cont. Tourn. de Euch. cap. 6. art. 2. sect. 1. dub. 1. v. Hæc opinio*; sed meliùs id negant communiter *Caj. Sylv. Nav. Vasq. et Bon. ap. Cont. Tourn. cit. item Lug. l. c. n. 81. ac Croix n. 497. cum Suar. et Tann.* nisi adsit periculum irreverentiæ; aliàs non licebit, tùm quia ex Rubrica, ut suprâ, sacerdos non potest sumere reliquias post abluionem, nisi eas tantùm quæ *ad idem sacrificium spectant*; tùm quia sumptio reliquiarum alterius sacrificii non pertinet ad illius perfectionem, sicut sumptio reliquiarum ejusdem sacrificii. Dietum est, *adhuc indutus*; nam si sacerdos jam se egerit vestibus sacris; tunc censet præfatus *Bened. XIV. l. c.* eum clero Patavino reliquias vel reportandas in tabernaculo, si adsit, vel reservandas alteri sacerdoti celebraturo eodem mane, alioquin ab eodem qui celebravit esse sumendas.

Hic autem advertendum 1. quòd si sacerdos deferat communionem infirmo in valetudinario, et remaneant reliquiæ in patena vel calice, poterit sacerdos eas sumere, si adhuc sit sacris indutus vestibus, ut ajunt *Pal. Tamb. et Burgh. ap. Croix l. c.* Bonè verò poterit etiam eas dare infirmo statim

post particulam ipsi traditam, quia tunc censetur moraliter una communio, prout rectè dicunt idem *Tambur. Burg. cum Marchin. ib. et Lugo d. 15. n. 80.* qui testatur sic usum ferre, ut post communionem ægri abluatur pyxis, et ablutio ipsi tradatur. Item advertendum id quod additur in prædicta Rubrica n. 5. *Si verò relicta sit hostia integra consecrata, eam in tabernaculo reponat; si hoc fieri nequit, sequenti sacerdoti sumendam relinquat; si neutrum fieri possit, in ipso calice decenter conservet; quòd si non habeat quomodò honestè conservetur, potest eam ipsemet sumere.* Particulæ autem inventæ extra corporale, in dubio an sint consecratæ, sumendæ sunt etiam post abluionem (1), ut dicunt *Bon. Henr. et Gob. ap. Croix. n. 498.*

252. — Quær. IV. Quânam horâ possit dispensari communio? Respondetur: Per se loquendo, quilibet diei horâ dispensari potest, quia circa hoc nulla adest prohibitio; ita communiter docent *Pal. punct. 16. num. 5. Ronc. c. 4. q. 6. Salm. de Euch. c. 8. p. 5. n. 58. cum Ang. Con. et Fag. ac Bon. q. 7. p. 1. n. 14. cum Sylv. Sa, Tab. Az. Posses. Henr. et Suar. 5. p. d. 80. sect. 4. in fine*, ubi affert *S. Ambr.* dicentem, suo tempore fuisse consuetudinem celebrandi, et dandi communionem circa finem diei. Diximus, *per se loquendo*; nam, ut dicunt omnes AA. citati, non licet Eucharistiam ministrare noctu, vel sub vespere, (id est in extrema diei parte) tùm propter scandalum, tùm propter hodiernam Ecclesiæ consuetudinem; contra *Avers. ap. Croix l. 6. p. 1. n. 495.* qui dicit esse quidem congruum, ut communio fiat manè, sed licere etiam sub vespere; sed hoc tantùm admittunt *Pal. l. c. cum Coninc. Tamb. cum Sa, et Suar. ac Jordanus ap. Croix l. c. si accedat aliqua specialis causa: et hoc probabile videtur, si fiat sub vespere; nam intempestâ nocte puto cum *Salm. cit. n. 58. in fin. et Bon.* non licere, nisi in solo casu necessitatis.*

Sic etiam non licet dare communionem in missa nativit. Domini, quæ dicitur mediâ nocte, ex decr. *S. C. R. apud Bened. XIV. t. 9. l. 5. c. 18.* nec in die Parasceves ex decreto ejusd. *S. C. die 19. Febr. 1622. ap. Gavant. tit. 9. §. 4. n. 25.* Et licet hoc decretum in registris non reperiri testetur *Me-*

(1) « Sed melius cum eadem ablutione. » Ita *S. Alph. Hom. Ap. tr. 15. n. 8. Edu.*

Cap. 2. De ministro Eucharistiæ. Dub. 4. Art. 2. 61
ruti, tamen *S. R. conc. die 12. Febr. 1679. ap. Bened. XIV. loc. cit. mandat Ordinariis. ut circa communionem in feria sexta in Parasceve, Missalis Rubricæ, et Ecclesiæ Romanæ usus servetur.* Ex quo rectè infert noster Pontifex vetitam esse tali die communionem, tùm quia in Rubrica Missalis Feriæ V. dicitur, debère asservari quasdam particulas pro infirmis, et sic sani excluduntur; tùm quia juxta Romanam consuetudinem Feriâ sexâ non distribuitur Eucharistia. In die autem Sabbati sancti nullum adest decretum prohibens communionem; at *Macrus in Vocabulario Eccl. ait: In missa Sabbati sancti non dicitur ea antiphona, quæ appellatur communio, quia non fiebat populi communio, quæ nunc quidem faciendâ esset.* Hæc tamen ratio non suadet; nam perdoctus *P. Merati p. 4. tit. 10. n. 56. cum Grancolas, Moretto, et aliis* satis probat, quòd olim in missa Sabbati sancti omnes communicabant, non solùm parvuli, sed etiam reliqui fideles, ut patère dicit ex quodam antiquo *Ordine Romano*, ubi legitur inter cætera: *Omnes communicent.* Additque cum *Gavant. Grancolas, et Durando*, non ob aliud hodie omitti communio, et postcom., nisi quia loco earum sussectæ sunt Vesperæ, quæ gratiarum actio potiùs dicendæ sunt, quàm officium Vesperarum. Non habemus igitur ubi vetita sit communio in tali die; unde ait *Viva de Euch. qu. 4. art. 9. n. 1.* quilibet die permitti susceptionem Eucharistiæ, exceptâ Feriâ sextâ Parasceves: imò notum est, quòd in pluribus ecclesiis regni et urbis Neapolis, ac præsertim in ejus Cathedrali communio post missam solemnem populo ministratur.

255. — Quær. V. Quoties parochus teneatur ministrare Eucharistiam suis ovibus? Aliqui dixerunt parochum tenèri tantùm tempore præcepti, et in articulo mortis. Ita *Sylv. et Rich.* Sed communiter hi rejiciuntur ab aliis qui docent tenèri ministrare, quoties oves rationabiliter, et opportunè petunt. Ita comm. cum *Bus. n. 245. Soto, Suar. Fill. Pal. Dic. Vasq. Azor. et alii cum Salm. c. 9. n. 29.* Ratio, quia pastori incumbit providere, non solùm ut oves adimpleant præcepta, sed etiam ut habeant ea, quæ valde prosunt suo profectui.

254. — Quær. VI. Quid sentiendum de usu quotidianæ communionis? Malè quidem locuti sunt aliqui, qui dixerunt communionem quotidianam suadendam, imò præcipiendam esse omnibus illis, qui sunt in gratia. Licèt enim *S. Aug. dixerit: Tom. VI.*

Accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit; subiungit tamen: sic vive, ut quotidie merearis accipere. Hinc dicit S. Th. p. 3. q. 80. a. 10. requiritur ut cum magna devotione, et reverentia... accedat... sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt.... non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere. Unde meritò damnata fuit ab Innoc. XI. prop. 56. quæ dicebat: Frequens confessio, et communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis. Melius dicere debebant, est nota reprobationis.

Nimis rigorosè è converso alii sentiunt de quotidiana, vel frequenti communione, qui ab illa animas arcent, si hæ valde extraordinariâ puritatè et fervore non polleant. Damnata enim fuit prop. 23. ab Alex. VIII. quæ dicebat: *Similiter arcenti sunt à sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.* Nec mirum, si aliquis magister antiquus cum rigore de hoc sit locutus, tunc enim temporis usu vigeat talis rigor, qui hodie non viget. Ideò super hoc puncto sedulò attendendum est ad decretum S. C. editum anno 1679. et approbatum à Pontifice Innoc. XI. prout in extensum refertur à Croix n. 663. ubi inter alia primo loco dicitur usus frequens, vel quotidianus Eucharistiæ semper fuisse in Ecclesia approbatus à SS. patribus; sed, ratione diversitatis conscientiarum, nihil de ipso constitui posse. Deinde pronuntiatur sic: *Frequens accessus (ad Eucharistiam) confessoriorum judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, et frequentia fructu, et ad pietatem processu laicis negotiatoribus, et conjugatis, quod prospiciunt eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt.*

Postea additur: *In hoc igitur pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut à frequenti aut quotidiana sumptione, unica præcepti formulâ deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituentur. Sed magis quid singulis permittendum per se, aut parochus, seu confessarius sibi decernendum putet (loquitur de Episcopo): illudque omninò provideat, ut nemo à sacro convivio, sive frequenter, sive quotidie accesserit, repellatur.*

Denique concluditur quòd *Episcopi, ubi viget hujusmodi devotio (id est usus frequentis communionis), pro illa gratias*

Cap. 2. De ministro Eucharistiæ. Dub. 4. Art. 2. 65
Deo agant, eamque ipsi, adhibito prudentiæ et judicii temperamento, alere debebunt.

Quoad hoc pontificium decretum notandum est 1. præcipi ibi, quòd Episcopi, et tantò minùs parochi, quamvis possint alicui ex suis ovibus in particulari taxare communionem, minimè tamen generaliter pro omnibus dies communionis præscribere possunt. Imò providèere debent omninò, ut nemo repellatur à frequenti, vel quotidiana communione, cujus usum ipsi juxta prudentiæ regulas potiùs alere tenentur.

Notandum 2. ibi præcipi, ut talis usus frequentis, sive quotidianæ communionis (etiam pro negotiatoribus, et conjugatis) relinquatur arbitrio confessoriorum, qui juxta conscientiarum puritatem, et profectum communionem præscribent. Hinc dicendum, quòd confessarius, præsertim ex fructu frequentia, et ex desiderio pœnitentis regulam sumere debeat augendi, vel minuendi usum communionis. Vide quæ de hoc puncto fusiùs dicemus in Praxi confessoriorum, §. ultimo.

An autem dispensans Eucharistiam in mortali, peccet mortaliter; vide n. 55. ubi sententiam affirmativam amplexi sumus.

DUBIUM II.

DE SUBJECTO, SEU SUSCIPIENTE EUCHARISTIAM.

ARTICULUS I.

Quæ requiratur in eo dispositio animæ?

255 De præcepto præmittendi confessionem ad communionem.

256 Qu. I. An hoc præceptum sit divinum, vel ecclesiasticum?

257 Qu. II. An qui post confessionem recordatur mortalis, teneatur ante communionem illud confitèri? Qu. III. An teneatur conteri?

258 Quid si sacerdos dubitat de peccato commisso? Remissivè ad n. 474. de Sacram. Pœnit.

259 Non excusat à confessione celebritas, devotio, aut paupertas.

260 Excusat verò 1. Periculum mortis, et necessitas ministrandi Viaticum. 2. Scandalum, aut nota infamiae. Quid si deferatur Viaticum infirmo, qui nequit tam citò explere confessionem?

- 261 Quid si populus, aut ipse sacerdos deberet carere missa, vel communione paschali?
- 262 Quid si sacerdos inter celebrandum graviter peccet, vel recordetur peccati præteriti, an teneatur confiteri si possit? Et an teneatur missam deserere, si nequeat confiteri?
- 263 Quid si laicus recordetur mortalis in scamno communicantium?
- 264 Quando censeatur deesse copia confessarii? Et quæ distantia confessarii excuset? Quid si non adsit nisi sacerdos simplex, vel confessarius excommunicatus, etc.?
- 265 Qu. I. Quid si sacerdos habeat peccatum reservatum, et desit confessarius habens facultatem? Qu. II. An tunc teneatur confiteri mortalia tam reservata, quàm non reservata? Qu. III. Quid si habeat excommunicationem reservatam?
- 266 Qu. IV. Quomodo intelligendum præceptum confitendi quamprimum? Qu. V. An ad illud teneatur sacerdos celebrans sacrilegè?
- 267 Qu. VI. An celebrans confessus, et oblitus peccati? Qu. VII. An sacerdos non confessus, qui meminit peccati post consecrationem?
- 268 Qu. VIII. An præceptum confitendi quamprimum obliget etiam laicos?
- 269 Effectus Eucharistiæ.
- 270 Quær. I. An accedere ad Eucharistiam cum veniali habituali sit novum veniale? Qu. II. An communicans cum veniali actuali peccet venialiter, et fructum amittat?

255. — « **R**ESP. Qui est in mortali, tenetur sub mortali ante sumptionem Eucharistiæ confiteri, nisi sit necessitas celebrandi, vel communicandi, et confessarius desit » (Utrumque enim concurrere debet ad excusandum à confessione, ex *Trid.*) « Ita *Trid.* sess. 15. c. 7. et can. 11. ubi contrarium docentes excommunicantur de facto. Fundatur autem in illo 1. *Corinth.* c. 11. §. 28. Probet autem seipsum homo, etc. Et parum refert ad praxim, utrum tantum sit præceptum ecclesiasticum, an tantum divinum, quod est probabilius, ut docent *Suar. Filliuc. et alii commun.* »
 « Dixi 1. In peccato mortali; tum quia Eucharistia delet venialia, ex opere operato: tum quia venialia (esto comitentur, imò reddant venialiter malam ipsam sumptionem) non ponunt obicem gratiæ sanctificanti. Quòd si tamen multa siunt, et intra genus suum gravia, de quibus nulla

» pœnitentia concipitur, actualem devotionem, et fructum majorem impediunt. *Suar. Laym. et alii.*

256. — Quær. I. An hoc præceptum præmittendi confessionem ad communionem sit divinum, vel ecclesiasticum? In *Trid.* sess. 15. c. 7. sic habetur: Præsertim cum illa plena formidinis verba apud apostolum legamus: Qui manducat et bibit indignè, iudicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini: Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum: Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Super autem his verbis, alii ut *Nav. Med. Palac. ap. Pal. p. 12. n. 2.* dicunt præceptum confessionis esse tantum ecclesiasticum, idque inferunt ex verbis illis: Communicare volenti revocandum est in memoriam ejus (nempe apostoli) præceptum. Ergò concilium non agnovit præceptum illud esse Christi, sed apostoli. Communis tamen, et vera sententia, quam tenent *Suar. d. 66. sect. 5. Pal. l. c. n. 5. Lug. d. 14. n. 69. Conc. p. 557. n. 2. Cont. Tourn. de Euch. cap. 6. art. 5. concl. 4. v. Atque hinc, et Salm. de Euch. c. 7. p. 5. n. 25. cum aliis*, docet præceptum hoc esse divinum. Ratio, quia ex una parte constat, quòd ex præcepto Christi præmittenda sit probatio, dum apostolus testatur illud à Domino accepisse; ex alia parte, ex eodem concilio clarè patet, quòd hæc requisita probatio sit confessio; nam licèt to ejus præceptum referatur ad apostolum, ut probabilius intelligit *Lugo*; tamen concilium non dixit, hoc præceptum confessionis ab ecclesiastica consuetudine introductum fuisse, sed per eam tale præceptum fuisse declaratum; undè ex præcepto divino confessio jubetur. Neque huic obstat, quòd dicatur præceptum apostoli, quia reverà est præceptum Christi per apostolum promulgatum.

257. — Quær. II. An si quis post confessionem recordetur alicujus peccati mortalis inculpabiliter oblitus, teneatur ante communionem illud confiteri? Et casus est, quando per dolorem universalem peccatum jam sit indirectè remissum.

Prima sententia inter DD. communissima affirmat, et hanc tenent *Lug. d. 14. num. 126. Suar. d. 66. sect. 5. Pal. p. 11. Bon. p. 1. n. 17. Conc. p. 555. n. 6. Nat. Alex. ar. 2. §. 1.*

Tamb. de Commun. c. 1. §. 8. num. 62. Diana p. 9. tract. 5. r. 4. Croix num. 559. et Salm. de Euch. c. 7. p. 5. n. 50. cum Conc. etc. Ratio, quia id videtur expressè præceptum in *Trid. sess. 15. c. 7.* ex verbis illis suprâ relatis: *Ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Ergò qui ante communionem est conscius peccati obliti, debet ex præfato præcepto illud ante communionem confitèri. Tantò magis, quia tale præceptum sic explicatur ab universali Ecclesie praxi. Excipiunt tamen communiter, ut dicunt *Conc. p. 545. n. 18. Cont. Tourn. loc. cit. post concl. 4. Bon. l. c. n. 48. cum Suar. Conc. Reg. etc. ac Tamb. n. 65. cum Henr. et Vict.* casum, si sine periculo scandali, vel infamie quis non possit confitèri, putâ si celebret, vel sit jam in scamno communicantium, à quo non valeat recedere sine nota. Ille tamen sedulò advertendum cum *Bon. d. 4. q. 6. p. 1. n. 19.* quòd scandalum tunc dicitur, quando datur occasio detrahendi, vel temerè judicandi, non verò quando datur solùm occasio admirationis.

Secunda sententia verò negat, et hanc tenent *Garcia in Sum. tract. 5. diff. 5. dub. 1. part. 5. n. 50. Præpos. q. 80. a. 5. dub. 5. n. 15.* (qui saltem speculativè loquendo eam enixè tuetur) *Hieronymus Ferrantinus de scand. q. 10.* item *Honorius, et Fabri apud Croix n. 559.* ac probabilem putant *Cornejo, et Regin. apud Dian. loc. cit.* atque mordicus eam novissimè tuetur perdoctus *Cont. Tourn. ibid. v. Quær. 2. cum Arriaga, Gibert, et Pontas;* dicens primam sententiam nullâ niti ratione probabili. Seiò quòd *Diana,* qui licèt in seligendis sententiis ut plurimum in benignam partem declinet, et non rarò declinat plus quàm par est, tamen in præsentî quæstione suæ benignitatis oblitus, hanc secundam sententiam omninò improbabilem vocat refertque jussu Inquisitionis Hispanicæ expunctam eam fuisse ab operibus Patris *Cornejo.* Sed hoc non obstante, spectato intrinseco fundamento, hæc sententia (salvo meliori sapientiorum judicio, quibus me submitto) mihi videtur cum *Cont. Tourn.* omninò rationi consentanea. Ratio, quia qui confessionem communioni præmisit, jam implevit præceptum confessionis, vi cujus peccatum obliti jam est indirectè remissum, et pœnitens jam probatus existit. Quamvis autem teneatur ipse peccatum illud deinde

elovibus subjicere ante mortem, vel quando urget præceptum confessionis, minimè tamen constat ex Trident. adesse præceptum, ut statim ante communionem de illo confiteatur. Dices: In concilio jubetur, ut conscius peccati non communice nisi præmissâ confessione, quantumvis sit contritus; ergò qui recordatur peccati obliti ante communionem, debet necessariò illud confitèri. Sed respondetur, quòd in Tridentino ibi tantùm præcipitur, ut pœnitens accedat ad communionem justificatus non per solam contritionem, sed etiam per confessionem; at hic jam est etiam per confessionem justificatus, ideòque non tenetur statim ante communionem iterum confitèri. Praxis autem fidelium, quæ opponitur, non est habenda ut regula certa obligationis, sed potiùs ut pius et laudabilis usus, quem ego etiam quàm maximè, præcis circumstantiis, suadendum puto; nihilominùs illustrissimus, et doctissimus magister meus *D. Julius Torni,* et alius theologus examinador synodalis in urbe Neapoli in re morali valde versatus, cum aliis doctis recentioribus à me consultis, mihi affirmarunt hanc secundam sententiam esse valde probabilem.

Quær. III. An talis pœnitens, qui recordatur peccati mortalis, inculpabiliter obliti in confessione, et qui confitèri vel nequeat vel nolit juxta mox allatam sententiam in præcedenti quæstione teneatur ante communionem actum contritionis elicere? Affirmat *Medina apud Lugo d. 14. n. 121. et à Diana p. 2. tr. 14. r. 48.* citantur pro hac sententia etiam *Reg. Suar. et Grass.* Sed dicunt *Lug. loc. cit., et Escob. l. 20. de Euch. prob. 56.* nequaquam invenisse loca ubi AA. præfati hanc sententiam docuerint. Alii verò, ut *Lugo n. 122. Holzm. t. 1. p. 550. n. 69. Escob. n. 290. cum Præpos. et Gran. ac Cont. Tourn. loc. cit. v. Quær. 5. cum Sylvio, et Quarti,* primam sententiam communiter rejiciunt; hæc quidem nixi ratione, quia homini integrè justificato (ut supponitur) sufficit justificatio sua; nec ullum apparet fundamentum, unde, et ad quid hæc contritio requiratur: non ex præcepto, quia hoc nullibi invenitur præscriptum; non ad delendum peccatum, quia hoc jam deletum est per confessionem antea factam.

258. — « 1. Qui dubitat, an peccarit mortaliter, vel an » mortale sit ritè confessus, tenetur ante communionem

» confitèri. Ita Bon. d. 4. q. 6. p. 1. ex Sanch. Reg. Suar. et
 » aliis (Sed vide dicenda de sacramento poenitentiae n. 474.)
 259. — « 2. Dixi nisi sit necessitas (non quaecumque, v. g.
 » festi celebrietas, vel magna devotio, ut quidam volunt.)
 » (Et ita sentit Armilla; sed oppositum tenendum cum Bus. et
 » Salm. de Euch. c. 7. p. 5. n. 42. cum Suar. Led. Fill. Bonac.
 » et communissima. Sicut neque excusat paupertas sacerdotis
 » celebraturi, nisi esset valde gravis, ut ait Croix num. 555.)
 » sed gravis, sive urgens, qualis esse censetur in sequenti-
 » bus casibus, praemissâ tamen semper contritione; ad quam
 » tunc tenèris, nisi de peccato, quod occurrit, fueris antè
 » contritus. Præp. Card. de Lugo d. 14. sect. 6. n. 152.

260. — « 1. Periculum mortis, vel ut consecratur hostia
 » pro morituro. Suar. Con. Card. de Lugo d. 4. sect. 5. num.
 » 107. » (Cum Conc. p. 545. n. 48. et Cont. Tourn. de Euch.
 » cap. 6. art. 5. concl. 4. v. Dico 2. et Antoine p. 483.) « 2. Si
 » sacrificium, vel communio non possint omitti absque gravi
 » infamia, vel scandalo. Ibidem auct. » (Cum Conc. et Cont.
 » Tourn. ll. cc. modò confessarius desit; vel si confessio ob an-
 » gustiam temporis perfici non possit, ut Tamb. de Comm.
 » c. 1. n. 56. cum Granad. quo casu rectè ait Cont. Tourn.
 » ibid. v. Quæres 1. quòd si infirmus sit in imminente pe-
 » riculo mortis, tunc confessarius audiat peccata graviora, et
 » illum absolvat, impositâ illi obligatione perficiendi confessio-
 » nem, si convaluerit: si verò absit tale periculum, tunc censet
 » Cont. Tourn. quòd sacerdos conetur, ut infirmus eliciat con-
 » tritionem, et det communionem, si sine infamia non possit
 » communicatio omitti. Sed meliùs dicunt Ronc. de pen. c. 5. q. 1.
 » r. 2. et Sporer eod. tit. n. 466. (et Tamb. n. 57. probabile pu-
 » tat) posse tunc dimidiari confessionem, sub eadem obligatione
 » illam postea perficiendi).

261. — « 5. Si parochus debet celebrare ex officio, ut po-
 » pulus Sacrum audiat. Ibid. » (Nec adsit alius qui celebret,
 » ut notant rectè Palaus n. 7. Antoine loc. cit. et Salm. de Euch.
 » c. 7. p. 5. n. 52. Et non possit parochus omittere celebrationem
 » sine infamia.) « Ob quam causam etiam alteri qui non
 » est parochus, id licere putat Dian. cum aliis undecim, p.
 » 9. t. 5. r. 9. contra Palaum, Aversam, etc. » (Qui veriùs con-
 » tradicunt cum Salm. ibid. n. 63. Lugo d. 14. n. 41. et Ronc. qu.
 » 5. quia populus Sacrum non audiendo, tunc minimè peccaret.

» 4. Si urgeat præceptum de annua communione, ut docet
 » Henriq. et probabile putat Præpos. vel si sacerdos non
 » possit audire missam, nisi celebret, ut habent Henriq. et
 » Sot. Dian. r. 65. et 64. nec improbat C. Lug. l. c. Probabi-
 » liùs tamen videntur docere Con. Sa, Suarez et alii, cessante
 » scandalo, et infamiâ. præstare tunc Sacrum, et commu-
 » nionem etiam paschalem intermittere, eò quòd hæc præ-
 » cepta non obligent, quando non possunt implèri conve-
 » nienter juri divino. » (Quoad missam audiendam, licitè
 » posse sacerdotem celebrare. tenent Sylv. et Palud. ac probabile
 » putant Suar. Lugo et Fill. apud Salm. ibid. n. 54. Sed meliùs
 » contradicunt Cont. Tourn. loc. cit. v. 1. Non præponderat,
 » Lugo d. 14. n. 415. Conc. p. 543. n. 26. cum Suar. Laym. et
 » Bon. quia præferendum est præceptum divinum ecclesiastico.
 » Quoad communionem verò Pal. p. 12. n. 7. cum Sot. Palud.
 » etc. de Lugo n. 416. cum Con. Henr. et communi ut asserit,
 » affirmant posse fieri communionem sine confessione; sed ne-
 » gat Cont. Tourn. ibid. v. 2. Nec præpond. et Salm. ibid. n. 55.
 » cum Suarez, et Reginald., quia præceptum annuæ communi-
 » onis non obligat, quando nequit implèri debito modo, Utraque
 » est probabilis).

262. — « 5. Si sacerdos post consecrationem committat mor-
 » tale, vel antè commissi recordetur, tenetur elicita contritione
 » sacrificium proseguere: si verè id fiat ante consecrationem, et
 » præsertim ante canonem, debet confitèri, si absque nota
 » infamiæ potest, vel recedere, ut docent Sylv. Nav. Dian.
 » et alii contra Sot. et Henriq. qui negant tenèri, ob hono-
 » rem sacrificii; putantque practicè esse probabile Laym. et
 » Bon., eò quòd vix sine aliqua nota confessio decenter fieri
 » posset; nisi fortè in missa solemni, sub cantu, vel con-
 » cione: quo casu tenebitur confitèri, ut notat Sylv. Quòd
 » si verò nec contritionem possit elicere, secundum commu-
 » nem sententiam esset confitendum, vel desistendum:
 » licèt Vasq. in 5. p. t. 5. d. 207. n. 5. et Hurt. de Euch. d. 8.
 » putent probabile esse saltem non peccatum mortaliter,
 » quando non potest sine nota recedere; intellige, si cona-
 » tius sit elicere, vel fecit, quod potuit. Vide Dian. p. 4. t. 4.
 » r. 98. Card. de Lugo d. 9. s. 2. n. 8. ubi idem docet. Notat
 » autem Dian. ex Præpos. satis esse, si quis bonâ fide putet
 » se esse contritum, licèt subdubitet.

Hic dubitatur 1. An sacerdos qui inter celebrandum recordatur peccati mortalis, teneatur ante consecrationem, et præsertim ante canonem interrumpere missam, accersendo confessarium, ut confiteatur si possit sine nota? Negant *Leand. et alii apud Dian. p. 3. tract. 4. r. 77.* et dicunt sufficere ut coneratur, quia præceptum præmittendæ confessionis intelligendum videtur ante communionem inchoatam; non enim decet sacrificium inceptum abrumpere. Sed meliùs distinguunt *cum Bus. Suar. d. 67. sect. 4. Lugo d. 14. n. 115. Pal. p. 12. n. 7. cum Vasq. et Bon. et Salm. de Euch. c. 7. p. 5. n. 49. et 50. cum Coninck et aliis multis*, et dicunt quòd si sacerdos recordetur peccati post consecrationem, tunc missa non est interrumpenda, ut docet etiam *D. Th. 3. p. qu. 85. art. 6. ad 2.* et expressum habetur in *Rubr. de Defect. t. 8. n. 4.* Si verò recordetur ante consecrationem, et præsertim ante canonem, tunc debet confitèri, si possit; quia, cum talis pars sit extrinseca sacrificio, benè potest missa interrumpi ob hanc rationabilem causam, uti fieri solet etiam ob concionem vel oblationes populi.

Dubitatur 2. An sacerdos eo casu ante consecrationem, si nequeat confitèri, teneatur etiam missam deserere? Negant *Pal. l. c. Suar. d. sect. 4. cum S. Bon. Vict. etc. ac Nav. c. 25. n. 76.* ubi ait, quòd sacerdos peccatum advertens post inchoatam missam, non debet desistere, etiamsi absque scandalo posset. Ratio, quia licèt illa prior pars non sit de substantia sacrificii, est tamen ex institutione conjuncta sacrificio per modum unius actionis sacræ; et ideò, postquam est inchoata, debet absolvi. Sed probabiliùs affirmant *Lugo d. 14. n. 115. et Cont. Tourn. de Euch. cap. 6. art. 5. concl. 4. cum Sylvest. Sylvio, etc. ac D. Th. 3. p. q. 85. art. 6. ad 2.* ubi dicit hanc opinionem esse tutiorem. Idque confirmat Rubrica (3. p. tit. 8. n. 4. et 5.) ubi sic habetur: *Si ante consecrationem recordetur sacerdos se esse in peccato mortali, aut se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, si non timetur scandalum, debet missam inceptam deserere. Dixi probabiliùs, non certè, nam certum non est, an Rubrica sub verbo debet imponat præceptum grave. Cæterùm, benè advertunt Cont. Tourn. et Pal. loc. cit. cum Vasq. et Laym. quòd eo casu vix nota infamiæ vitari poterit.*

263. — « 6. Si in scamno communicantium recorderis peccati mortalis, quod oblitus es confiteri, nec sine nota aut scandalo gravi possis recedere, ut habent *Nav. Fill. Reg. Card. de Lugo l. c. n. 112. et alii.* » (*Cum Salm. de Euch. c. 7. p. 5. n. 47. et comm. Vide dicta n. 258.*) « Porrigenti autem Eucharistiam confitèri non expedit, nec de cetero, quo casu, etiamsi ne possis quidem elicere contritionem, excusat à peccato *Hurt. l. c.* » (*Modò coneris conteri ut Vasq. Lugo, etc. ap. Croix n. 517. Sed vide dicta hoc lib. 6. n. 53.*) « Imò quidam DD. apud *Henr.* excusant lætiam cum antè confessum, etiam præcisà notà, et scandalo, non recedentem; eò quòd is dicatur justificatus, et probatus per confessionem. Quam sententiam probat *Tambur. in exp. com. c. 1. §. 8.* potestque servire pro scrupulosis. Vide *Regin. lib. 29. n. 103. Bon. d. 4. p. 10. Escob. t. 7. c. 6.* » (*Vide dicta n. 257.*)

264. — « Dixi 3. Et desit confessarius; deesse autem censetur, non ut quidam volunt, si absit is, cui solet, et cuperet confitèri, vel cui devotiùs, aut utiliùs confitèri peccata gravia, cum aliqua infamia religionis. *Amicus, Dian. p. 9. t. 5. r. 15.* sed in sequentibus casibus: « 1. Si nullus sit præsens, absentem verò sine magna difficultate (spectatà tum debilitate, ætate, et negotiis personæ, tum aliis circumstantiis, ut aëris, brevitatis temporis) adire non possis. *Bon. loc. cit. n. 50. ex Suar. Con. etc.* » (*Hinc quodcumque grave incommodum excusat. Salm. de Euch. c. 7. p. 5. n. 52. cum Pal. Vasq. et aliis passim. Excusare etiam distantiam confessarii causà itineris duarum horarum, dicit Gobat cum Marchantio; Rhodes unam leucam, id est tria milliaria; Canus autem ait sufficere iter quinque quadrantium; ita apud Croix num. 554. qui rectè ait cum Aversa, et Dic. hoc judicandum ex circumstantiis; inde ait Pal. p. 12. n. 6. quòd aliquando, spectatà imbecillitate sacerdotis, et brevitate temporis in quo celebrare debet, poterit excusare adhuc distantia 50 passuum.*)

« 2. Si non adsit, nisi ignarus idiomatis, vel carens jurisdictione vel excommunicatus, vel non approbatus, vel cui non possis confitèri sine gravi damno tuo, vel alieno, vel si habeas peccatum tantùm reservatum, nec pateat aditus

» ad superiorem; vel superior semel iterumque per pium
 » confessarium rogatus negaverit potestatem absolvendi.
 » *Tamb. in exped. com. c. 1. §. 6. ex Fag.* Limitat autem
 » *Dian. p. 9. t. 5. r. 13.* si absque gravi nota prætermittere
 » non possis. Ita *Sylv. et alii.* Requiritur tamen in his etiam
 » casibus contritio, et propositum confitendi: imò ex præ-
 » cepto *Trid.* sacerdos, qui in tali casu celebravit, tenetur
 » primà occasione confitèri. Quod præceptum extendendum
 » non videtur ad laicos, vel sacerdotes communicantes tan-
 » tum, ut contra *Nav. et Fagund.* docent *Sylv; Dian. et Bon.*
 » *d. 5. q. 6. p. 1.*

265. — Hic plures oportet quæstiones enucleare. Quær. I.
 An qui habet peccatum reservatum, et non habet copiam
 confessarii habentis facultatem, teneatur confitèri apud in-
 ferioiorem, ut possit communicare? Si iste nullum aliud mor-
 tale habeat nisi reservatum, conveniunt DD. non tenèri ad
 confessionem, sed sufficere ut conteratur; ita *Lugo de Euch.*
d. 14. n. 87. in fin. Bon. cod. tit. d. 6. p. 1. n. 51. Pal. p.
12. n. 6. Elb. t. 3. p. 94. n. 102. Suar. 5. p. d. 65. sect. 4. q.
80. art. 5. cum Palud. Arm. et Adria. ac Salm. de Euch. c. 7.
p. 5. n. 57. cum Con. Reg. et Led. Censent tamen Lugo, et
Bon. ll. cc. cum Suar. Bon. Nugno, et Reg. quòd eo casu
 sacerdos advertens se non habere contritionem, sed solum
 attritionem, tunc tenetur confitèri venialia quæ habet, vel
 mortale aliàs confessum, ut sic à reservato saltem indirectè
 absolvatur, et in statu gratiæ communicet, (et hoc proba-
 bilius est juxta sententiam mox dicendam). Imò docet *Lugo*
n. 105. quòd hoc poterit semper facere, etiamsi habeat con-
 tritionem, ut securius Eucharistiam recipiat. Sed quid, si
 hic habeat simul mortalia reservata, et non reservata?

Prima sententia negat tenèri ad confessionem, et dicit
 posse hunc communicare, præmissà tantum contritione; ita
Vasq. t. 4. q. 91. art. 5. dub. 9. Cont. Tourn. de Euch. cap.
6. art. 5. concl. 4. v. Hinc. 2. item Gerson. et Ales. ap. Lugo
loc. cit. Sylv. et Rich. apud Dian. p. 5. tr. 4. r. 104. item
Armill. Præp. Trull. etc. ap. Viva de Euch. q. 4. art. 7. n.
6. et merilo hanc probabilem vocant Suar. d. 66. sect. 4. §.
Quartus. Pal. et Fill. apud Viva loco citato. Ratio, quia
 confessio illa apud inferiorem esset invalida, cum fieret
 judici non competenti, qui ob peccata reservata, quibus

gravatur pœnitens, caret omni potestate super illo; unde
 sicut non potest dividi absolutio ad remittendum unum pec-
 catum sine alio. ita nec confessio.

Secunda sententia verò probabilior, et communissima,
 quam tenent *Suar. Pal. Viva ll. cc. Conc. t. 8. p. 548. n.*
52. Lugo n. 87. qui communem vocat, et *Salm. de Euch. p. 5.*
c. 7. n. 56. cum Con. Reg. Led. et communi. ut etiam asse-
 runt, docet hunc omnino tenèri ad confessionem. Ratio, quia,
 cum urgeat præceptum divinum præmittendi confessionem
 communioni, debet fieri confessio saltem formaliter integra,
 si non possit fieri integra materialiter.

Quær. II. An hic præmittendo confessionem, teneatur con-
 fitèri tam mortalia non reservata, quam reservata?

Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Suar. Viva,*
Conc. Bonac. et Salm. ll. cc. cum Fill. Nugno. Soto, et
 hanc esse satis communem fatetur *Lugo n. 87.* Nullam ta-
 men præfati AA. rationem pro hac sententia præbent; sed
 videtur hæc assignari posse, nempe quia confessarius debet
 agnoscere totam pœnitentis conscientiam, ut debitum formet
 judicium, an ille sit capax absolutionis, vel non, fortè quia
 est recidivus in reservatis.

Secunda sententia verò non minus probabilis, imò fortè
 probabilior, negat hunc tenèri per se ad confessionem re-
 servatorum; et hanc tenent *Pal. p. 12. n. 6. Elbel n. 102.*
 item *Gerson, Alens. et Castrop. ap. Lugo d. 14. num. 86.* qui
 probabilem censet cum *Major, Petr. Soto, S. Ant. Led. et*
Salas. Ratio, tum quia aliàs hic teneretur his peccata illa
 reservata confitèri, primò inferiori, deinceps superiori; tum
 quia, ut supra dictum est, nulla videtur esse obligatio con-
 fitendi peccata illa, super quibus confessarius nequit esse
 iudex, cum nullam super eis jurisdictionem habeat. Dixi per
 se, non dubito enim quin talis pœnitens aliquando, putà
 (ut diximus) si sit recidivus in reservatis, vel in occasione
 proxima recidendi, teneatur etiam reservata inferiori ape-
 riri, ut confessarius de sua dispositione rectè possit iudi-
 care, sed hoc esset quidem per accidens, non autem per se,
 sive ex obligatione integritatis confessionis, cum eo casu bene
 sufficiat integritas formalis.

Quær. III. Quid si pœnitens habeat excommunicationem
 reservatam? Alii, ut *Sot. Sylv. Covar. et Rosell. apud Lug-*
Tom. VI.

d. 14. n. 99. dicunt hunc extra mortis articulum nunquam posse communicare. Sed communiter contradicunt *Suar. t. 4. d. 51. sect. 5. n. 6. Lug. n. 100. et Conin. d. 8. num. 107.* ac rectè censent, eum benè posse Eucharistiam recipere, urgente scandalo, vel notà infamiae. Ratio, quia præceptum Ecclesiae prohibens excommunicatis suscipere sacramenta, non obligat concurrente præcepto naturali vitandi scandalum, vel non obligat cum tanto incommodo perferendi infamiam. Sed dubium superest, an excommunicatus possit tunc confitèri non habenti facultatem super excommunicationem?

Prima sententia negat, et hanc tenent *Vasq. et Sylv. apud Lugo n. 103. item Sotus, Canus, et Led. ap. Suar. l. c. n. 1.* ac probabilem putant *Lug. n. 102. Salm. de Euch. c. 7. p. 3. n. 58. et Dian. p. 4. tr. 5. r. 104. cum Palud. S. Anton. Sylvest. Gabr. et Megala.* Hunc dicunt posse quidem communicare, præmissà contritione, licèt habeat alia peccata mortalia non reservata; non posse tamen confitèri, cum sit innodatus excommunicatione, quæ ipsi interdicit à susceptione sacramenti pœnitentiæ.

Hæc est probabilis, sed probabilior est *secunda sententia* affirmans, quam tenent *Lugo d. n. 102. Sanch. Dec. l. 2. c. 8. n. 5. Suar. l. c. n. 6. cum Ang. et Salm. cit. n. 58. cum Conin.* Ratio, quia eo casu excommunicatio, sicut non privat susceptione Eucharistiæ, ita nec pœnitentiæ, quæ debet suscipi cum possit, ut servetur divinum præceptum præmittendæ confessionis ad communionem. Rectè autem probant *Suar. Sanch. Lugo, et Salm. ll. cc.* validè posse aliquem à peccato absolvi, non præmissà absolute à censura: ratio, ut benè ait *Suar.*, quia prohibitio Ecclesiae, ne excommunicatus sacramenta recipiat, non potest irritare sacramenti valorem, qui pendet à jure divino. In tantum enim excommunicatus invalidè reciperet sacramentum pœnitentiæ, in quantum, stante prohibitione Ecclesiae, accederet indispositus; sed quando urget necessitas, hæc benè ipsum eximit pro illo tunc à prohibitione Ecclesiae, unde validè tunc et licitè pœnitentiam suscipit.

266. — Quær. IV. Quomodo intelligendum præceptum illud à Trid. sacerdotibus impositum, confitendi quamprimum? In conc. Trid. sess. 15. c. 7. sic habetur: *Nullus sibi conscius*

mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod à christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incumberet celebrare, hæc S. Synodus perpetuò servandum esse decrevit, modò non desit illis copia confessoris. Quòd si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. Damnata autem fuit ab *Alex. VII. prop. 58.* quæ dicebat: *Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.*

Posito igitur hoc præcepto concilii, dubitatur quomodo illud quamprimum intelligendum? Damnata quidem fuit ab eodem *Alex. VII. prop. 59.* ubi dicebatur: *Illam particulam quamprimum intelligitur cum sacerdos suo tempore confitebitur.* Alii verò, ut *Molfes. etc. apud Dian. p. 9. tr. 5. res. 25.* dicebant intelligi, cum primum talis sacerdos celebraverit: sed hæc opinio est omninò improbabilis, ut benè ajunt *Escob. de Euch. nu. 512. Croix l. 6. p. 1. n. 545. et Diana l. c.*, quia tunc ipse ratione ipsius celebrationis teneretur ad confessionem, sed Tridentinum, præcisà celebratione, præceptum confitendi quamprimum imponit. Alii autem è converso censent intelligi statim ac cesset necessitas, et sacerdos commodè possit ad confessarium accedere, adhuc in ipsa die celebrationis; ita *Wigandt tr. 11. n. 59. Conc. p. 548. n. 55. et Sancius ap. Dian. l. c.* hancque opinionem uti tutiorem amplectitur *Cont. Tourn. cap. 6. art. 5. concl. 4. q. 6.* Sed meliùs *P. Milante* cum communi DD. ut ait, in *dict. prop. 59. Lugo d. 14. n. 165. Dian. l. c., cum Garcia, Coninch. et Candido, Escob. dict. n. 512. cum Zerola, Viva in ead. prop. n. 5. cum Trull. et Bassæo, ac Croix n. 545.* qui assert de hoc S. C. declarationem, dicunt sufficere, si sacerdos intra triduum confiteatur: pariter ac in *c. Eos qui, de sentent. excomm. in 6.* præcipitur, ut ii qui in articulo mortis absolventur ab excommunicatione reservata, teneantur cum convaluerint se præsentare ad superiorem, quàm citò commodè poterunt, aliàs reincident in eandem censuram; et hoc non obstante (ut ajunt *Lugo, Milante, et Garcia*), non judicantur reincidente, si intra triduum se præsentant. Sic etiam *Sanch. Dec. l. 2. c. 10. n. 55. cum Ugolino, et Sayro, diei*

præceptum deferendi libros hæreticorum ad inquisitores non violare graviter eum, qui per biduum illos retinet. Ratio autem intrinseca mihi videtur; quia, cum hoc præceptum sit tantum ecclesiasticum (ut bene probat *Suar. d. 66. s. 6.*), non censetur Ecclesia velle ad illud obligare eum tanto rigore; unde illud *quamprimum* moraliter debet intelligi, prout intelligitur in aliis legibus humanis, nempe in *l. fin. c. de judic. et l. fin. c. de err. advoc.* ubi verbum *statim*, *quamprimum*, *continuo*, aut simile, ut interpretantur *Bald. Felin. Mendos. ap. Milante*, bene extenditur ad spatium trium dierum. Communiter tamen dicunt *Lugo n. 162. et 165. Viva n. 6. Milante, et Diana ll. cc. cum Garcia, et Candido*, quòd aliquando per accidens ex tali præcepto sacerdos ille teneretur confitèri eadem die, et fortè eadem horâ, putâ si tunc confessarium haberet, quo postea per plures dies carebit, vel si eras eadem necessitas urgeret celebrandi, nec posset confitèri.

Quær. V. An teneatur confitèri *quamprimum* sacerdos sacrilegè celebrans, qui non habet necessitatem, vel qui stante necessitate habet tamen copiam confessarii? Affirmant *Sylvius, et alii apud Croix n. 546.* Sed communissimè, et veriùs negant *Suar. d. 66. sect. 7. Lugo d. 14. num. 130. D'ana p. 9. tr. 2. res. 26. cum Granad. Fill. Nugno etc. item Vasq. Sayr. March. Dic. Aversa, Gob. Pell. etc. apud. Croix l. c. et serè communis sententia ut testatur Moya q. 6. §. 4.* Ratio, quia præceptum Tridentini ordinatum est ad metum inveniendum iis, qui prætextu necessitatis differunt confessionem, non autem sacrilegè celebrantibus, quibus præceptum hoc valde rarò esset profuturum: illi enim qui, contempto præcepto divino, audent in peccato scienter celebrare, faciliùs ecclesiasticum contemnent præceptum. Bene autem docet *Lugo Resp. mor. l. 4. d. 47. n. 5.* quòd in præceptis positivis non valet argumentum de minori ad majus, quando minus in majori non continetur, prout est in nostro casu, in quo præcepta sunt disparata. Rectè tamen advertit *Lugo d. 14. n. 130.* quòd si talis sacerdos ex necessitate, omisâ contritione, celebraret, utique teneretur ad confitendum *quamprimum*, quia præceptum Tridentini minimè distinguit inter sacerdotem habentem, vel non habentem contritionem, sed loquitur de quocumque sacerdote ex necessitate celebrante.

Hoc verò puto intelligendum (quidquid dicat *Croix l. c.*) tantum de eo, qui ante celebrationem non habuit copiam confessarii; nam si habuerit, primus quidem recurrit casus, in quo ille verè sacrilegè, et sine necessitate celebraret.

267. — Quær. VI. An teneatur confitèri *quamprimum* celebrans post confessionem, in qua inculpabiliter oblitus est alienus mortalis? Resp. si meminerit post celebrationem, utique non tenetur, ut rectè docent *Suar. dist. 66. sect. 7. v. Secundo et Mare. Gob. et Dic. apud Croix n. 547.* Imò hoc probabiliter admittunt *Bon. Avers. et Leand. ibid.* etiamsi in missa post communionem recordetur mortalis; quia reverà nec iste celebrasset conscius peccati, ut loquitur Tridentinum. Si verò meminerit ante celebrationem, sed post confessionem, dicunt tenèri tunc ad præceptum confitendi *quamprimum* *Suar. l. c. et alii plurimi cum Lug. Dic. Pell. etc. apud Croix l. c.* Sed *Croix* meritò oppositam sententiam putat probabilem, quia hic reverà non potest dici celebrasse conscius peccati sine prævia confessione. Vide omninò de hoc dicta n. 237.

Quær. VII. An sacerdos, qui post consecrationem recordatur peccati obliti, nullâ præmissâ confessione, teneatur confitèri *quamprimum*? Affirmant *Suar. cit. sect. 7. et Bon. Regin. Molf. Megala, etc. apud Dian. ut refert Lugo d. 14. n. 140.* Ratio, quia tunc verè accidit casus, in quo urget præceptum Tridentini, tunc enim sacerdos jam celebrat conscius peccati in necessitate, et sine confessione. Sed negant *Vasq. Diana, et Præpos. apud Lug. n. 141. ac Pell. ap. Croix n. 548.* et meritò probabile putat *Lugo n. 144. et 146.* Quia in *Rub. tit. 8. num. 5.* dicitur quòd sacerdos, qui ante missam recordatur peccati, et celebrat ex necessitate non habens copiam confessarii, tenetur postea confitèri cum primùm, sed de eo, qui meminit peccati post consecrationem, loquens *Rubr. n. 4.* dicit: *Conteratur cum proposito confitendi*, ab-que eo quòd adjungatur *cum primùm.*

268. — Quæritur VIII. An præfatum præceptum Tridentini confitendi *quamprimum*, obliget etiam laicos?

Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Nararr. apud Lugo d. 14. n. 158. Conc. p. 541. num. 15. et Cont. Tourn. de Euch. cap. 6. art. 5. concl. 4. v. Quær. 5. cum Azor, Henr. et Sa.* Quia, ut dicunt, eadem ratio valet in laicis, quàm in

sacerdotibus, ubi enim eadem ratio currit, eadem currit legis dispositio.

Secunda sententia verò communissima, et satis probabilis negat. et eam tenent *Suar. d. 66. sect. 7. Lug. n. 159.* qui asserit oppositam communiter rejici. *Wigandt tr. 12. n. 52. r. 5. Milante in prop. 15. Alex. VII. Pal. p. 12. p. 9. Elbel p. 95. n. 105.* qui asserit communem. *Roncag. tr. 18. qu. 1. r. 5. r. 2. cum Candido, Aversa, et Diana, Escob. l. 20. num. 92. cum Vasq. Con. etc. item Laym. Bon. Fill. etc. apud Conc. l. c.* Ratio, tum quia prædicta regula ex paritate rationis currit quidem in correlativis, æquiparatis, vel connexis, non autem hic, tantò magis quia sumus in odiosis, juxta dicta in *lib. 1. num. 200. v. Queritur*; tum quia differt ratio sacerdotum, et laicorum. In sacerdotibus enim qui (genericè loquendo) frequentius communicant quàm laici, facilius occurrit necessitas communicandi sine confessione, ideòque facilius prætextu hujus necessitatis sacerdotes prætermisâ confessione celebrarent. Idque confirmat *Wigandt* auctoritate *santi Thomæ*, qui dicit in eo, cui deest copia confessarii, & communis necessitas urget, requiri propositum confitendi, et satisfaciendi, nihil addens de obligatione statim postea confitendi. Ex quo rectè inferunt idem *Wig. et Lugo n. 159. cum Suar. etc.* quòd si sacerdos in necessitate sine confessione more laicorum communicaret, non teneretur statim confitèri, secùs verò (addunt) si deberet complère sacrificium ab alio inceptum: vel si officium perageret die Parasceves, quia etsi tunc non diceret propriè missam, diceretur tamen simpliciter celebrare, ut loquitur *Rubr. Miss. de illo die.*

269. — Hic ultimò refert adnotare, quinam sint effectus Eucharistiae. Effectus I. præcipuus est conferre augmentum gratiæ, ut patet ex concilio Florentino, et Tridentino *sess. 15. c. 2.* Et aliquando per accidens conferre etiam primam gratiam, nempe si quis ignorans esse in peccato mortali, vel credens habère contritionem, accedit ad communionem cum sola attritione; tunc de attrito fit contritus. Ita *S. Th. p. 5. qu. 72. art. 7. ad 2. et qu. 79. art. 5. Ronc. de Euch. c. 7. quæst. 1. Salm. de Sacram. in gen. c. 5. p. 2. n. 12. cum Scoto, Suarez, Tol. et ferè communi (contra Lug. Vasq. etc.)* Quia de ratione generica sacramentorum est, ut gratiam con-

ferant supernaturali dolore dispositis, et obicem non ponentibus. (*Vide dicta in hoc l. 6. n. 6.*)

Effectus II. Eucharistiæ est remittere venialia, ut docet *S. Th. p. 5. q. 79. art. 4.* cum communi ex *Trid. sess. 15. c. 2.* ubi dicitur, hoc sacramentum esse *antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, et à peccatis mortalibus præservamur.* Et dicunt *Salm. de Euch. c. 6. p. 2. n. 25. cum S. Th. d. art. 4. Pal. Bon. Con. Cornejo,* remitti venialia (modò non habeatur de eis complacentia) ex vi hujus sacramenti, non solum mediante actu charitatis, quem hoc sacramentum excitat, verùm etiam immediatè ex opere operato per infusionem gratiæ nutrientis, et restaurantis damna. quæ ex venialibus nobis sequuntur. Pro hac sententia *Salm.* citant *D. Th. 5. p. q. 79. art. 4.* sed non benè, nam ibi *S. Doctor* sic ait: *Res autem (scil. effectus) sacramenti est charitas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc sacramento, per quem peccata venialia solvantur.* Unde melius addit *Cont. Tourn. cap. 8. concl. 5. v. Tria hic annotanda*, hoc sacramentum non immediatè, sed tantum mediatè per actum charitatis remittere venialia.

Effectus III. est præservare à mortalibus per auxilium gratiæ sacramentalis, quâ excitatur devotio, fortius resistitur tentationibus, fugantur demones, etc. ut docet *S. Cyrillus.* Imò asserunt *Salm. de Euch. c. 6. p. 2. n. 50. cum Montesin.* Eucharistiam conferre divinam etiam externam protectionem, quâ Deus non permittet, ut homo versetur in occasionibus. in quibus prævidet Deus illum casurum. Effectus IV. est remittere pœnam temporalem debitam pro peccatis; hoc autem non directè, sed indirectè ratione actuum charitatis, qui per sacramentum excitantur, ut docet *S. Th. p. 5. qu. 79. art. 5. cum Salm. ibid. n. 51. et Conc. p. 550. n. 7.* Effectus V. est actualis dulcedo spiritualis, qui effectus est quidem infallibilis, si non impeditur ex parte subjecti: consistit autem hæc suavitas in promptitudine voluntatis ad res divinas hilari animo peragendas. Effectus VI. est unio specialis cum Christo, et membris ejus. ex *Joann. c. 6. v. 7. In me manet, et ego in illo.* Effectus VII. est adeptio gloriæ: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Alios etiam effectus habet hoc sacramentum erga corpus, ut tenent *Lugo, Pal. et Suar. cum Salm. ib. n. 56.* scilicet diminuendi fomitem concu-

piscentiæ, excitandi bonas imaginationes, ipsum corpus sanctificandi, corpori tribuendi resurrectionem, et gloriam. Valde autem probabile est, species consecratas, quamdiu sunt in stomacho, majores gratias causare, majori dispositione accedente, ut *Croix* n. 524. cum *Con. Suar. Cuj. Val. Lugo. Vide dicta* n. 227.

270. — Quær. I. An accedere ad Eucharistiam cum peccato veniali habituali, sit novum veniale? Affirmant *Laym. tr. 4. c. 6. n. 5. et Conc. ac Div. apud Salm. tr. cit. c. 7. p. 2. n. 20.* Probabiliter verò negant *Sotus. Sa. Vasq. etc.* cum iisdem *Salm. ibid. n. 21.* Ratio, tum quia hæc potius esset deficientia perfectæ reverentiæ, quam positiva irreverentia: tum quia ipsa voluntas recipiendi Eucharistiam, et ejus effectum est quedam virtualis venialium detestatio, quâ culpæ remouentur, ita ut ipsæ minimè sacramenti fructum impediunt.

Quæritur II. An qui communicat cum peccato veniali actuali, peccat venialiter, et fructum sacramenti amittat? Quando culpa afficit ipsam communionem, patè eum quis communicat ob inanem gloriam vel alium finem venialem, nemo dubitat quin venialiter etiam peccet, ut dicunt tanquam certum *Salm. de Euch. c. 7. p. 2. n. 22. et Tamb. Meth. Com. c. 1. §. 4. n. 9.* Dubium est, an peccet venialiter, qui communicat cum actuali vel virtuali affectu peccandi venialiter, vel cum veniali concomitante, putà cum voluntaria distractione, vel proferendo verba otiosa, et simili? Negant *Vasq. Sa. Leand. etc. apud Croix l. 6. p. 1. n. 522.* et probabile putat *Tamb. l. c.* Verius tamen affirmant eum communi *Suar. d. 66. s. 1. v. Dicendum, Lugo d. 14. n. 51. Salm. ibid. n. 25. cum Fill. et Reg. ac Croix l. c. cum Laym. Tann. Rodrig. Gob. etc. ex D. Aug. relato in c. Quotidie de consecr. dist. 2.* qui dicit: *Num habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari.* Ratio, quia talis communicans positivam irrogat injuriam sacramento. Hoc quoad culpam: quoad fructum verò sive effectum sacramenti, alii dicunt quòd accedens sine actuali dispositione (quæ consistit in exclusione culpæ venialis in actu communionis, et in aliquo pio devotionis motu), nullum recipit fructum sacramenti; et ita tenent *S. Th. in 4. d. 12. q. 2. art. 1. q. 5. Cuj. in 5. p. qu. 78. art. 1. Petrocor. t. 3. p. 26. v. Prænotandum;* item *S. Bonav. S. Anton. Alens. et*

Durand. apud Cont. Tourn. cap. 8. concl. 5. v. Affirmant. Idque probant, tum ex *D. August. Sermon. 15. de verb. apost. ubi: Non justificat (Deus) non quasi dormientes, non quasi ut non conentur, non quasi ut non velimus. Qui fecit te sine te, non te justificat sine te.* Tum propter experientiam, quæ observantur plures sacerdotes quotidie celebrare in statu gratiæ, et tamen nihil proficere. Sed alii communis ajunt, talem non privari omni fructu, ut *Suar. d. 65. se t. 5. Gonet, disp. 8. art. 5. Tourn. Præl. theol. de Euch. qu. 7. con l. 5. v. Quær. 1. r. 5. Lugo d. 14. n. 56. cum Sylvo. Soto, Vasq. Led. et aliis communiter* ut asserit. Nec dubitandum, quin *D. Thomas* mut verit sententiam in 5. p. q. 79. a. 8. ubi expressè docet, quòd licet qui communicat cum veniali concomitante communionem, v. gr. cum voluntaria distractione, non recipiat actualem refectionem spiritualis dulcedinis, tamen recipit *augmentum habitualis gratiæ, vel charitatis.* Hæc sententia est quidem longè communior, sed prima non videtur improbabilis.

ARTICULUS II.

Quæ requiratur dispositio corporis?

- 271 An pollutio, et actus conjugalis impediunt à communione?
 272 Qu. I. Quid si pollutio fuerit voluntaria? Et quid si involuntaria?
 273 Qu. II. An semper sit veniale accedere ad Eucharistiam post copulam conjugalem?
 274 Qu. III. An conjux reddens debitum teneatur eâ die abstinere à communione?
 275 An macula externa, ut lepra, etc. impediatur à communione, et an à celebratione? An menstrua? An latio armorum?
 276 An sacerdos communicans extra missam debeat esse stultus indutus?
 277 De jejunio naturali ad communionem prærequisito.
 278 Prænot. 1. hoc non esse de præcepto divino. Prænot. 2. non dari in eo parviam materiam. Prænot. 3. tria requiri ad solvendum hoc jejunium, ex tribus regulis, videlicet:
 279 Regula I. Ut res sumatur ab extrinseco. Dub. I. An frangat jejunium voluntaria trajectio reliquiarum cibi? Dub. 2.

- An guttulæ aquæ commixtæ cum saliva, aut jusculi degustati? An saccharum ante mediam noctem in ore immisum? An aqua hausta à lipso in flumen? An sanguis haustus edigito? Quid si defluat è capite?
- 280 Regula II. Ut res sumatur ad modum comestionis, aut potationis. Dub. 1. An frangat jejuniū pulvis tabaci sumptus per nares. Dub. 2. An fumus tabaci. Dub. 3. An tabaci folia, vel aromata dentibus contrita?
- 281 Regula III. Ut sumatur res habens rationem cibi, aut potus. Hinc queritur, an solvat jejuniū comestio capillorum, lanæ, ligni, chartæ, lapillorum, cretæ, et similibus?
- 282 An liceat sibi sicuti ultimum in horologia? Et quid si quis deglutiat cibum post primum ictum? An in dubio soluti jejuniū liceat communicare?
- 283 An sit peccatum sumere cibum, vel expuere statim post communionem?
- 284 In quibus casibus possit quis communicare non jejunos?
- 285 An liceat iterum dare viaticum infirmo non jejuno? Dub. 1. Quanto tempore una communicatio debeat ab alia distare? Dub. 2. An qui communicaverit paucis ante diebus ex devotione, teneatur, adveniente periculo mortis, sumere Viaticum? Dub. 3. An qui manè communionem receperit? Dub. 4. An sacerdos possit aliquando omittere verba: Accipe Viaticum, etc.
- 286 An sacerdos possit celebrare non jejunos ad dandum alteri Viaticum? An ad dandum sibi ipsi?
- 287 An liceat communicare post cibum, ne Eucharistia pereat, aut malè tractetur? An ad vitandum scandalum?
- 288 An ad perficiendum sacrificium, vel communionem?
- 289 An ad vitandam mortem? An liceat communicare ante somnum, vel digestionem?

271. — **R**ESP. Nulla corporis macula per se impedit susceptionem Eucharistiae, cum parum faciat ad bonitatem, vel malitiam moralem; potest tamen aliquando per accidens impedire, propter effectus secutos. Ita comm.

Unde resolves:

« 1. Non impedit pollutio involuntaria, imò nec voluntaria per pœnitentiam expiata, nisi effectum malignum, v. g. turpem recollectionem, ac delectationem, vel distractionem, et perturbationem animi relinquat: eo enim

casu, uti et semper post culpabilem, præstat, ac secundum sententiam communem sub veniali debet differri, nisi aliquid suadeat justa aliqua causa. v. g. magnus fructus festivitatis, regula ordinis: vel si à demone excitata putetur, ad communionis frequentiam impediendam. Sanch. lib. 9. de matr. d. 15. Bon. d. 4. q. 6. p. 2. Card. de Lugo d. 15. sect. 1.

« 2. Neque actus conjugalis impedit, etsi decens, et consili sit, abstinuisse saltem nocte proximè antecedente, si raro communicet. Ita Fill. et Sanch. l. c. Escob. lib. 7. c. 6. n. 85. Intellige, si debitum petitum ex necessitate reddidit, nec ullam inde animi perturbationem, aut affectum ad res venereas patitur: si verò voluptatis causâ fecisset, eo die abstinendum esse (præsertim si malignus effectus subsequutus fuisset) docent Reg. l. 29. t. 117. Laym. l. 5. t. 4. c. 6. n. 10. et 16. Mart. Perez d. 49. sect. 5. n. 8. addens esse tantum veniale; imò indecentiam justâ causâ posse resarciri. (Vide dicenda hic n. 275. et de matr. n. 950.)

« 3. Similiter, etsi decens et consili sit, sumpta communionem, abstinere eo die à copula, licita nihilominus est ex bono fine; v. g. ex amore prolis, ad evitandum incontinentiæ periculum, vel ad debitum reddendum. Tamb. cap. 5. §. 6. ex Sanchez lib. 9. d. 15. et March.

272. — Quæres I. An pollutio semper impediatur à communionem? Hic distinguendum inter pollutionem voluntariam, et involuntariam. Si fuerit voluntaria, dicunt Navar. et alii apud Leandr. esse peccatum mortale, statim post illam ad Eucharistiam accedere, quamvis contritio et confessio præcesserint. Sed id negat communis sententia cum Lugo d. 15. n. 1. (ubi refert Navarrum in posteriori editione mutasse sententiam) Habert t. 5. p. 371. v. Porro. Nat. Alex. a. 2. §. 2. n. 11. Conc. t. 8. p. 567. n. 18. et alii passim. Cæterum (quidquid dicant Azor, Con. et Trull. apud Dian. p. 5. tract. 4. r. 50.) communiter docent DD. saltem sub veniali teneri hujusmodi pœnitentem abstinere eâ die à communionem propter reverentiam tanto sacramento debitam. Ita Lugo l. c. n. 4. (qui oppositam opinionem vocat falsam), Conc. l. c. Salm. de Euch. c. 7. p. 4. n. 59. Bonac. p. 2. n. 4. Viva qu. 4. a. 8. n. 5. ex D. Thoma in 4. d. 7. q. 1. a. 4. q. 2. ad 2. qui docuit: Non esse consulendum alicui, quòd statim post peccatum

mortale etiam contritus et confessus ad Eucharistiam accederet. sed deberet, nisi magna necessitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere. Et patet etiam ex *can. Testamentum* l. dist. 6. ubi *D. Gregorius* scribens ad *August.* Anglorum Episcopum, et loquens de tali pœnitente dicit, eum à sacro mysterio eà die abstinere oportet. Hoc tamen intelligendum, ut dicunt *Salm. cit. n. 59. prope fin. Viva n. 5. et Bon. d. 4. qu. 6. cum Henr. Gran. Led. Nugno. et aliis passim*, nisi scandalum vel alia justa causa exigat communionem. prout prudenti confessario videtur, ut dicitur in *Rubr. Missal. de defectu n. 9.* Ille autem notanda est prop. 22. damnata ab *Alex. VIII.* quæ dicebat: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem præterdunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.* Hoc tamen non obstante, bene poterit confessarius, si expedire iudicabit, magno peccatori aliquando susceptionem Eucharistiæ differre, sicut etiam disposito potest quandoque differre absolutionem. ut constantiam ejus experiatur, vel ad horrorem inveniendum adversus aliquod enorme peccatum, ut rectè ajunt *Viva in d. prop. Ronc. de Euch. c. 5. Reg. in prax. 2. et Holzm. t. 1. p. 555. n. 81. cum Michael, et aliis.* Imò addit *Roncaglia l. c.* bonum esse suadere tali peccatori, ut antequam ad communionem accedat. curet operibus delere reatum pœnæ; sed hoc esse tantum consilii, juxta dicenda de Pœnit. n. 599.

Si verò pollutio fuerit involuntaria, dicit *D. Thomas in 4. loc. cit.* quòd si illa frequenter accidat ex operatione dæmonum, non impedit à communionem: secus si proveniat ex alia causa, adhuc sine ulla culpa; tunc enim ait, hominem tenèri sub veniali à communionem abstinere propter decentiam, tum ratione fœditatis à corpore contractæ; tum ratione perturbationis, quæ pollutionem consequitur. Alii verò communiter et rectius dicunt, quòd si pollutio habita nullam perturbationem relinquit, ea minimè à communionem impedit; sola enim corporalis macula non obligat ad abstinendum à Eucharistia; ita *Laym. lib. 5. tr. 7. c. 6. n. 14. cum S. Bonav. Gerson. Gabr. Vict. Nav. et Vasq. ac Suar. 5. part. disp. 68. sect. 2. v. Dico 1. cum Soto, Ales. Palud. Adrian. Major, etc. et Salm. de Euch. c. 7. p. 4. n. 62.* Ratio, quia externa macula, cum jam sit præterita, ad moralem honestatem non pertinet. Et hoc etiamsi pollutio proveniat à causa venialiter

culpabili. tunc enim tantum ex consilio abstinere hortantur *Sanch. de matr. l. 9. disp. 15. cum Corar. etc. Pal. p. 15. n. 2. cum Vasq. et Salm. ibid. n. 60. cum Suar. Con. Henr. et Gill.* Idque probatur 1. ex *D. Gregorio in cit. c. Testamentum*, ubi Pontifex ait, quòd si pollutio provenit ex superfluitate cibi vel potus, hæc à perceptione sacri mysterii prohibere non debet, sed (homo) ab immolatione sacri mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet. Ubi Glossa v. *Humiliter*, dicit: *Ergò est consilium*, bene enim potest celebrare si vult. Probatur 2. ex *Rubrica Missal. de defect. n. 9.* ubi sic præscribitur: *Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis: si autem certum est non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali, aut ex diabolica illusionem, potest communicare et celebrare, nisi ex illa corporis commotione tanta exonerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur.*

Omnes autem DD. conveniunt, esse veniale accedere ad Eucharistiam cum prædicta perturbatione, orta ex delectatione habita, vel ex turpi imaginatione pollutionem concomitante; saltem usque dum perdurat mentis evagatio. Nisi homo conetur eam repellere, faciens quantum in se est, ut devotè accedat, ut dicunt *Salm. de Euch. c. 7. p. 4. n. 60. Pul. p. 15. n. 2. Holzm. t. 1. p. 555. n. 81. Laym. d. c. 6. n. 15. Suar. d. 68. s. 2. v. Ex hac*, ubi assert *S. Justinum* dicentem: *Non est æquum propter hanc involuntariam passionem abstinere à mysteriis; et Sanch. de matr. lib. 9. d. 15. n. 15. cum Gerson. Gabr. et Major.* Vel nisi aliqua justa causa necessitatis aut devotionis aliud expostulet, ut dicunt præfati AA. et docet idem *D. Th. loc. cit.* dicens: *Si necessitas imminet, vel devotio exposcat, talis non impeditur.*

275. — Quar. II. An copula conjugalis impediatur ab Eucharistia? Alii absolutè putant, non excusari à culpa veniali conjugem copulam labentem die communionis, ita *Aless. Sotus, Sa, etc. apud Sanch. de matr. l. 9. d. 15. n. 2.* Idque inferunt ex *c. Sciat, caus. 55. q. 4.* ubi *S. Hieron.* scripsit: *Quicumque uxori debitum reddit..., nec de carnibus Agni comedere debet.* E converso alii nullam in hoc culpam agnoscunt, ut *Nav. Philiar. ap. Sanch. n. 5.* dicentes tantum esse de honestate, ut à communionem abstinere. Sed dicendum cum

communi DD. esse veniale. accedere ad communionem eodem die quo habita est copula causâ voluptatis. quia id excusari non potest ab aliqua indecentia; ita *S. Th. 5. p. qu. 80. a. 7. ad 2. Cont. Tourn. de Euch. cap. 6. art. 2. sect. 2. concl. 5. v. Prob. 5. Salm. de matr. c. 15. p. 5. n. 59. et Sanch. eod. tit. l. 9. d. 15. n. 8. cum S. Bonav. S. Anton. Suar. Sylvest. Led. Lop. et aliis pluribus*; et probatur ex *can. Vir cum propria 7. caus. 55. q. 4. ubi D. Gregorius ait: Cùm verò non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere, tunc prohiberi debet ne accedat ad hoc sacramentum. Rectè autem dicunt Sanch. n. 8. Antoine p. 486. v. Dixi. et Salm. de Euch. c. 7. p. 4. n. 65. cum aliis, quòd à prædicta indecentia excusare valeat quævis honesta causa: puta solemnitas occurrens, scandalum vitandum, periculum notæ, jubilæum sive indulgentia lucranda, specialis devotio, etc.*

Si verò copula fiat sine peccato. puta primò, cauâ generandæ prolis, tunc certum est apud omnes, quòd licet congruum sit abstinere illâ die à communionem, ut docet *S. Th. d. art. 7. ad 2.*, hoc tamen est tantùm consilii sine obligatione; ita *Lugo d. 15. n. 14. Sanch. l. c. n. 4. et 5. Salm. de Euch. c. 7. p. 4. n. 65. circa fin. Con. p. 568. in fine, Petr. t. 5. p. 452. in fine cum Glossa in dict. cap. S iatis, et Glossa cap. Omnis de Consecr. dist. 2. et alii communiter, ex D. Gregor. qui in cit. c. Vir cum propria, sic scripsit ad Augustinum: Si quis suâ conjuge non cupidine volu- tatis captus, sed solummodò liberorum procreandorum gratiâ utitur, ipse reflectò de sumendo corporis dominici mysterio suo est relinquendus judicio; quia à nobis prohiberi non debet accipere: ubi Glossa explicat ibi to prohiberi, id est dissuaderi. Ratio autem hujus communis sententiæ est. quia finis procreationis, eum sit omninò honestus, et à Deo volitus, satis reparat quandam illam indecentiam, quæ adest in communicando post copulam. Nec obstat textus in *cit. cap. Sciatis*; nam respondet *D. Thomas in 4. dist. 52. qu. 1. ex magistro sentent. ibi sermonem fieri tantùm de Ecclesiæ ministris conjugatis, quales sunt Græci, quibus interdicitur celebrare die, quâ accedunt ad uxores.**

274. — Quar. III. An conjux reddens debitum teneatur illâ die à communionem abstinere? Affirmant *Caj. Led. Manuel, etc. ap. Sanch. n. 41.*, quia (ut ajunt) adhuc redditio relinquit

mentis hebetationem. Sed communiter *S. Anton. p. 5. tit. 1. cap. 20. §. 7. et idem Sanch. n. 42. cum D. Th. D. Bon. D. Anton. Alb. Magno. Carthus. Suar. Soto, Palud. Sylvest. Turrecrem. et aliis pluribus* docent abstinentiam tunc esse meri consilii, non autem obligationis, quia bonum justitiæ satisfaciendi debito bene evagationem illam compensat, et coonestat. De hoc autem puncto loquens *S. Franciscus Salesius (Introduct. etc. part. 2. cap. 20.)* inquit, conjugem, qui debitum exigit, indecenter quidem ad communionem accedere, non verò arduum esse qui reddit, dicens quòd in veteri lege vetabatur, ne diebus festis debita exigenter, non autem ut solverentur. Et huic congruit id quod scripsit *D. August. super Psalm. 149. Si non exigis, redde: pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod tibi debetur exigis, sed redditis quod deletur uxori.* Ratio, quia, eum redditio debiti sit actus virtutis, non est eum hominem à communionem impediatur. Et idem procedere censet *Sanch. n. 6. cum Gerson. et Majore*, si copula sit ad incontinentiam vitandam, quia amor continentie, et non voluptatis, causam satis coonestantem præbet. Bertèque hinc advertunt *Salm. de matr. c. 15. p. 5. n. 58. et Sanch. nu. 9. cum Cajet. Suar. Soto, Alex. Palud. etc.*, quòd conjux ratione Eucharistiæ suscipiendæ minimè eximitur ab obligatione reddendi debitum: tantùm poterit, ut ait *Sanch. cum Soto*, honestis precibus resistere, non autem importunis.

Quid autem confessarius respondere debeat, si interrogatur à conjuge an reddere teneatur debitum die communionem? Sapienter *Laym. de Euchar. c. 6. n. 16. Sanch. de matr. l. 9. d. 2. n. 16. et Suar. d. 68. sect. 2. in fin.* docent respondendum, quòd si conjux frequenter communicare solet, v. g. omnibus festis, eum obligari ad reddendum, ne periculo exponatur peccandi contra justitiam, vel charitatem; si verò non frequenter communiqueet, sed tantùm in præcipuis festivitibus, tunc illi suadet, ut roget alterum conjugem abstinere in honorem communionem, modò non incurrat illius indignationem; tunc enim, si rogatio non proficit, poterit communicare; nisi patiatur ex redditione insolitam distractionem, nec conetur, ut diximus, eam repellere.

Die autem, quâ conjux jam communicavit, debitum reddere nullam esse culpam dicunt *Alex. de Nevo, et Anton.*

ap. Sanch. d. nu. 16. Petere verò censent esse veniale *ibid.* S. Anton. Sylv. Palud. Turrecrem. Ang. etc. Sed Navar. c. 21. n. 51. et Sanch. cum Vict. ac Tabien. dicunt abstinentiam à petendo esse tantum consilii, non obligationis (1).

275. — Pertinet etiam quodammodo ad dispositionem corporis accedere ad Eucharistiam corpore mundo, sine aliqua macula notabili, quæ sit externa, et debilis; nam si esset occulta, non obest, neque si esset perpetua, ut lepra, fistula, et similis. prout dicunt communiter Suar. d. 68. sect. 2. v. Dico igitur, Pal. p. 15. n. 4. et Laym. lib. 5. tr. 6. c. 6. n. 24. Sacerdos verò leprâ infectus, vel alio morbo horrorem afferente, prohibetur celebrare in publico, ex cap. Tua nos, de clerico agrot. ubi dicitur, pro scandalo. et abominatione populi; unde in secreto potest celebrare. Palaus l. c. Salm. de Euch. c. 7. p. 4. n. 56. in fine.

An verò mulieres tempore menstrui possint communicare? Sentit Suar. l. c. quòd si ipsæ commodè communionem differre possunt. tenentur differre sub veniali, ex D. Dionysio Alexandrino. qui dicit tales fœminas non debere sic affectas attingere corpus, et sanguinem Domini. Sed communiùs et probabiliùs censent Pal. l. c. Salm. *ibid.* n. 57. et Laym. l. c. cum Alensi, ac Palud. hoc esse tantum de consilio, ex D. Gregorio (apud Laym. lib. 4. tr. 1. cap. ult. n. 2. v. Obijcere). qui in epistola ad Augustinum, loquens de muliere menstruata, sic scripsit: Si ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est; sed si percipiat, non judicanda: bonarum quippe mentium est ibi etiam culpas agnoscere, ubi culpa non est. Debent autem mulieres ad communionem modestè accedere, pectore cõperto, et sine vano ornatu: unde, si quæ nimis immodestè accedat, huic neganda est communio. Vide Concina t. 8. p. 370. n. 24.

Congruum etiam est accedere ad Eucharistiam depositis armis. Cæterum communicare gladiatum nullâ lege est vetitum per se loquendo; nam per accidens potest esse veniale ratione scandali, ut dicunt Wigandt tr. 12. n. 45. et Holzm. t. 1. p. 552. n. 74. cum Gob. Tamb. et aliis. Milites verò S. Joan-

Cap. 2. De subjecto Eucharistiæ. Dub. 2. Art. 2. 89
nis Hierosolymitani omninò deest cum gladio accedere, quia hoc signo ipsi profitentur zelum pro tuenda fide. Vide Holzm. loc. cit.

276. — Insuper hic notandum, quòd sacerdos, quando Eucharistiam suscipit more laicorum, ut dicit Croix l. 6. p. 1. n. 556. debet esse stolâ indutus, sub interminatione excommunicationis, ex concilio Bracharensi III. relato in can. Ecclesiastica 9. dist. 25. ubi dicitur: Modis omnibus convenit, ut quod quisque percepit in consecratione honoris, hoc retineat et in oblatione, vel perceptione salutis, scil. ut cum sacerdos ad solemnia missarum accedit, aut per se sacrificium oblaturus, ac sacramentum corporis, et sanguinis Dom. nostri Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat quàm orario utroque humero circumseptus. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debite subiaceat. Dicunt verò Azor. t. 1. l. 10. c. 28. q. 12. cum Turrecrem. et Tamb. de Commun. l. 2. c. 2. n. 10. præfatum decretum concilii Bracharensis hodie per consuetudinem vidèri abrogatum; unde excusant etiam à veniali sacerdotem, qui sine stola extra missam communicaret. Sed veriùs et communiter Suar. d. 68. sect. 1. Gavant. in Rubr. t. 1. p. 4. tit. 8. n. 7. Bon. d. 4. q. 6. p. 2. n. 2. cum Reg. et Gruff. item Barbosa, Henr. et Gob. ap. Croix l. c., quamvis excusent à peccato mortali, quia res non est admodum gravis, vel quia ex communi usu non videtur sub gravi recepta: meritò tamen non excusant à veniali: tantò magis, quia hoc præcipitur à Rituali Rom. ubi dicitur: Sacerdotes verò cum stola communicent; et Glossa in dict. c. Ecclesiastica, dicit: Idem servandum est, si sacerdos est communicaturus in ægritudine.

277. — « Resp. 2. Ex præcepto Ecclesiæ tenetur communicaturus sub mortali regulariter esse jejunus jejunio naturali; id est, ut à medio noctis nihil omninò per modum cibi, potùs, aut medicinæ sumpserit. Ita comm. Et est certum ex conciliis, quæ vide apud Fil. Laym. Card. de Lug. loc. cit.

Unde resolves :

« 4. Etsi parvitas materiæ non excuset hic, non obstat tamen communioni I. reliquias ciborum inter dentes hæren-
8.

(1) = Petere (debitum) post communionem, alii dicunt esse veniale et quidem probabiliter, nisi justa subsit causa, sed communiùs sentiunt id esse tantum consilii. = Rom. Ap. tr. 15. n. 57.

» tes trajicere casu (negant enim *Præpos. Vasq. et alii*, si fiat de industria, contra *Tann. Conin. q. 80. art. 8. n. 47.* et *Dian.* qui contrarium probabile affirmant) licet eas expuere omninò deceat. *Dian. t. 4. de sacr. res. 57. et p. 4. t. 4. res. 104. vide Escob. t. 7. e. 6. et Card. de Lugo n. 65.* ubi notat sententiam istam *Tann. et Dian.* ad hoc servire, ut studiosè dentes antè expurgare, ne quid fortè casu decadat, non tenearis. II. Sanguinem, vel alium humorem ex capite defluentem, et guttulam aquæ, aut vini, casu per abluionem oris, vel guttulam jusculi dùm sapor exploratur, per modum salivæ cui mixta est, vel culicem inter respirandum trajicere. Ratio est, quia hæc aut non sumuntur, scilicet ab extrinseco, aut non per modum cibi, aut potûs. *Vide Fagund. præc. 5. c. 5. Card. de Lugo l. c. n. 25.* III. Si aromata, vel folium tabaci ex causa ori imponas, mastices, vel quid aliud gustes, modò nihil transmittas. *Præpos. in 5. p. q. 9. art. 80. dist. 1. num. 59. Card. de Lugo r. mor. l. 1. d. 9.* Idem de fumo tabaci docet *Gran. in 5. p. c. 6. t. 10. d. 9. n. 4.* (licet indecens valde id videatur, nisi justa ex causa fiat) et *Escob. t. 7. e. 6.* ubi de ejusdem pulvere per nares attracto idem colligit ex *Suar. et Fag.* Idem tenent *Dian. p. 8. tr. 7. r. 5. Card. de Lugo Resp. Mor. t. 1. d. 9.*

« 2. Probabile est, non impedire communionem, si frustulum ligni, chartæ, unguium, vel lapillum deglutias; quia non habet rationem cibi, vel potûs. *Dian. l. c. r. 58. et tr. de celeb. r. 52. ex Ledesm. et Sanch. contra Henr. Regin. Laym. et alios*, quorum sententia tutior est. *Vide Card. de Lugo, et Escob.*

« 5. Non licet communicare his casibus: I. Si saccharum, liquorem glycirizæ ore solutum cum saliva trajicias. Si verò dubium sit, nùm quid deglutiveris, vel an factum sit post duodecimam, probabiliter docet *Laym. lib. 1. t. 1. c. 1. contra Sanch. Fagund.* non impedire communionem, vel sacrificium; *vide Dian. l. c. r. 29.* II. Si vesperi decumbens aliquid ori contra raucedinem imposueris, nisi certus sis, post medium noctis te nihil transmisisse. Ita *Suar. Fill. Card. de Lugo l. c. n. 57. et alii.* Licitum autem est, inter horologia dissonantia quodvis sequi, etiam ultimum, modò non

» constet errare; quia habet se ut auctor bonus, faciens opinionem probabilem, ut habent *Sanchez l. 2. d. 1: de matr. Fagund. Jo. Sancius, Card. de Lugo n. 43. Dian. l. c. r. 56.* » (*Vide infra n. 282.*) « III. Si aliquid sumpseris licet mox rejeceris. IV. Si tabaci fumum in stomachum trajeceris, ut docet *Præpos.* etsi alii meritò dubitent. *Tann. t. 4. d. 5. Gran. autem in 5. p. c. 6. t. 10. d. 8. negat. V.* Si sacerdos nocte Nativitatis in prima missa abluionem, vel lambendo digitos modicum aquæ, aut vini sumpserit. *Vide Bon. d. 4. q. 6. p. 2.*

278. — Ut hæc omnia diligenter discutiantur, prænotandum est 1. jejunium naturale ad communionem prærequisitum non esse quidem de jure divino, sed tantum ecclesiastico, ex cap. *Ex parte de celeb. miss.* et variis conciliis, præsertim ex concil. Constantiensi, *vide dicta l. 1. n. 58.* Prænotandum 2. quòd in fractione hujus jejunii, etsi hoc præceptum est de jure ecclesiastico, non datur tamen parvitas materiæ: quia præceptum non jam est accedendi ad Eucharistiam jejunos, sed non accedendi post cibum aut potum, qui autem communicat post quamecumque minimam partem, jam communicat post cibum, aut potum. Ita omnes DD. quidquid dicant *Gibert et Pasqual.* qui non sunt audiendi. Prænotandum 3. quòd ad hoc jejunium frangendum juxta communem sententiam tria requirantur, nempe I. Ut quòd sumitur sumatur ab extrinseco. II. Ut sumatur per modum comestionis, aut potationis. III. Ut res sumpta habeat rationem cibi, aut potûs. De hac materia tractant *Suar. 5. part. d. 68. sect. 4. Laym. l. 5. tr. 6. c. 6. Cont. Tourn. hic cap. 6. art. 2. sect. 1. concl. 2. v. Quær. 1. Palaus de Euch. p. 15. Bon. eod. tit. d. 4. q. 6. p. 2. Lugo d. 13. Concina t. 8. p. 159. Escob. de Euch. l. 20. Holzm. t. 1. de jejun. p. 555. Renzi eod. tit. t. 2. c. 4. Salm. de Euch. c. 7. p. 4. à num. 65. ad n. 82. Wigandt tr. 12. exam. 4. Antoin. p. 486. Roncaglia de Euch. c. 5. Viva eod. tit. qu. 4. art. 8. Tamb. Meth. Commun. c. 2. §. 6. Croix l. 6. p. 1. num. 460. Sporer t. 5. p. 133. Elbel t. 5. p. 90.* His locis videre poteris præfatos auctores, cum infra invenies citatos.

279. — Juxta autem regulam I. Ad frangendum jejunium requiritur, ut aliquid sumatur ab extrinseco; hanc tradunt

Croix n. 560. *Elbel* n. 91. *Viva* n. 4. *Sporer* p. 466. et *P. Suar.* d. sect. 4. ex *D. Th.* qui in 4. d. 8. q. 1. art. 4. q. 2. dicit quòd omne quod ab intrinseco provenit, et ore non sumitur ab extrinseco, non verè comeditur, et ideò non tollit jejuniùm naturale.

Sed dubitatur 1. An voluntaria trajectio reliquiarum cibi frangat jejuniùm?

Prima sententia negat, et hanc tenent *Suar.* sect. 4. v. *Tertio*, *Elbel* n. 99. *Quarti* p. 5. tit. 9. sect. 1. diff. 1. *Pal.* n. 8. cum *Con.* et *Henr. Dian.* p. 5. tr. 4. r. 57. cum *Tabien.* et probabilem putant *Tamb.* num. 25. *Escob.* n. 541. cum *Mofses. Ochagav. Petig.* etc. item *Tanner. Leand. et Gob.* apud *Croix* n. 567. Ratio, quia reliquiæ cibi pridie sumpti, cum non recipiantur ab extrinseco die communionis, moraliter reputantur partes comestionis præcedentis diei; unde quamvis ex industria trajectiantur, moraliter non constituunt novam comestionem, sed præteritam perficiunt. Addit aliam rationem *Suar.* quia tales reliquiæ non sumuntur per modum cibi, sed per modum salivæ. Nec videtur hæc sententia difformis esse Rubricæ *Missal. de defect.* num. 5. ubi sic dicitur: *Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ.*

Secunda sententia verò communior affirmat, et hanc tenet *D. Thom.* 5. part. qu. 80. art. 8. ad 4. ubi dicit: *Reliquiæ cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt communionem.* Ergò, si transglutiantur ex proposito, impediunt; et ita censent etiam *Cubas.* t. 1. c. 5. n. 7. *Fill. de Euch.* num. 556. *Ronc.* q. 6. r. 2. *Laym.* n. 18. *Tamb.* n. 25. *Bon.* p. 2. n. 5. *Viva* q. 4. art. 8. n. 4. *Ant.* p. 487. *Cont. Tourn.* loc. cit. cum *Vasq. et Sylv.* Ratio, quia hujusmodi reliquiarum trajectio, cum ex industria fit, videtur nova comestio. *Prima sententia* non videtur improbabilis, sed hæc secunda est probabilior, et omninò consulenda: ut rectè dicunt *Suar. Salm. et Gav. in dict. Rubrica;* licèt in hoc non sit scrupulosè agendum, ut sapienter advertit *P. Suar.* Unde libenter sequor sententiam *Lugonis* d. 15. n. 56. quam amplectitur etiam *N. P. Benedictus de Sacramiss.* t. 9. l. 5. c. 17., nempe quòd reliquiæ à dentibus divulsæ, quæ sensibiliter in lingua percipiuntur, equidem

sunt exponendæ: non verò est obligatio adhibendi diligentiam ad reliquiãs illas ex dentibus extrahendas, etiamsi prævideantur deglutientiæ, si non extrahantur, et cum saliva deglutiantur; aliàs enim hæc obligatio esset innumeris scrupulis, et perplexitatibus obnoxia, ad quod certè non præsumitur Ecclesia voluisse obligare.

Dubitatur 2. an guttulæ aquæ cum saliva immixtæ, aut juseculi deustati, si ex proposito deglutiantur, frangant jejuniùm? Si prædictæ guttulæ casu trajectiantur, certum est eas non frangere jejuniùm, modò non sint in magna quantitate, ita omnes cum *D. Th. dicta* q. 80. art. 8. ad 4. ubi ait: *Et eadem ratio est de reliquiis aquæ, vel vini, quibus os abluatur, dummodò non trajectiantur in magna quantitate, sed permixtæ salivæ, quod vitari non potest.* Dubium est igitur si ex proposito deglutiantur? Sentiri non frangere jejuniùm *Conin.* et *Henr.* apud *Croix* n. 566. modò sint immixtæ salivæ: et idem sentire videntur *Lugo* num. 55. et *Tamb.* n. 25. dum dicunt, quòd cum non sit potatio deglutire salivam, ideò nec violat jejuniùm has guttulas per modum salivæ trajectiens; sed omninò asfirmandum cum sententia communi, quam sequuntur *Suar.* sect. 4. v. *Tertio. Holzm.* num. 75. *Cont. Tourn.* cap. 6. art. 2. sect. 1. concl. 2. v. *Quar.* 1. cum *Sylv. et Salm. de Euch.* c. 7. p. 4. n. 67. cum *Pal.* etc. communiter. Et hanc docet idem *D. Thom. l. c.* ubi, postquam dixit, reliquiãs cibi non frangere jejuniùm, si casualiter transglutiantur, dicit eandem rationem esse de reliquiis aquæ, quibus os abluatur, ut mox suprà relatum est. Confirmatur ex Rubrica *l. c.* ubi sic habetur: *Idem dicendum* (scilicet non frangi jejuniùm), *si lavando os deglutiat stilla aquæ, præter intentionem.* Ergò, si ex intentione, frangitur.

Idem dicendum, si quis noctu immittit saccharum in ore, et post mediam noctem aliquid trajectit, ut docent *Lug.* n. 57. *Pal.* n. 8. *Fill.* n. 156. *Salm. de Euch.* c. 7. p. 4. n. 68. et *Renzi* t. 1. l. 5. tract. 4. c. 4. q. 7. cum *Conin* h. *Vasq. Bon. Reg.* etc. communiter, quidquid dicant aliqui, apud *Dian.* p. 2. tr. 14. r. 51. Ratio, quia non est illa reliqua comestionis præcedentis diei, sed est continuata comestio.

Sic etiam frangit jejuniùm qui sumit aquam, licèt involuntariò, vel quia labitur in flumen, vel quia alius per vim illam

in os ejus infundit . ut dicunt *Conc. p. 162. et Croix n. 568. cum Lugo, Tamb. et aliis communiter contra Bosco.*

Ita etiam si quis sugeret sanguinem ex digito . vel lacrymas ex oculis manantes , ut dicunt communiter *Viva , Mazzotta et Croix cum Lugo , et Tamb.*

Secus verò dicendum , si quis deglutit sanguinem defluentem de capite vel gingivis , aut saniem ex pustula oris emanantem , etiam ex industria , ut communiter docent *Suarez sect. 4. v. Quares . Cabass. c. 5. n. 7. Habert t. 5. p. 487. Elb. n. 99. Antoine p. 485. Concina n. 6. Roncag. quest. 6. r. 2. Laym. n. 18. Bon. n. 6. et Salmant. cum communi* (contra *Cont. Tourn. loc. cit. v. Verum*). Ratio , quia ut supra dictum est ex *D. Thoma* , quidquid ab intrinseco provenit , non verè comeditur , nec solvit jejunium .

280. — Regula autem II. est , quòd ad frangendum jejunium requiratur , ut sumatur aliquid per modum comestionis . aut potationis ; hanc regulam tradunt communiter *Suar. sect. 4. Laym. n. 18. Lugo d. 15. n. 28. Bon. n. 6. Sylv. 5. p. 80. et alii passim.*

Sed dubitatur 1. An solvat jejunium pulvis tabaci sumptus per nares ? Affirmant *Antoine , de Leone , et Lez. ap. Lugo Resp. Mor. l. 1. dub. 9. n. 1. et valde dubitat Cont. Tourn. ibid. 5. v. Quoad Tabac.* Sed communiter negant alii , etiamsi aliquid in stomachum transmittatur ; quia licet talis materia sit nutritiva , tamen non sumitur per modum comestionis , sed attractionis . Ita *Suar. s. 4. Holzm. n. 81. Roncagl. q. 7. Lugo l. c. Conc. p. 562. Elbel. n. 92. Croix n. 570. cum Aversa, Renzi q. 7. Escob. n. 62. et Diana p. 8. tr. 7. r. 5. cum Marchant. Machad. Pasqual. et Leand.* Hæc sententia est quidem probabilissima , tum ob allatam regulam , tum ob universalem consuetudinem , quæ undique permittitur præfatus tabaci usus ante missam , ut docet *Papa Bened. XIV. de Synodo l. 7. c. 65.* ubi obiter refert olim ab *Innoc. X. et XII.* emanatum fuisse excommunicationem in eos , qui sumerent tabacum per nares in Vaticano , idemque præscripsisse *Urbanum VIII.* in ecclesiis diocesis Hispalensis ; sed deinde hanc prohibitionem abstulisse *Benedictum XIII.* Unde sic concludit : *Hodie tamen à communi consuetudine adeò est coonestatus* (usus tabaci) , *ut nulli scandalum præbeat.* Idem autem , quod dictum est de tabaco , dicunt de aqua casu tra-

jecta per nares *Suar. et Fagund. apud Viva , Tamb. n. 25. et Barth. à S. Fausto apud Dian.* Id tamen non admitterem , si quis ex proposito tabacum vel aquam per nares in stomachum trajiceret , quia id non sumeret tunc per simplicem attractionem , sed per voluntatem directam trajiciendi , quod nullo modo videtur permissum ab Ecclesia . Sed dices : Actio attractiva non est potativa , vel manducativa . Responderetur , quòd licet hæc actio non sit à natura ordinata ad trajiciendum in stomachum potum , vel cibum . tamen ad id ordinatur ab ipso attrahente ; et ideò ex tali intentione induit moraliter rationem potationis , sive comestionis . cum interveniat debita materia , et actio apta ad finem trajectionis in stomachum .

Idem dicendum de illo , qui pulverem , aut pluviam , floccum nivis , culicem , sive muscam deglutiret ; nam si hoc accideret casu per respirationem , utique non solveret jejunium , ut communiter docent *Suar. v. Quares , Lugo n. 54. Habert p. 476. Cont. Tourn. loc. cit. r. 2. Conc. n. 6. Salm. de Euch. c. 7. p. 4. n. 68. in fin. Ronc. q. 6. Renzi q. 5. cum Nav. Bonac. et aliis passim* : quia talis actio non est comestio , sed respiratio , quam Ecclesia noluit quidem prohibere ; quis enim posset effugere , ne aliquid pulveris cum vento deglutiat ? Secus verò esset (ut rectè docet *Lugo n. 56.*) , si quis ex proposito vellet culicem , aut pulverem trajicere , quia hæc non esset mera respiratio sed voluntaria deglutitio . Et idem dicendum merito ait *Lugo n. 55.* si quis deglutiret aliquid , putam ab altero in os ejus immisam , etiamsi ipse id non adverteret , et casu respirando trajiceret , quia noluit quidem Ecclesia impedire communionem ob sumptionem rerum , quæ per respirationem cum aëre attrahuntur , sed earum quæ non deferuntur cum aëre .

Dubitatur 2. An solvat jejunium fumus tabaci , aut similis ? Affirmant pariter *Lezana , et Antoine , de Leone ap. Salm. de Euch. c. 7. p. 4. n. 71.* , quia (ut dicunt) fumus etiam aliquo modo nutrit . Negant verò communiter , et probabilius *Holzm. n. 82. Sporer n. 467. Croix n. 570. cum Aver. et Boudet. Viva n. 8. cum Trul. Tamb. Præpos. et Salm. ibid. cum Suar. Diana , ac Villal.* Eademque sententiam sequitur *Bened. XIV. de Missa t. 9. lib. 3. c. 17.* testans hanc communi DD. consensu hodiernò die confirmari . Ratio , quia fumus tabaci neque est cibus aut potus , neque sumitur per comestio-

nem vel potationem; aliàs dicere deberemus frangere jejunium etiam eos, qui in culina ciborum fumum exceperent. Et hæc currit, etiamsi semus voluntariè immitteretur in stomachum, ut probabiliter dicunt *Escob. n. 458. Viva n. 7. cum Præp. Spor. n. 467. Renzi q. 7. Dian. l. c. Tam' n. 25. et March. et Burgh. ep. Croix n. 569. contra Salm. cit. n. 71. in fin. cum Hurtad. etc.* qui dicunt, sed minimè probant, hæc esse veram comestionem.

Dubitatur 5. An solvat jejunium qui sumit solum tabaci vel aroma. ut dentibus conterat. et phlegmata expuat? Affirmat idem *Antoin. de Leone ap. Salm. ibid. n. 72. et Henno apud Cont. Tourn. ibid. r. ad 4.* quia (ut dicunt) semper trajicitur aliquid in stomachum, et propter hoc phlegmata eji-ciuntur. Sed negant *Lug. Resp. Mor. l. 1. d. 9. n. 2. Holzm. n. 8. Bon. n. 9. Spor. n. 467. Viva n. 7. Escob. n. 458. cum Pasq. Renzi q. 7. et Dian. p. 5. tr. 15. r. 1. cum Conc. Tamb. Præp. Trull. etc.* Et meritò id probabile putant *Salm. de Euch. c. 7. p. 4. n. 72. cum Bonap. Ratio*, quia ad phlegmata eji-cienda non requiritur, ut succus in stomachum descendat, sed sufficit tabacum ad os applicare. ut virtutem expuendi ad stomachum immitat per nervos. qui ad stomachum respondent. Et hoc etiamsi deglutatur, sed præter intentonem. aliquid medicum succi, salivæ inseparabiliter admixti, ut dicunt *Lugo num. 7. Tamur num. 6. Viva. et Escob. locis citatis cum Tam. et Fausto apud Dian.* quia, si casu id deglutitur, non per modum ei i, sed per modum salivæ trajicitur. Imò *Lorichius ap. Dian. excusat*, etiam i casu granum deglutatur; sed hoc rectè non admittunt *Bon. et Tamb.* quia illud tunc videtur potiùs sumi per modum cibi. Hoc tamen intelligendum, si granum. non autem si aliqua minima pars deglutatur, quæ insensibiliter cum saliva sit immixta. quia hæc verè per modum salivæ trajicitur. Omnes verò conveniunt, hujusmodi masticationem esse indecentem ante communionem; unde puto eam non excusari à culpa veniali, nisi aliqua causa sub-it.

281. — Regula III. est, quòd ad frangendum jejunium requiritur, ut res sumpta habeat rationem cibi, aut potùs. Hinc dubitatur, an comestio capillorum, unguium, vel ligni, papiri, lapillorum, et similium impediatur communionem? Ad-sunt tres sententiæ.

Prima sententia universè negat, quia omnia hæc non habent rationem cibi, vel saltem, quia usu non habentur ut comestibilia. Ita *Dian. p. 5. tract. 4. res. 28. Renzi qu. 4. cum Jo. Delacruz, Ludovico de Sancto Jo. etc.* Et probabile putant *Bus. ut suprâ, et Ledesm. apud Salm. ibid. n. 70.*

Secunda sententia è converso universè affirmat, quia (ut dicunt) reverentia ad Eucharistiam requirit non solùm, ut nihil cibi comedatur, sed etiam, ut nihil ad modum cibi deglutatur. Ita *Laym. n. 18. Ronc. q. 8. Salm. cit. n. 70. Wig. n. 44. Pal. n. 7.,* et pro hæc sententia citant etiam *D. Th. p. 5. q. 80. art. 8. ad 4.* ubi dicit: *Nec refert utrum aliquid hujusmodi nutriat, vel non nutriat, dummodò sumatur per modum cibi vel potùs.*

Tertia sententia verò communis docet, minimè frangi jejunium, si edantur res omninò indigestibiles, ut sunt capilli, ungues, metallum, vitrum, fila ex serico aut lana, ossicula fructuum omninò depurata: quia hæc nec nutriunt, nec rationem habent cibi; Ecclesia autem tantùm prohibet, ne sumatur Eucharistia post cibum aut potum, ut patet ex conc. Tolet. VIII. can. 2. ubi dicitur: *Nullus post cibum potumque minimum sumptum missas facere præsumat.* Et ex concil. Maticonensi, ubi: *Ne caelesti cibo terrenis præponatur.* Idem dicit *S. August. (Ep. 18. ad Januar.): Placuit Spiritui S. ut in honorem tanti sacramenti in os christiani prius corpus dominicum intraret, quàm ceteri cibi.* Ita *Conc. n. 6. Cont. Tourn. ibid. v. Alii. Viva n. 5. Sporer n. 467. Holzm. n. 72. Escob. n. 552. et Lugo n. 28. cum Henr. Nugno, Vill. Reg. etc.* Neque huic sententiæ adversatur *D. Thom. loco mox cit.,* nam oportet integrum textum animadvertere *S. Doctoris*, qui sic ait: *Et ideò neque post assumptionem aquæ vel ulterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ. licet hoc sacramentum accipere, nec refert utrum aliquid hujusmodi nutriat vel non nutriat.* Nota to *aliquid hujusmodi.* Ergò illud nutriat vel non nutriat *D. Th.* refert solùm ad res mox à se recensitas *cibi, aut potus*, inter quas etiam numerat medicinam, quæ multoties non est nutritiva. Præterea posset accidere, quòd eibus illicò evomatur, et sic non nutriret, et ideò dixit *aliquid hujusmodi* impedire communionem, sive nutriat, sive non nutriat.

Secus verò dicendum eum præfatis AA. de rebus digesti-Tom. VI.

bilibus, quæ à stomacho alterari, et in substantiam hominis converti possunt, prout sunt charta, palea, filum ex lino, pulvis medicinalis, cera (cùm cera ferè semper retineat aliquid mellis admixtum); ita *Tamb. n. 20. Viva n. 5. Conc. n. 6. et Mazz. p. 147. (contra Dian. et Bern.)* Idem dicunt probabilius *Croix n. 362. Lugo num. 52. Escob. n. 555. Viva et Mazz. ll. cit. Wig. n. 44.* de terra seu creta, quam mulieres edere solent, cùm in ea aliquid inveniatur à stomacho alterabile, et nutritivum.

282. — Utrùm autem inter plura horologia dissonantia, liceat alicui ultimum sequi ad communionem accipiendam? Negant *Merolla. et Salas ap. Dianam p. 4. tr. 5. r. 19.* Sed communissimè affirmant *Sanch. de matr. l. 2. dist. 41. n. 40. Quarti p. 5. tit. 9. dub. 5. Merati in Rubr. de defect. §. 9. Dian. l. c. Sporer p. 139. n. 471. Holz. t. 1. p. 58. n. 180. cum communi ut asserit, Croix n. 581. Lugo d. 15. n. 45. cum Fag. Sanctio. et Vill. Escob. nu. 555. cum Trull. et Salm. de Euch. c. 7. p. 4. n. 69. in fin. cum Pasq. Gabr. et Anton. à Spir. de S. dummodò de errore non constet, ut benè advertunt *Lugo et Escob.*, vel modò, addo cum *Croix.* horologium non sit de illis, quæ ut plurimum errant, quia hæc præsumuntur semper errare.*

Nùm autem possit communicare, qui cibum deglutit post primum ictum, sed ante ultimum? Affirmant *Salm. ibid. n. 69. in fin. cum Trull. Bressero, etc. ac Gobat. ap. Croix n. 580.* Quia (ut dicunt) ultimus ictus moraliter eandem complet horam, ita ut omnes ictus pro unico computentur. Sed melius id negant *Lugo d. 15. n. 57. Cont. Tourn. de Euch. cap. 6. art. 2. sect. 1. v. Quoad horologia, Sanch. n. 40. Escob. n. 555. et Croix cum Conc. Sanch. et communiòri.* Ratio, quia ad primum horæ ictum media nox jam expleta est, ut mihi etiam confirmavit peritissimus horologiorum faber. Sentio autem tanquam certum tenendum, quòd tempus mediæ noctis non moraliter, sed physicè accipiendum est; nam si moraliter posset accipi, cur non deberet admitti opinio *Caramuelis*, qui dicit non impediri à communionem illum, qui cibum priùs sumptum deglutit parùm post ultimum horologii ictum? Sed hoc communiter à DD. et ab ipsis *Salm. loc. cit. prope fin.* rejicitur. Utrùm autem in dubio negativo, an transacta vel ne sit media nox, possit aliquis communicare? Valè

probabilis est, imò fortè probabilior sententia affirmativa, quam observa in *l. 1. n. 59. cum Busemb. Laym. Pal. Sporer, etc.* quibus adde hic *Cardenas in Crisi l. 1. a. 26. n. 87. Dian. p. 2. tr. 15. r. 2. Gobat. n. 280. Elbel t. 5. de Euch. n. 101. cum Herincx. Illsung, etc.* quia cùm hoc præceptum sit negativum (ut probavimus *loc. cit. in lib. 1.*) de non accedendo ad Eucharistiam post comestionem, non tenèris ab illa abstinere, quamdiu non es certus, et tantò magis si nullam habeas rationem probabilem te comedisse; tunc enim adhuc manes in possessione tuæ libertatis.

285. — « 4. Non est peccatum, per se loquendo, cibum sumere vel expuere. *Tamb. cap. 2. §. 1.* statim à communionem, ut ex *S. Thom. docent Azor. Sanch. Bon. d. 4. q. 6. p. 1. n. 25.* unde eum, qui paulò ante medium noctis comasset in Dominica pridie Nativitatis Domini, posse nihilominus statim post mediam noctem celebrare, docent *Diana, et alii tres, p. 5. t. 4. r. 44.* » (*Vide n. 289. in fin.*) « Etsi ob sacramenti reverentiam consilii sit abstinere, donec species sint consumptæ; quod saltem intra dimidium quadrantem in laico (in sacerdote intra quadrantem) fieri certum videtur, *Carl. de Lugo d. 12. sect. 5. n. 54.* ex judicio medicorum à se consultorum. *Tamb. autem cap. 5. §. 4. ex Jo. Sanch. d. 58.* notat citiùs à valido, quam à debili stomacho, regulariter tamen ab omnibus intra horam consumi; refertque infirmum quemdam post mediam horam species integras rejecisse.

Omnes conveniunt congruum quidem esse, ut communicantes per aliquod temporis intervallum abstineant ab expuendo: dicunt tamen *Holz. t. 1. de jejun. p. 531. n. 76. Wigandt tr. 12. n. 45. et Croix l. 6. p. 1. n. 549.* nullum esse peccatum expuere post communionem, si nullum hostiæ fragmentum remanserit in ore. An autem liceat edere vel bibere statim post communionem? Olim ex *can. Tribus 55. de Consecr. dist. 2.* præcipiebatur jejunium post communionem usque ad sextam, sed hoc præceptum jam diu est abrogatum, ut docuit adhuc suo tempore *D. Thomas 5. p. q. 80. art. 8. ad 6.* Unde dicit *Holz. l. c. hodie nullo modo peccare, qui comedit statim post communionem.* Sed hoc rectius non admittit *Croix ib. cum Suar. Aversa, Quarti et Dicast., nisi adsit aliqua causa, puta si religiosus post missam dato*

signo debeat ad mensam accedere; aliàs talis comestio, dum adhuc in stomacho perseverant species consecratæ, ob aliquam irreverentiam non excusatur à culpa veniali. ut dicunt AA. citati ex *D. Th.* qui l. c. docet: *Debet... esse aliqua mora intersumptionem hujus sacramenti, et reli. uos cibos.* Quanto autem tempore perdurent in stomacho species consecratæ? vide dicta n. 225.

284. — « Dixi in respons. regulariter: quia non jejunus
» licitè communicat in sequentibus casibus, si quidem jeju-
» nus non possit sine notabili incommodo, ut movent *Conc.*
» et *Bonar. apud Dian. p. 9. cap. 6. r. 42.*

» 1. In periculo mortis, sive illud sit ex morbo, vulnere,
» veneno, sive ex sententia judicis. Et quidem in eodem
» morbo, etsi non tenearis, potes tamen post aliquot, v. g.
» 6, 7 vel etiam, ut putat *Laym.*, duos dies (etsi quoad
» hoc potissimum attendendum esse ad consuetudinem, mo-
» neat *Card. de Lugo*) repetere Viaticum non jejunus, dum-
» modò nequeas jejunus sumere, et periculum mortis recur-
» rat, ut docetur *comm.*, vel etsi maneat, ut contra *Vasq.*
» *Prap. et alios* docent *Nav. Tol. Regin. Suar. de Lugo s. 3.*
» n. 65. Imò, etsi non liceat agro ex sola devotione com-
» municare, facto jejunio; si tamen morbus esset diuturnus,
» nec posset dari communicatio, nisi post medicinam, proba-
» bile esse id licere, docent *Armil. Tolet. Bon. Regin. Henr.*
» *Suarez. Escob. etc.* quorum aliqui exigunt longum inter-
» vallum, v. g. 50 dierum, ut *Nar. et Vill.*, alii 8 vel 10
» dies, ut *Suar. Henr. Fag.*, alii 7 ut *Sylv.*, alii 6 ut *Arm.*
» *Zamb. Possev. et Fill.* quos sequitur *Dian. de celebr. r. 77;*
» alii permittunt toties, quoties sano posset dari jejunio;
» ita *Escob. t. 7. c. 6. ex Hurt.*; alii denique posse sequenti
» statim de dari, ob justam causam, ut si propter consue-
» tudinem, et desiderium, aut devotionem difficulter absti-
» neat, et moraliter videatur instare periculum mortis. Sic
» *Laym. l. 3. tr. 4. c. 9. n. 20.* Verùm ea in re loci consue-
» tudo spectanda est, quæ nunc saltem videtur permittere,
» ut quando morbus, et periculum diu protrahitur, post
» 7 vel 8 dies iterùm detur communicatio non jejunio. Vide de
» *Lugo d. 13. sect. 5. de Euchar.*

285. — Quæritur, an liceat communionem iterùm mini-
strari infirmo non jejunio, qui jam Viatico munitus est? Quid-

quid dicant aliqui, vera et communis est sententia affirmans,
quam tenent *Suar. 5. p. d. 68. s. 5. Laym. l. 3. tr. 4. c. 6. n. 20.*
Con. t. 8. p. 520. n. 16. Holz. t. 1. p. 531. n. 75. Cont. Tourn.
cap. 6. art. 2. sect. 1. versus fin. cum Tol. Silv. Wit. etc. ac Lugo
d. 13. n. 64. cum Sa. Arm. Soto. Con. Vict. et aliis passim;
testaturque *Benedictus XIV. de Synodo l. 7. c. 12.* nullum
theologum alicujus nominis hanc sententiam negare. Ratio
est, quia hoc sacramentum ægrotis non datur præcisè ad
satisfaciendum præcepto, sed in præsidium contra tentatio-
nes, quæ tempore mortis magis urgent. Et hoc non solum
si novum recurrat periculum, sed etiam si idem perduret,
ut dicunt *Sylvest. v. Eucharistia num. 5. Elbel t. 5. p. 401.*
n. 129. (qui testatur hanc esse communem praxim Ecclesiæ)
et *Suar. Laym. Holzm. ll. cc. cum Soto, Tol. etc.* Idemque
docet *Bened. XIV. l. c. n. 5.* ubi sic addit: *Episcopus insinuet*
ac tertio administrari, præsertim si ægrotus exposcit; et si
velit, pœnam decernat in parochos, qui ægrotis devotè postu-
lantibus iterùm, et tertio Eucharistiam deferre detrectent fal-
sis prætextibus. Neque huic adversari *Vasq.* dicit idem *Bened.*
ut malè asserunt *Bus. et Lugo;* nam *Vasq.* tantùm loquitur
de obligatione præcepti, cui censet satisfieri per unicam
perceptionem Eucharistiæ.

Sed dubitatur 1. Quanto tempore debeat distare una com-
municatio ab alia? Communior sententia censet distare debere
octo diebus circiter, ita *Busemb. ut supra, Conc. l. c. Cont.*
Tourn. ibid. v. Quoto, ex antiquo Rituali Rom. Escob. lib. 20.
n. 564. cum Sylv. et Fill. ac Salm. de Euch. c. 7. p. 4. n. 76.
cum aliis. Sed non improbabilius *Laym. d. n. 20. Escob. n.*
565. et Ronc. de Euch. c. 6. q. 4. r. 5. cum Hurt. dicunt quòd
infirmus, assuetus sapius ex devotione communicare, benè
possit altero die statim post Viaticum sumptum suscipere com-
munionem non jejunus. Idque in singulis diebus admittunt
Pal. p. 15. n. 14. et Arm. ac Dic. ap. Croix n. 615. et proba-
bile putat *Tamb. Meth. c. 3. n. 24.*

Dubitatur 2. An si quis communicaverit paucis antè diebus
ex devotione, teneatur sumere Viaticum superveniente pe-
riculo mortis?

Prima sententia communior negat, etiamsi communicatio
præcesserit octo circiter diebus; hanc tenent *Laym. tract. 4.*

c. 5. num. 4. Lugo d. 16. num. 59. cum communi ut asserit Ronc. c. 6. quæst. 4. r. 1. cum Conc. Ang. Fill. Tab. Henr. Molf. Suar. d. 69. sect. 3. §. Rogabis (qui cum Soto et Palud. eam tenet, si communio triduo antea sit suscepta) et probabilem putant Palaus p. 14. num. 7. et Salm. de Euch. c. 8. p. 1. num. 3. Ratio, tum quia præceptum communionis jam in substantia impletum est per communionem prius perceptam; tum quia idè tenetur homo communicare in articulo mortis, ut hoc sacramento se præparet ad transitum ex hac vita, sed jam censetur satis se præparasse qui paulò antè communicavit. Hæc sententia est satis probabilis, saltem (ut dicunt Suar. l. c. et Lugo n. 55.) si periculum mortis naturaliter accidat, quia tunc in illo brevi tempore antecedenti jam moraliter cæpit imminere, quamvis fuerit ignoratum?

Secunda sententia verò probabilior affirmat, quam tenent Vasq. d. 214. c. 2. n. 14. Palaus l. c. Concina p. 520. num. 14. Cont. Tourn. de Euch. cap. 7. art. 2. sect. 2. concl. 1. v. Quær. 1. cum Habert, Dian. p. 3. tract. 5. r. 55. cum Hurt. Turr. Ochag. etc. et huic magis adhærent Salm. ibid. n. 7. Ratio, quia hoc divinum mandatum ex interpretatione Ecclesiæ præcisè obligat instante periculo mortis, ut contra hostes hoc divino præsidio muniamur; ergò non impletur per communionem ex devotione susceptam; sicut enim non potest satisfieri debito priusquam contradatur, ita nec satisfieri præcepto antequam ejus urgeat obligatio. Nec obstat dicere, quòd qui paulò antè communicavit, jam sufficienter se munierit, unde jam satisfecit fini præcepti; nam si hoc valeret, qui pridè Palmarum communicasset, nec teneretur ad communionem pæchalem, sed hoc nemo dicit. Vide dicta n. 297. in fine.

Dubitatur 5. An qui manè communicavit ex devotione, teneatur, aut possit urgente periculo mortis Viaticum sumere? Adsunt tres sententiæ.

Prima sententia affirmat tenèri, quia tunc suscipiendum est Viaticum ad implendum præceptum divinum; hanc tenet Dian. p. 3. tr. 3. r. 55. cum Hurt. Turr. Ochag. p. 10. tr. 11. r. 4. cum Pell. Leand. Dic. etc.

Secunda sententia dicit non tenèri, sed posse communicare; sic tenent Ronc. c. 6. q. 4. r. 1. Gohat. et Marinus ap. Bened.

XIV. de Syn. l. 7. c. 11. et probabilem putant Anacl. p. 400. num. 56. ac Dian. p. 6. tr. 6. r. 18. cum Hurt. Bressero etc. ne testatur deductam fuisse in praxim à PP. Societatis Jesu Panormi an. 1658.

Tertia sententia, quam tenent Suar. d. 69. sect. 5. Laym. cap. 5. n. 3. Conc. p. 520. n. 14. ac Con. Gran. et Fagund. dicit nec tenèri, nec posse communicare, quia, cum præceptum divinum obliget ex intentione Ecclesiæ, praxis Ecclesiæ est, ut nemo bis in die communicet; neque hic casus sine necessitate excipi debet: dubitat tamen Concina, an posset communicare qui ferventi amore succensus Viaticum postularet. Omnes has tres sententiæ probabilem putat N. P. Bened. XIV. l. c. sic dicens: *In tanta opinionum DD. discrepantiâ, integrum erit parochò eam sententiâ amplecti, quæ sibi magis arriserit.* Cæterùm probabilior mihi videtur sententia Lugo- nis d. 16. n. 55, et 54. qui distinguit inter morbum naturalem, et violentum, et ait, quòd si quis fuerit vulnere percussus vel ex alto conciderit, potest communicare (immò tenetur, juxta nostram sententiâ in præcedenti dubio allatam) quia hic reverà non accepit Viaticum in mortis articulo constitutus; secùs verò, si quis jam in ægritudine positus manè ex devotione communicaverit, tunc enim benè potest dici moraliter in periculo mortis communicasse, cum morbus ille jam erat in se periculosus, etsi non adhuc notus. Et idem puto dicendum cum Suar. contra Lugonem, si morbus fuerit repentinus, putà apoplexia, vel quid simile; nam hujusmodi morbi judicantur jam priùs in suis causis dispositi existere, licèt ignorentur.

Hic autem sedulò notandum cum Salm. de Euch. c. 7. p. 4. n. 74. Viva q. 4. ar. 8. n. 9. et aliis, quòd si infirmus facillè possit jejunos sumere Viaticum in sequenti die, tenetur utique expectare; secùs tamen si adsit periculum mortis, vel si non possit commodè expectare, putà si deberet differri medicina opportuna, vel esset deferenda Eucharistia intempestà nocte, ut dicit Viva cum Coninck. De reliquo benè ajunt Salm. l. c. cum Soto, Navarr. G. ll. et Viet. in hoc non esse scrupulosè procedendum, cum in concilio Constantiensi sess. 15. simpliciter infirmi excipiantur à lege jejunii. Damnati autem ad mortem benè possunt communicare non jejuni, si judex nolit tamdiu executionem mortis differre, ut

jejuni communicare possint, ut rectè dicunt *Salm. ibid. n. 82. et Wijandt tr. 12. n. 49.*

Dubitatur 4. An sacerdos ministrans Viaticum possit aliquando omittere verba illa in Rituali præscripta: *Accipe Viaticum, etc. Negant Clericat. de Euch. dec. 19. n. 12. et Tamb. Quarti, ac Card. Brancat. ap. de Alex. Confes. Monial. c. 12. §. 6. q. 24.* tùm quia (ut dicunt) prædicta verba sunt valde proficua, utpote ab Ecclesia ordinata: tùm quia Rituale Romanum facit jus quoad ea quæ in ipso præscribuntur, eùm *Paulus V.* in sua bulla dixerit, *inviolatè observent.* Probabiliter verò affirmant ipse de *Alexandro et Tonellius l. 1. c. 1. §. 12. n. 6. ex Pasq.*, casu quo infirmus magna animi tristitiâ communionem per modum Viatici sit suscepturus. Ad satisfaciendum enim præcepto Viatici non requiritur intentio satisfaciendi, sed sufficit ut ponatur opus præceptum, juxta dicta de *Hor. can. lib. 4. num. 176.* aut saltem sufficit intentio interpretativa satisfaciendi obligationi, quæ magis urget. Quoad illa autem verba à Rituali præscripta, respondet de *Alexandro cum Pignatell. t. 9. Consul. 56. §. Neque*, quòd non omnia in Rituali præscripta cadant sub præcepto, sed quedam ibi præcipiuntur sub obligatione aliunde proveniente, quædam verò præscribuntur tantùm de decencia: nec Pontifex extrahit ea ab ordine suo, sed solùm efficit, ut intra ordinem suum rectè procedant; verba enim bullæ hæc sunt: *Quapropter hortamur Episcopos, vicarios, parochos, etc. ut in posterum constituto Rituali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti, que catholica Ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit inviolatè observent.* Ergo tota *inviolatè observent* tantùm respicit ea quæ (aliunde) Ecclesia, et probatus usus antiquitatis statuit. Cæterùm, quidquid sit de hoc puncto, etiamsi omnia in Rituali caderent sub præcepto, nullo modo potest dici, quòd præceptum profærendi illa verba inducat gravem obligationem; verba enim quæ substituuntur, *Corpus Domini nostri Jesu Christi, etc.* reipsâ idem significant, et operantur. Ad excusandum verò à peccato veniali, in casu nostro benè sufficiens erit causa mutandi illa verba, ne infirmus magno mœrore alliciatur.

286. — « Denique, licèt probabile videatur *Fill. t. 1. tr. 4. n. 242. Card. de Lugo* id quod docent *Maj. in 4. d. 9. cap. 3. Fern. de hered. etc. (Laym. verò l. 3. t. 4. c. 6.*

n. 21. limitat ad casum necessitatis, quo moriturus aliud sacramentum suscipere non posset, et scandalum cessaret) posse non jejunum celebrare ad dandum alteri Viaticum, eò quòd hoc sit juris divini, jejunium verò ecclesiastici tantùm; ideoque non tantùm posse, sed etiam tenèri dicat *Gran. in 5. p. c. 6. t. 10. d. 8. n. 12.* id tamen meritò communiter rejicitur, tùm quia contrarium probat praxis; tùm quia major est habenda ratio sacramenti, quàm alicujus necessitatis proximi: tùm quia præceptum Viatici non obligat, quando non potest ritè dari. Ita *Bon. ex Con. Hur. de Euch. d. 9. diff. 17. Suar. Vasq. etc. comm. docetque C. de Lugo* esse probabilius. Vide *Dian. t. 1. tr. 4. resp. 55.* Sacerdos autem morti (sive naturali, sive violentæ) vicinus, celebrare sine dubio potest non jejunus, ad dandum sibi Viaticum, si illud aliter haberi non potest: quia non plus est celebrare, quàm communicare sumpto cibo. *Card. de Lugo d. 15. s. 4. Laym. Dian. p. 5. t. 5. r. 56.* Quæritur, utrùm sacerdos, ad Viaticum ministrandum, possit celebrare non jejunus?

Prima sententia affirmat, et tenet *P. Concin. p. 562. n. 7.* item *Maj. Fern. et Zambr. ap. Lugo d. 15. n. 67.* et probabilem vocant *Esc. l. 20. n. 568. Viva q. 4. art. 8. n. 9. Dian. p. 8. tr. 2. res. 78. et Lugo l. c. cum Fill. et Cont. Tourn. de Euch. cap. 9. art. 2. sect. 1. v. Duo hic moventur*, eam non audet redarguere. Ratio, tùm quia hoc casu præferendum est præceptum divinum ecclesiastico; tùm quia idem præceptum ecclesiasticum, eùm permittat moribundo communicare non jejunus, etiam permittere censetur sacerdoti non jejunus celebrare, ut infirmus communicet.

Secunda sententia verò communis, et probabilior, negat, et hanc tenent cum *Busemb. ut suprâ* (qui asserit oppositam communiter rejici, sed hoc immeritò), *Suar. d. 66. Cont. Tourn. loc. cit. r. ad 2. Salm. de Euch. c. 7. p. 4. num. 77. Renzi t. 1. de jejun. c. 1. q. 4. et Lugo l. c. n. 68. cum Nav. Sylvio, S. Anton. Soto, Coninch. Sylv. Armilla, Viet. Henr. et Vasq.* qui contrariam improbabilem vocat. Ratio, quia licèt præceptum sumendi Viaticum sit divinum, et præceptum non celebrandi post cibum sit tantùm ecclesiasticum, tamen hoc in substantia etiam est divinum propter reverentiam sacramento debitam, quæ non excusatur eo casu ob

utilitatem moribundi, cum sacramentum hoc non sit tantæ necessitatis. Et sic respondetur ad primam rationem oppositæ sententiæ. Respondetur autem ad secundam, quod ideò permittitur moribundo non jejuno communicare, quia in eodem concurrunt tam præceptum ecclesiasticum de jejuniis, quam divinum de sumendo Viatico, quod eo casu præferri debet. Secus verò est de sacerdote, eum ipse unico tantum præcepto obstringatur, scilicet non celebrandi nisi jejunus, nec ipse potest illud violare, ut moribundus suum adimpleat præceptum, ad quod eo casu nec etiam moribundus tenetur, cum per ipsum non stet. Neque obstat dicere, quod sicut potest sacerdos conscius mortalis celebrare sine prævia confessione ad dandum Viaticum, ita etiam sine jejuniis; tunc enim ex *Trid.* ipsa necessitas ministrandi Viaticum excusat; cum possit sacerdos per contritionem se disponere, et sic obicem auferre; sed non jejunus, cum non possit deinde tollere obicem violati jejunii, non potest irreverentiam evitare, juxta dicta in simili casu *num.* 262. Primam sententiam probabilem puto, sed hæc secunda probabilior mihi videtur, nisi (ut rectè dicunt *Laym. tr. 4. c. 6. n. 21. Viva q. 5. art. 6. num. 5. et Escob. l. c.*) moribundus non posset sacramento penitentiae, vel extremæ unctionis muniri; nam eo casu Eucharistia poterit esse sacramentum necessitatis, ut ille ex attrito fiat contritus.

Secus verò dicendum, si sacerdos, cum esset morti proximus, deberet celebrare ad dandum sibi Viaticum; quia tunc benè poterit celebrare non jejunus, ut præcepto Viatici satisfaciatur; tunc enim in eadem persona concurrunt præceptum ecclesiasticum, et divinum quod præferendum est; ita communiter cum *Busemb. Suar. l. c. Lugo n. 69. Laym. n. 20. Renzi quest. 4. et Salm. c. 7. n. 78. cum aliis passim.*

287. — « 2. Si periculum sit, ne Eucharistia pereat, vel » malè tractetur, potest sumi à non jejunis, etiam laïcis si » alius desit » (*Est commune apud Salm. de Euch. c. 7. p. 4. n. 78. Vide dicta n. 86.*) « imò probabiliter potest etiam à » præsentate sacerdote laïcus accipere, ut docent *Card. de Lugo n. 87. Suar. et Vasq. d. 211. n. 48.*

« 5. Si grave scandalum sit oriturum ex omissione sacri- » ficii, vel communionis. Quod tamen quidam putant *vix*

Cap. 2. De subjecto Eucharistiæ. Dub. 2. Art. 2. 107

» fieri posse, eò quod occurri possit scandalo, dicendo, » sacerdotem casu aliquid sumpsisse, ideòque impediri. »

Si sacerdos recordatur post consecrationem se non esse jejunum, certum est non tenèri, nec posse missam deserere, cum præceptum divinum perficiendi sacrificium præponderet ecclesiastico communicandi jejunus. *Vide Azor. p. 1. lib. 10. c. 55. qu. 5. et Bon. d. 4. qu. 6. p. 2. num. 19. qui cum Henriq. Rodr. Reg. et aliis communiter id docent.* Si autem recordetur soluti jejunii ante consecrationem, et præsertim ante canonem, debet utique desistere à missa, si possit sine infamiæ nota, aut scandalo, ut etiam communiter dicunt *Lugo d. 15. n. 70. Pal. p. 15. n. 22. Bon. l. c. p. 1. n. 16. Conc. t. 8. p. 564. num. 10. Cont. Tourn. de Euch. cap. 6. art. 2. sect. 1. v. Quid autem Ronc. c. 5. q. 9. r. 5. et Salm. de Euch. c. 7. p. 4. n. 79. cum Suar. Laym. Gabr. etc. ex D. Th. q. 85. art. 6. ad 2. ubi ait; Tullius reputarem, maxime in casu manducationis, quod missam inaptam desereret, nisi grave scandalum timeretur. Censet autem S. Bonav. ap. Bon. dict. n. 16. et probabile id putant Sotus, Ang. Reg. etc. *ibid.* propter hanc rationem scandali nunquam desistendum esse à missa inchoata, quia ferè nunquam sine scandalo illa omitti posset. E converso dicit *Concina* rarò in hoc posse scandalum accidere. Melius sentio dicendo cum *Cont. Tourn. loc. cit.* semper scandalum posse timèri, nisi celebrans sit notæ, aut saltem præsumptæ prohibitæ.*

« Dixi scandalum: quia turbationem, vel incommodum » aliquod secuturum, v. g. si celebraturus primitus aliquid » sumpsisset, non sufficere notat *Prap.* » (*nisi adessent graves circumstantiæ. Croix n. 385. cum Gob. Vide n. 257.*) » 288. « — 4. Si perfectio sacrificii, vel communionis ur- » geat. Quod fieri potest quinque modis: I. Si pro speciebus » vini sumpsit aquam (quam si advertat, dum habet in ore, » non est expuenda ob periculum ejiciendi fragmentum ho- » stiæ, et irreverentiam, sed deglutienda. *Tamb. de expel. » sacrif. lib. 2. cap. 8. Card. de Lugo d. 15.*) » (*Et idem rectè dicit Conc. p. 565. n. 9.*) « tunc enim tenetur demò » consecrare » (*utramque materiam*) « quod fieri etiam po- » test, consecrando, et offerendo statim, sine nova hostia » : » (*Ut Scotus, Suar. Laym. etc. ap. Croix l. 6. q. 2. n. 345.*

At Rubrica Missalis de defect. cap. 4. num. 5. utramque sententiam (nempe quòd debeat consecrare novam hostiam. vel possit tantum vinum) docet esse probabilem, si in publico celebretur.) « Vide apud Suar. Quòd si id post missam conclusam advertas in sacristia. omittas » (cum Salm. de Euch. c. 7. p. 4. n. 80. Conin. Laym. etc.) « Si autem intra missam post sumpcionem. vel etiam ante eam, post consecrationem tamen. dubites an fuerit vinum, pro vino præsumendum esse, et pergendum, ait Tamb. » (Cum Gob. apud Croix l. 6. p. 2. n. 555. qui tamen cum Pasq. et Avers. dicit consecrandum esse aliud vinum, quando prudens adest dubium; nisi diu alia materia esset expectanda, ut n. 556. Vide dicta n. 206. v. Quail.) « II. Si celebrans post consecrationem deficiat: tunc enim tenetur alius, etiam non jejunos, si jejunos haberi nequeat, perficere. III. Si post consecrationem etiam unius speciei recordetur, se non esse jejunos: tenetur enim pergere; imò etiam potest pergere, si ante consecrationem recordetur, et absque scandalo. et nota non possit desistere, v. g. in solemnì sacro, ut docent Suar. Con. etc. Si tamen privatum celebret, et commodè possit abrumpere, tenetur, uti ex S. Th. p. 5. q. 85. ar. 6. ad 2. docetur commun. » (Vide dicta n. 262. dub. 1.) « IV. Si post ablutionem sumptam, licet diu communionem distribuerit, sumende sunt reliquæ etiam grandiores consecrate eodem sacro »; (ut Salm. ib. n. 80. cum Con. Suar. Pal. Laym. Bon. Vasq. etc. vide dicta n. 251.) « quod addo. quia non licet tunc sumere particulas alterius sacrificii quæ sunt in ciborio, ad allud expurgandum, ut docent Suar. Card. de Lugo loc. cit. cum communi, licet contrarium probabile dicat Tamb. de exped. Com. cap. 2. §. 8. ex March. t. 5. p. 5. c. 5. Ut nec ejusdem sacrificii, si illud planè sit absolutum, et ab altari recesseris, sed debent servari donec sumantur à jejuno, Escob. t. 7. e. 6. Fagund. etc., quia convivium jam finitum est. Nisi tamen aliud suadeat periculum indecentiæ, v. g. si plures missæ eodem die istic futuræ non essent, et sacramentum asservari non soleret, tunc enim minore irreverentiâ sumeret, quàm asservaret. Imò Card. de Lugo d. 14. p. 4. n. 82. et Gran. non damnant sacerdotem, qui prius quàm sacras vestes exuit, particulam

inventam absumit, eò quòd non sit communio nova, sed complementum præcedentis. Vide Bon. Card. de Lugo, Escob. ll. cc. V. Si pars hostiæ post ablutionem sumptam, calici, aut palato adhæreat (quæ decentiùs novâ ablutione, quàm digito propellitur, ut docet Bon. ex Fill. et aliis, quamvis Missale etiam permittat, ut digito attrahatur ad labium calicis, et sumatur ante ablutionem): quo modo etiam ii excusantur, qui ex devotione hostiam in ore diu retinentes, casu præmittunt aliquid ablutionis: spontè tamen id non licet, nisi bona fides, et sancta simplicitas excuset. Ratio horum omnium est, quia talis sumptio moraliter censetur completio unius sacrificii. Reg. l. c. n. 125. Bon. l. 1. d. 4. qu. 6. p. 2. »

Dicunt Suar. Sylvest. Ang. et Fill. ap. Salm. de Euch. c. 7. p. 4. n. 81. in fin. et Croix l. 6. p. 1. n. 611. in fin. cum Tamb. licitum esse dare agro minimam particulam simul cum ablutione, si ob siccitatem nequeat illam deglutire; imò P. Zaccharia ap. Croix ad dict. n. 611. refert hanc fuisse consuetudinem monachorum Cluniacensium. Præterea, licet datur etiam sano ablutio aquæ, aut vini, ut possit deglutire particulæ fragmenta, quæ ori hæserint, ut tradit Bened. XIV. de Sacr. Miss. l. 2. c. 22. utque pluribus in locis mos habet; eò quòd, ut communiter docent Lugo d. 15. n. 79. et 85. Pal. p. 15. num. 21. Holzm. t. 1. p. 531. n. 75. Croix l. 6. p. 1. num. 575. et Salm. l. c. circa med. cum Suar. Vasq. Con. Laym. et Bon. quamvis ablutio prius deglutiat, quàm hostia, vel hostiæ fragmenta hoc non obstat jejuniò. Ratio, quia violatio non censetur moraliter communionem præcessisse; præceptum enim jejunii est, ut ante Eucharistiæ sumpcionem nihil sumatur; quando autem unâ cum ablutione simul sumitur Eucharistia, tunc totum illud ex ablutione, et particulis sumitur unicâ sumpcione, unde benè verificatur violationem jejunii communionem non præcessisse. Et ideò in die Parasceves instituit Ecclesia, ut simul cum vino sumatur particula consecrata in die præcedenti; atque in Rubr. Missal. t. 10. n. 8. dicitur: si particula hæreat calici, posse vinum infundi, et eam sumi; adduntque Lugo num. 85. et Salm. cit. num. 81. posse iterum vinum infundi, usque dum particula sumatur. Ex quibus omnibus Lugo d. n. 79. vocat falsam opinionem illorum, qui di-

cunt hujusmodi sumptione frangi jejunium. Saltem omnes concedunt hanc fractionem non obstare jejunio ab Ecclesia præcepto.

289. — « Unus casus est, in metu mortis, ad quam evadendam, sicut sine altari, vel calice consecrato, aut vestibus sacris; ita etiam non jejunum posse celebrare, docet *Dian.* » cum *Sylv. etc. p. 5. t. 6. r. 48. et p. 5. t. 5. r. 59.* dummodò celebratio non exigatur in contemptum religionis, Ecclesiæ, vel ejus præceptorum.

Quod ob metum mortis liceat post cibum celebrare, secluso contemptu, plures DD. admittunt præter *Sylvest. et Dian.* ut suprâ; id concedunt etiam *Viva q. 4. ar. 8. n. 9. v. IV. Casus, et Salm. de Euch. c. 7. p. 4. n. 82. cum Ochag.* Sed celebrare sine vestibus sacris, vel sine altari, veriùs id nunquam est licitum, cum sit intrinsecè malum ob irreverentiam quæ sacrificio inferretur; vide dicendam. 577. dub. 2. neque ad dandum Viaticum, ut rectè docent *Bened. XIV. de Sacrific. missæ l. 5. c. 19. n. 6. et Lugo, ac Dicast. ap. Croix lib. 6. p. 1. n. 610. contra Jordan.* At dices: cur propter metum mortis licebit celebrare sine jejunio, et non licebit sine vestibus sacris? Procul dubio huic difficultati non inveni responsionem omninò adæquatam; tantùm responderi posset, quòd præceptum celebrandi cum vestibus sacris sit ad eòs rigorosè acceptum ab Ecclesia; ut in nullo casu dispensasse sciatur, et propterea vestes reputantur quid intrinsecum cultui tanti sacrificii; præceptum autem jejunii non ita rigorosè accipitur, cum in pluribus casibus Ecclesia permittat communicare non jejunis, prout dictum est n. 284.

Hic ultimò advertendum, quòd si quis post comestionem non dormierit, vel non sit digestus, respectu ad præceptum jejunii, benè possit communicare, ut dicunt *Suar. d. 68. sect. 4. Juenin. t. 7. p. 550. et Bon. p. 2. n. 11. cum Nav. Soto, Reg. Fill. Henr. et aliis communiter, contra Panorm. etc. ap. Conc. p. 565. n. 15.* Cæterùm quandoque convenit talem à communionem abstinere propter animi torporem, ut rectè dicunt *Cont. Tourn. cap. 6. art. 2. sect. 1. v. Quatuor hic, et Concina l. c. ex D. Thoma q. 80. art. 8. ad 5. ubi sic docet: Nec refert, utrum post cibum vel potum assumptum dormierit, aut etiam digestus sit quantum ad rationem præcepti. Refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter indigestionem, aut insomnietatem,*

» ex quibus si mens multùm perturbetur, homo ineptus fit ad sumptionem hujus sacramenti. Hoc tamen puto non procedere, si vigilia, vel indigestio provenerit ex causa naturali, aut rationabili, et honesta, nec si homo conetur turbationem illam repellere, faciens, quantum in se est, ut devotè accedat, prout diximus de eo, qui pollutionem est passus. Vide n. 272. in fine.

ARTICULUS III.

Quæ, et quanta sit obligatio sumendi Eucharistiam?

- 290 An communicatio in adultis sit necessaria necessitate mediæ?
 291 An et quando quisque in periculo vitæ teneatur sumere communionem?
 292 Quid agendum in periculo vomitûs, vel in casu delirii?
 293 An pueris ministrandum Viaticum?
 294 De obligatione communicandi.
 295 Quando obliget præceptum divinum, et quando ecclesiasticum?
 296 Dub. I. Quomodo computandus annus obligationis?
 297 Dub. II. An qui non communicavit in Paschate, teneatur communicare quamprimum? Quid si quis ad implendum præceptum paschale, prævidens impedimentum, communionem anticipavit?
 298 Dub. III. An qui non potest communicare in Paschate teneatur prævenire?
 299 Dub. IV. An teneantur fideles tollere impedimentum, ut communioni paschali satisfaciant?
 300 De obligatione communicandi in parochia. An examantur sacerdotes, peregrini, famuli religiosorum? An alii ex consensu pastoris?
 301 De obligatione puerorum communicandi in paschate. Qu. I. An pueri teneantur, aut possint communicare statim post usum rationis? Dub. 1. Quâ ætate censeantur obligati ad communionem? Dub. 2. An infantibus sit danda communicatio in articulo mortis?
 302 Qu. II. An possit ministrari communicatio amentibus?
 303 Qu. III. An semifatuis, mutis, surdis, et obsessis?

290. — « RESP. 1. Sumptio Eucharistiæ fidelibus adultis est necessaria necessitate non mediæ » (At vide dict. n. 192.)

« sed præcepti divini obligantis tùm in articulo mortis per modum Viatici, tùm etiam sæpiùs in vita, ut docent *Suar.*
 » *Vasq. Laym. Fagund. et alii communiter*; probantque tùm
 » ex Scriptura, tùm ex concil. Nicæno, et Tridentino *sess. 15.*
 » *c. 6.*, tùm ex praxi Ecclesiæ, tùm quia Eucharistia est insti-
 » tuta per modum cibi, cujus usus sæpiùs est necessarius.
 » *Bonac. d. 4. q. 7. p. 1. n. 8.*

Unde resolves :

291. — « 1. Quisque fidelis in periculo vitæ, quod prævi-
 » det, vel meritò timet, v. g. in gravi morbo, ante con-
 » ctum, vel puerperium, præsertim primum, ante naviga-
 » tionem, etc. tenetur sub mortali communicare. *Suar.*,
 » *Vasquez d. 214.* » (Ita *Elbel p. 104. n. 151. Antoine*
p. 481. quæst. 1. et Ronc. cap. 6. quæst. 5. cum Tambur. et
communi.) « Nisi tamen paucis, v. g. octo diebus ante com-
 » municasset: talis enim communio censeretur habere ratio-
 » nem Viatici, ut docent *Suar. Regim. Fill.* contra quosdam,
 » ut *Gasp. Hurt. d. 10. diff. 2. etc. apud Escob.* qui dicunt,
 » eum, qui manè communicavit, si à prandio incurrat peri-
 » culum vitæ, tenèri iterùm sumere communionem, tam-
 » quam Viaticum », (Vide dicta n. 285. *Dub. 5.*) « imò *Sa,*
 » et *Sylv. v. Euchar. Fumus etc. et Caj. v. Communio*, pu-
 » tant non esse saltem mortale, communionem omittere,
 » dummodò in Paschate sumpseris. » (Vide dicta n. 279. in
fin. v. Dicit.)

292. — « 2. Si in ægro esset periculum vomitùs, docet
 » *Sancius apud Dian. p. 5. t. 5. r. 53.* posse ei parvam
 » particulam dari, quæ stomachum alteraturam non putetur,
 » aut si de hoc ipsi dubium sit, securitatis causâ, priùs dari
 » particulam non consecratam, quam si rejiciat, nullo modo
 » dandam consecratam: secùs, si retineat. Si verò indepen-
 » denter à cibo perpetuò evomat, nullo modo dandam, nisi
 » fortè per sex saltem horas liberâ vomitu fuisset.

In dubio, an sumens sit particulam revomiturus, probabi-
 liùs dicit *Croix l. 6. p. 1. n. 522. cum aliis communiùs*, non
 esse licitum communicare (contra *Tamb. Gob. etc.*) quia re-
 verentia sacramenti præferri debet utilitati infirmi. In casu
 autem delirii censent *Salm. cap. 8. n. 14. cum Zambrano*,

esse optimam praxim, ut detur infirmo antecederet particu-
 lula non consecrata ad experiendum, si decenter possit inde
 sumere Eucharistiam. Si verò æger tussi vexetur, potest com-
 municare, quia, licèt phlegma, quod ejicit, plerùmque de
 pectore ascendat, non est tamen periculum rejiciendi sacras
 species, cùm via per quam sputa tussiendo excutiuntur non
 sit œsophagus, seu via cibi et potùs ad stomachum, sed est
 aspera arteria, seu via respirationis ad pulmones; ita *Croix*
num. 554. cum Palao, et Gqb. Modò tamen, benè advertit
Croix, particula possit in stomachum descendere: nam si tussis
 esset ita assidua, ut id non permitteret, abstinendum esset à
 comunione, uti habetur in *Rit. Rom. Commun. infirmor.*

295. — « 5. Pueris doli capacibus, qui sciunt distinguere
 » Eucharistiam ab alio cibo, probabiliùs est in periculo mor-
 » tis eam esse dandam pro Viatico, ut contra *Vasq.* insinuat
 » *Laym. t. 4. de Euchar. c. 4. et expresse docet Suar. d. 40.*
 » *sect. 1. confirmatque Card. de Lugo d. 15. sect. 4. n. 58.*
 » *cum Salm. de Euch. c. 8. p. 1. n. 12. et 15. Pal. Dian. etc. et*
 » addit (contra *Sanch.*) si de capacitate pueri sit dubium, posse
 » nihilominùs dari, etsi non sit necesse cum *Dian. et Possev.*
 » *apud Salm. dict. n. 14.*

« 4. Qui post Viaticum sumptum peccavit mortaliter, non
 » tenetur denuò communicare. Ita *Reg. Fill. Card. de Lugo*,
 » *et alii.* » (Cum *Conc. p. 520. n. 15. et Salm. ibid. n. 9. Suar.*
Cominch. Bon. etc. Ratio, quia nullibi talis obligatio præscri-
bitur, cùm sufficiat tunc sola confessio; est tamen contra Sot.
Tab. et Arm. apud Salm. l. c.

« 5. Qui non communicavit in periculo mortis, non tene-
 » tur postea supplère. Ita *Bonac. d. 4. q. 7. p. 1. ex Henr.*
 » *Reg. etc.*

« 6. Judex tenetur, per se loquendo, reis concedere tem-
 » pus communicandi, ut docent *Suar. Bon. l. c. et alii com-*
 » *munitè, contra Nav.* Quòd si reus noluerit, potest judex
 » procedere. *Fill. t. 4. cap. 8. q. 11. n. 258.* » (Aliàs daretur
 » *reis ansa non communicandi. Sot. Bon. Reg. cum Salm. ibid.*
n. 11. Vide aliàs dicta n. 247; quibus adde, S. Prüm V. ut
fert Roncag. cap. 6. quæst. 5. r. 1. improbasse consuetudinem
non ministrandi Eucharistiam damnatis ultimo supplicio; et
debet, si oportet, ministrari etiam non jejunis. Vide dicta n.
285. dub. 5. v. Hic autem).

294. — « Resp. 2. Etsi Christus tempus communionis, » extra periculum mortis, non præceperit : Ecclesia tamen » pro ea determinavit tempus paschale, quod communiter » numeratur à Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in » Albis inclusivè; alicubi tamen totam Quadragesimam com- » prendit; alibi extenditur ex consuetudine, vel indulto, » potestque confessarius ex justa causa extendere, ut docent » Sa, et alii. Vide Bon. d. 4. q. 7. p. 2.

Unde resolves :

« 1. Præceptum hoc impletur etiam per communionem » sacrilegam, ut habet communis, contra Durand. et Sylv. » Et patet, quia Ecclesia tantum præcepit actum externum; » nec finis præcepti cadit super præceptum. » (Hoc tamen » damnatum est in propos. 35. ab Innoc. XI. quæ dicebat : » Præcepto communionis annuæ satisficit per sacrilegam Domini » manducationem). « An verò, qui non satisfecit, teneatur po- » stea implere utrinque probabiliter defenditur, etsi affirma- » tiva videatur probabilior. Bonac. Suar. l. c. Con. Card. » de Lugo, etc.

« 2. Non tenetur prævenire, qui prævidet, tempore pa- » schali se impediendum, ut contra Vasq. Sylv. et Fagund. » probabiliter docent Az. t. 1. l. 17. c. 41. Suar. etc. Qui verò » sic prævenisset, et postea tolleretur impedimentum, tene- » retur rursus communicare, secundum Laym. lib. 5. t. 4. » cap. 5. Card. de Lugo sect. 4. n. 78. quia non satisfecit » præcepto obliganti ad communionem, et ad illud tempus. » Negat tamen Diana citans Fernand. et Suarez.

295. — Queritur, quomam tempore fideles obligentur com- » municare? Duplex quidem de hac obligatione adest præcep- » tum, divinum, et ecclesiasticum. Divinum habetur ex illo » Joann. c. 6. v. 54. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, » et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et » hoc præcepto tenemur Eucharistiam suscipere, non solum in » periculo mortis, ut ait Bus., sed etiam sæpius in vita, ut » communiter docent Suar. 5. p. d. 69. s. 1. et 5. Cont. Tourn. » cap. 7. art. 2. sect. 2. concl. 1. Escob. l. 20. n. 401. cum Soto, » Con. Bon. et aliis passim, ex D. Thomæ 5. p. qu. 80. art. 11. » Ratio, quia sicut oportet sæpius sumere cibum terrenum ad

conservandam vitam corporalem, ita cibum cælestem ad con- » servandam vitam spiritualem. Imò rectè dicunt Salm. de Euch. » c. 8. p. 1. n. 16. cum Lugo, Val, P. Soto, Fill. etc. quòd ali- » quando per accidens tenetur homo ex hoc divino præcepto ad » communicandum fortè etiam sæpius in anno, si hoc censeret » necessarium ad superandam aliquam gravem tentationem. Hoc » tamen dicit Suarez rarissimè evenire posse, cum ad hoc suf- » ficere possint alia remedia, orationes, pœnitentiæ, etc. Eo » casu autem, quo communicatio esset necessaria, homo illam » omittendo non peccaret contra illius præceptum, sed contra » virtutem, adversus quam tentationem patitur. Cæterum cer- » tum est apud omnes, quòd huic præcepto, per se loquendo, » quisque satisfaciatur communicando semel in anno.

Præceptum autem ecclesiasticum habetur ex concilio Late- » ranensi IV. Licet enim erat olim obligatio communicandi » saltem ter in anno, nempe in Paschate, Pentecostè, et Natali » Domini, ut statuit Fabianus Papa in can. 16. de Consecr. » dist. 2. Tamen ex præfato concilio fideles hodie obligantur ad » communicandum tantum semel in anno tempore paschali, » ut patet ex cap. Omnis, de pœnit. et remis. ubi dicitur : » Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretio- » nis pervenerit, semel saltem in anno confiteatur... suscipiens » reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum; » nisi fortè de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabi- » lem causam ad tempus ab ejusmodi susceptione duxerit absti- » nendum; alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et » moriens christianâ careat sepulturâ. Hæc autem pœna non » incurritur nisi post sententiam, ut dicunt Palauus p. 15. n. 14. » Viva de pœnit. q. 4. a. 5. n. 5. et alii communiter : idque col- » ligitur ex cod. textu citato.

296. — Dubitatur I. Quomodo computandus sit annus obli- » gationis hujus annuæ communionis? Alii censent computan- » dum esse à Januario ad Decembrem, ut sentiunt Lugo d. 16. n. » 68. et Palauus tract. 25. p. 20. §. 2. n. 10. cum Vasq. Sed ex » communi DD. sententia, et consuetudine ubique recepta, tem- » pus computatur à Paschate ad Pascha, quia hic censetur annus » ecclesiasticus. Itaque Suar. d. 56. s. 5. n. 8. Laym. l. 5. tr. 6. » c. 5. n. 8. Ronc. de pœn. c. 1. q. 4. r. 1. Bon. d. 5. q. 5. p. » 4. n. 19. cum Azor. Henr. Sylv. et Salm. de pœnit. c. 7. p. 4. » n. 58. cum Sa, Fill. Reg. et aliis communiter. Tempus autem

paschale incipit à Dominica Palmarum, et terminatur Dominicâ in Albis, ex declaratione *Eugenii IV.* in bulla, *Fide digna*, anno 1440. Ex consuetudine tamen, necessitate, vel privilegio plus temporis conceditur, ut *Cont. Tourn. de præc. Eccl. cap. 5. v. Quær. 2. Lugo d. 16. n. 62. Pal. par. 15. n. 2. Salm. de Euch. c. 8. p. 2. n. 17. et Ronc. c. 6. qu. 5.*

297. — Dubitatur II. An qui in Paschate communionem omisit, teneatur quamprimùm communicare? Adsunt tres sententiæ.

Prima sententiæ communior, cui subscribo, et quam tenent *Nav. c. 12. n. 45. Suar. d. 70. sect. 1. v. Dico ergo. Lugo d. 16. n. 65. Gonet, t. 6. p. 510. v. Præter, Pal. p. 15. n. 7. Cont. Tourn. loc. cit. v. Qu. 5. Bened. XIV. t. 5. Edict. p. 42. Antoine p. 482. n. 8. Elbel t. 3. p. 105. n. 127. cum Henno, Salm. ibid. n. 21. cum Laym. Con. Bonac. et Vasq. ac Croix l. 6. p. 1. n. 644. cum Azor, Sylvest. Hartad. Aversa, etc.* absolutè affirmat, tum ex præcepto ecclesiastico, tum divino. Ex præcepto divino, quia, licet Christus hoc præceptum communionis non determinaverit, reliquit tamen determinandum Ecclesiæ, quæ postea servandum esse determinavit saltem semel in anno, ut dicunt *Suar. d. 70. sect. 1. in fine, Gonet l. c. Pal. p. 15. n. 1. Bon. q. 6. p. 5. n. 9. Lug. n. 28. Cont. Tourn. de Euch. cap. 7. art. 2. sect. 2. concl. 2. Croix n. 599. Antoine p. 582. n. 8. et Salm. de leg. c. 2. p. 10. n. 162. circa med.* Ex præcepto ecclesiastico, tum quia tempus paschale non est ab Ecclesia assignatum ad finiendam obligationem, sed ad eam sollicitandam: unde quando obligatio jam contracta nondùm impleta est, quamprimùm impleri debet; tum quia, ut dicunt *Gonet p. 510. Lugo d. 16. n. 65. Pal. p. 15. n. 7. Cont. Tourn. de 5. præc. Eccl. loco supra cit. Salm. de Euch. c. 8. p. 2. n. 21. etc.* Ecclesia circa communionem duo imposuit præcepta, unum communicandi infra annum, alterum communicandi in Paschate, ut colligitur ex citato *cap. Omnis, et ex Trid. sess. 15. can. 9.* ubi dicitur: *Si quis negaverit omnes fideles teneri singulis annis saltem in Paschate, ad communicandum juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ, anathema sit.* Nota singulis annis saltem in Paschate; ergò si communicatio in Paschate fuit omissa, debet quamprimùm impleri antequam terminetur annus. Dicunt autem *Lugo n. 66. et Bernal apud Croix n. 644.* quòd si quis omisit

communicare in Paschate, non peccat quoties datâ opportunitate communionem differt, sed tantùm, si intra annum communionem omittit; quia tunc præceptum communicandi in Paschate non potest amplius observari; unde remanet sola obligatio alterius præcepti communicandi saltem semel in anno. Sed probabilius contradicunt *Cont. Tourn. ibid. cum Azor, Suar. etc., ac Croix l. c. cum Vasq. Aversa etc.* quia, ut communiter dicunt auctores hujus sententiæ, hoc præceptum communicandi in Paschate non est datum ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem.

Secunda sententiæ, quam tenent *Armillæ, et Tabiena ap. Suar. d. 70. sect. 2. v. Alii, et Renzi t. 2. p. 547. qu. 5.* distinguit et dicit, quòd si quis omiserit communionem ex malitia, non tenetur quamprimùm communicare, quia jam transgressus est præceptum, quod tempori paschali affixum est; tenetur verò, si ex impotentia fuerit impeditus, quia tunc præsumitur Ecclesia consensisse in dilationem, sed noluisse ab obligatione communionis hominem eximere.

Tertia sententiæ autem absolutè negat teneri illo anno ad communionem, qui eam omisit sive ex malitia, sive ex impotentia; hæc tenent plures graves AA. prout *Sol. in 4. d. 18. qu. 1. ar. 4. Sa v. Euch., Tol. l. 6. c. 18. n. 5. item Sylv. Val. Med. Vict. et Led. ap. Dian. part. 5. tract. 4. r. 41. et probabilem putant Palaus p. 15. n. 6. Busemb. ut supra, et Bonac. p. 2. n. 15. cum Henricq. et S. Anton. qui eam absolutè docet part. 2. tit. 9. c. 9. §. 5. ubi loquens de hoc casu, sic ait: Non videtur teneri, quod patet ex similibus. Omittendo jejunium Ecclesiæ, quis dicit, quòd adhuc teneatur supplere in alia die? Et idem de violatione festorum, de omissione missæ, et aliis; hoc enim si verum esset, quod teneatur ex necessitate quousque supplere multa mortalia committeret faciendo contra unum præceptum, et sic Ecclesia laqueos injiceret animabus, quod cavet. cap. Videas 27. quæst. 1. Ratio hujus sententiæ est, quia præceptum communionis est affixum tempori paschali, sicut præceptum jejunii, et audiendi missam est addictum vigiliis, et festis. Unde sicut quis non tenetur jejunare, aut missam audire transacto die vigiliæ, aut festi, ita nec communicare elapso tempore paschali. Nisi (certè excipiendum) fuerit impeditus à communionem de consilio confessarii, ut tenent *Salm. n. 19. Pal. n. 5.**

et alii communiter; hoc enim expressè cautum est in c. *Omnis*, suprà allato.

Negant autem auctores hujus sententiæ adesse hoc duplex præceptum, nempe communicandi in anno, et communicandi in Paschate: sed unicum tantum præceptum dicunt Ecclesiam imposuisse, affixum tempori paschali, quo transacto, nulla remanet obligatio communicandi. Negant pariter extare præceptum divinum communicandi semel in anno; nam licet adsit obligatio communicandi sæpius in vita, præceptum tamen communicandi semel in anno dicunt esse merè ecclesiasticum; non secus ac præceptum sæpius colendi Deum est quidem de jure etiam divino, sed obligatio audiendi missam in Dominica, prout præscripsit Ecclesia, est tantum de jure ecclesiastico, ut fusè tuentur ipsimet *Salm. de 5. præc. c. 1. p. 4. n. 58. cum Soto, Cajet. S. Anton. Azor, Nav. Suar. Pal. Bon. et aliis communissimè*, ex *D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 4.* ubi ait: *Dicendum quòd observantia diei Dominicæ in nova lege succedit observantiæ Sablati; non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, et consuetudine populi christiani. Vide alia dicta l. 4. n. 263.* Apud AA. secundæ sententiæ neminem reperi, qui huic paritati adæquatè respondet; unde hanc tertiam sententiam non contemnendam puto, saltem quia ex neutro præcepto, divino ac ecclesiastico constat hæc obligatio communicandi transacto tempore paschali. Hoc tamen non obstante, nolo recedere à prima sententia.

Dicit autem *Tamb. n. 58. cum Diana*, quòd si quis communicaverit ante tempus paschale, prævidens impedimentum communicandi in Paschate, cum intentione satisfaciendi præcepto illius anni, adhuc cessante postea impedimento non tenetur in Paschate communicare. Sed hoc rectè non admittunt *Lugo d. 16. num. 77. Palcus p. 15. n. 18. Salm. de Euch. c. 8. p. 2. n. 22. in fin. et Antoine c. 2. q. 1. r. 2.* quia intentio non potest efficere, ut actus positus tempore quo nondum cæperit obligatio, sit satisfactorius: sicut qui prævidet die dominico se impeditum fore, audiendo missam die præcedenti ex intentione satisfaciendi crastinæ obligationi, certè non satisfacit. Id confirmatur ex Rituali Romano de *Euch.* ubi sic dicitur: *Ægrotis quoque parochialibus etiamsi communionem extra præscriptos paschales dies sumpserint, in paschalibus diebus illum parochus deferet ac ministrabit.*

298. - Dubitatur III. An qui non possit communicare tempore Paschatis, teneatur prævenire?

Prima sententia negat, et hanc tenent *Suar. d. 70. sect. 2. in fine. Holzm. t. 1. p. 547. n. 57. Bus. ut supra, Tamb. Meth. Comm. c. 4. §. 4. n. 57. Bon. d. 4. q. 6. p. 2. n. 15. cum Coninch. Fill. Reg. Molf. et Renzi cum Azor. Vasq. etc.* Ratio est eadem, quæ adducta est ab AA. tertiæ sententiæ in præcedenti quæstioni, nempe quia hoc præceptum addictum est tempori paschali, quo non incepto nulla est obligatio.

Secunda sententia verò, quam tenent *Laym. c. 5. n. 9. Lugo d. 16. n. 75. Pal. p. 15. n. 8. Habert t. 5. p. 599. q. 5. Elbel t. 5. p. 105. n. 127. Croix l. 6. p. 1. n. 642. et Antoine p. 485. n. 9. Salm. cit. n. 22. et Cont. Tourn. de præc. Eccl. cap. 5. v. Quær. 4.* dicit, quòd si communio non sit differenda ultra annum ab ultima communionem facta, non tenèris prævenire, cum antecedens illa communio non sit impletiva præcepti paschalis, et eandem obligationem relinquat. Secus verò, si ultra annum differri deberet, quia tunc tenèris communionem anticipare, tum ex præcepto divino communicandi semel in anno, modo quo ab Ecclesia est determinatum; tum ex præcepto ipsius Ecclesiæ, quæ duas obligationes imponit, nempe communicandi infra annum, et communicandi in Paschate ut suprà dictum est. Unde, si obligatio communicandi in Paschate nequit impleri, saltem implenda est obligatio communicandi semel in anno. Hæc secunda sententia in se spectata valde probabilior mihi videtur; sed advertendum, quòd ipsa procederet tantum juxta opinionem illorum, qui dicunt obligationem hujus annuæ communionis incipere à Januario, et terminari ad Decembrem. At quia communis sententia aliorum, et universali usu fidelium comprobata, ut diximus *n. 296.* quòd hujusmodi obligatio urgeat à Paschate ad Pascha; hinc dicendum videtur nullam ei esse obligationem præveniendi, qui prævidet non posse communicare tempore paschali, quia (ut bene advertit *P. Suar. l. c.*) talis communio non esset adimpletiva præcepti; tempore enim quo fieret, non adhuc inceptum esset tempus obligationis, cum nondum inceptum tempus annuæ communionis. E converso certum est, quòd, cæpto tempore paschali, si quis impediendum à communionem se prævidet, tene-

tur illicò eam accipere, ut communiter docent Suar. Sa, et Bon. cum Salm. de Euch. c. 8. p. 2. n. 25.

299. — Dubitatur IV. An teneantur fideles tollere impedimenta, ut præcepto annuæ communionis satisfaciunt? Communiter dicunt Lugo d. 16. n. 17. Croix l. 6. p. 1. n. 626. Tamb. c. 4. §. 4. n. 40. Salm. de censur. c. 5. p. 7. n. 74. Diana p. 3. tr. 9. r. 78. Viva q. 4. a. 2. n. 10. cum Laym. quòd excommunicatus tenetur obtinere absolutionem, ut possit præceptum implere; quia communio valde confert ad animæ salutem, unde ipsius præceptum rigidè obligat ad auferenda mala spiritualia quæ obstant. Censent verò Tamb. et Viva ll. cc. carcere detentos non tenèri ad quærendam libertatem, ut communicent. Sed probabiliùs contradicunt Salm. l. c. cum probabiliùs sit hoc esse præceptum divinum, juxta dicta n. 297.

500. — « Resp. 3. Tenetur quis communionem paschalem sumere in parochia à pastore suo, nisi hujus licentiâ, » privilegio, aut consuetudine eximatur. Nav. Suar. d. 72. » sect. 2. etc. » (Ex cap. Omnis, de pœnit. et rem. Vide dicta n. 295.)

« 1. Sacerdos, ubivis celebrando, satisfacit. Bon. d. 4. q. » 7. p. 2. » (Ut communiter ex consuetudine dicunt Wigandt tr. 12. n. 48. Ronc. c. 6. q. 7. Antoine p. 482. n. 5. et Salm. de Euch. c. 8. p. 2. n. 29. cum Sa, Pal. etc. Intellige, si celebret, aliàs tenetur communicare in parochia, ut alii laici.)

« 2. Eximuntur peregrini, et vagi, qui parochiam non » habent, aut ab ea absunt. Bonac. l. c. » (Et ita absunt ut commodè ad illam accedere nequeant. Nec tunc tenentur communicare in Ecclesia matrice oppidi illius, neque in parochia in qua transeunter commorantur, ut Sanchez de matrim. lib. 5. disp. 25. n. 17. Salm. ibid. n. 51. Vide dicta n. 240. v. 9. Si in Paschate, et seq.)

« 3. Non eximuntur laici inservientes religiosis, ut habet » Sa, v. Euch., nisi, ut dicit Bon. degant in monasteriis, » aliisque locis à cura parochorum exemptis. Vide Sanchez de » matr. d. 52. n. 12. » (Vide dicta n. 240. v. 10. Si sint.)

« 4. Non satisfacit huic præcepto, qui in Paschate extra » parochiam sine consensu pastoris communicat, ut habent » Navar. Azor et alii commun., nisi tamen communiqueet in » cathedrali Ecclesia: hunc enim satisfacere præcepto censet

» Bonac. l. c., sed negat Card. de Lug. l. 1. res. mor., nisi » Episcopus expressè, vel tacitè consentiat. » (Sed opinio Bonacinæ nescio an sit probabilis, nisi adsit in aliquo loco communis usus, qui consensum Episcopi præsumere faciat, oves enim à proprio pastore agnosci debent.) » Vide supra c. » 2. d. 1. art. 1. cas. 7. 8. et 9.

« Dixi, sine consensu pastoris: quia cum consensu summi » Pontificis, vel Episcopi, sive Ordinarii, aut ejus vicarii » generalis, vel parochi (hi enim omnes intelliguntur nomine pastoris) extra parochiam communicando satisfieri » præcepto doctores concedunt. Et quidem sufficere consensum interpretativum, sive præsumptum » (Modò ex certitudine moralis de voluntate parochi, ut Salm. de Euch. c. 8. p. 2. n. 54. cum Suar. Lugo, Dian. et Tamb.) » notat Tamb. » de exp. com. c. 4. §. 4. Imò Bon. in theol. mor. p. 1. t. 5. q. » 19. Beja, et quidam alii apud Tamb. l. c. et de Lugo d. 18. s. 2. » n. 49., item Diana p. 2. t. 14. r. 73. et p. 6. t. 7. r. 58. putant » posse satisfieri præcepto communionis paschalis (præsertim » extra diem Paschæ) apud Mendicantes ex privilegio Nicolai V, » Pii V. et Pauli IV. certis concessio, quod cæteri participant. » Verùm hoc alii communiter negant. Vide Avers. q. 10. sect. 4.

Cum Diana ut supra sentiunt Beja, Rodr. etc. ap. Escob. l. 20. n. 441. benè fideles satisfacere præcepto, communicando in ecclesiis Regularium, vi privilegiorum à prædictis Pontificibus concessorum monasteriis D. Hieronymi. Sed communiter et meritò id reprobant Croix l. 6. p. 2. n. 631. et Salm. cit. n. 54. cum Lugo, Fag. Tamb. et aliis, qui dicunt neminem posse in Ecclesiis Regularium præceptum communionis implere, nisi cum licentiâ parochi certò præsumpta; ita etiam Suar. de rel. tract. 10. l. 9. c. 5. n. 6. Bon. d. 4. p. 1. n. 12. et Escob. n. 445. cum Vill. Nugno, Fag. etc. qui refert Declarationem S. C. an. 1586. apud Farinac. in Trid. sess. 15. can. 9. ubi dictum fuit minimè satisfacere præcepto communicantes in Ecclesiis Regularium. Nec obstant præfata privilegia (quorum meminit Bus.) nam ut ajunt AA. citati, cum Pontifices sæpè declararint, quoad communionem obligatoriam semper servandum esse illæsum jus parochorum, tam prædicta monasteria D. Hieronymi, quàm aliæ religiones, nunquam illis privilegiis usæ sunt, nisi pro suis familiaribus. Unde Escob. l. c. censet oppositam opinionem non esse

practicè probabilem. Et reverà nostra sententia à communi consuetudine videtur approbata.

501. — Pueri baptizati rationis impotes, et perpetuò amentes Eucharistiam sumendo verè gratiæ augmentum percipiunt, quia sufficit hoc sacramentum in gratia suscipere, ad ejus effectum sanè percipiendum. Ita *Suar. Vide Con. Pal. Laym. cum Salm. de Euch. c. 7. p. 1. n. 6.* Ob majorem tamen reverentiam hujus sacramenti, Ecclesia latina meritò illud parvulis dari prohibuit, ut habetur ex communi sensu Ecclesiæ, juxta *S. Th. p. 5. qu. 80. art. 9. ad 5. Vide Catech. Rom. n. 62. et Rituale Rom. de Euch.*

Sed quæritur I. An pueri statim ac habent usum rationis, possint ac debeant communicare?

Prima sententia affirmat, et hanc tenet *S. Antonin. tit. 5. t. 14. c. 12. §. 5.* ubi ait: *Cùm (puer) est doli capax, cùm scilicet potest mortaliter peccare, tunc obligatur ad præceptum de confessione, et per consequens de communione, quæ simul dantur.* Idem dicunt *Sanctius d. 26. et Pallud. ac de la Cruz ap. Escob. l. 20. n. 245.* probabilemque putat *Diana p. 5. tr. 6. r. 70. cum Tab.* Ratio, quia cùm tales pueri jam sint capaces committendi peccatum mortale, et se disponendi ad absolutionem per debitum dolorem, etiam capaces fiunt communionis, ad quam minor requiritur rationis discretio.

Secunda sententia verò communissima, et probabilior negat tenèri, et hanc docent *Suar. 5. p. d. 70. s. 1. v. Sed expectandum, Nav. c. 21. n. 57. Laym. c. 4. n. 5. Escob. n. 544. Pal. p. 10. nu. 11. Antoine p. 491. v. Pueri, Croix l. 6. p. 2. n. 646. Salm. ibid. n. 16. cum Vasq. Soto, Fill. Dicast. etc. ac Dian. l. c. cum Tol. Conc. Comit. Tann. Salas, et communi, ut asserit. Ratio, quia communis usus Ecclesiæ sic interpretavit obligationem hujus præcepti, tum ut pueri cum majori reverentia, et fructu Eucharistiam suscipiant; tum ne ipsi facilè exponantur periculo transgressionis. Et quamvis obligentur ad confessionem, non idèò tamen tenentur suscipere Eucharistiam, quæ est majoris excellentiæ, et non tantæ necessitatis. Nec obstat *cap. Omnis 12. de pœnit.* ubi dicitur quòd omnis fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, tenetur non tantum ad confessionem, sed etiam ad communionem; nam anni discretionis intelligendi sunt respectivè ad rationem materiæ: nempe cùm quis pervenerit ad discre-*

tionis annos pro confessione, confiteatur, quando ad discretionis annos pro communione, communicet. Sed notandum, quòd ex hujus sententiæ fautoribus alii, ut *Vasq. Hurt. Præpos. Gran. etc. apud Escob. n. 242.* censent tales pueros nec tenèri, nec posse communicare, quia (ut dicunt) Eucharistia non potest dari eis, qui non sunt capaces dignè communicandi. Alii verò, ut *Suar. l. c. v. Deinde, cum Soto, et Laym. Pal. ac Croix l. c.* probabilius dicunt, quòd esto pueri non teneantur communicare statim post adeptum usum rationis, non tamen prohibentur ad Eucharistiam accedere, semper ac sciant discernere hunc cœlestem eibum à profano; tunc enim, ut inquit *D. Th. (5. p. q. 80. art. 9. ad 5.): Quia possunt aliquam devotionem concipere, non est eis hoc sacramentum denegandum.* Idque confirmatur in *cap. penult. caus. 26. q. 6.* ubi dicitur: *Cui pœnitentiæ sacramentum conceditur, neque Eucharistiæ sacramentum negari debet, si desideret.*

Sed hic dubitatur I. Quando censeantur pueri obligati ad communicandum? *Sotus ap. Suar. et Corduba ap. Pal. ll. cc.* sentiunt hanc obligationem incipere à 12 anno; quia (ut ajunt) in ea ætate pueri tenentur ad leges ecclesiasticas. Sed hoc communiter rejicitur, prout diximus de *leg. l. 1. n. 155.* Hinc communiter dicunt doctores, regulariter loquendo, pueros non obligari ad communionem ante nonum, vel decimum annum; nec differendam eis esse communionem ultra duodecimum; ut sentiunt *Pal. l. c. et Salm. de Euch. c. 7. n. 18. cum Lug. Dic. Amico, etc.,* vel saltem ultra decimum quartum, ut ajunt *Suar. Laym. Wig. Antoine et Croix ll. cc.* Hicque notandum id quod præscripsit *S. Carolus Borromæus* (in *Synod. Diœces. IX.*) *Parochi illos, qui decennium attigerint, accersant, instruant ad cognitionem Eucharistiæ, doceantque, quàm reverenter ad eam accedant.* Dictum est *regulariter*, nam ut advertunt auctores, citius possunt obligari pueri, qui ante talem ætatem perspicaciores conspiciuntur. Unde rectè reprehendit *Ronc. c. 6. reg. 5.* parochos, qui indiscriminatim non admittunt ad communionem, nisi pueros in certa ætate constitutos. Dicunt autem *Nav. c. 21. n. 57. et Croix d. n. 646.* quòd, licèt pueri anno decimo possint ad communionem admitti, non tamen ipsi ad illam tenentur, sed tum solum eum à parochi vel parentibus moniti fuerint.

Dubitatur 2. An in periculo mortis communicatio tribuenda

sit pueris, qui rationis sunt impotes? Respondetur negativè, tum quia idem adest periculum irreverentiæ, tum quia talis est usus Ecclesiæ Romanæ. Ita commentiter *S. Th. l. c.* item *Caj. Suar. Pal. Laym. Bon. Lug. etc. cum Salm. de Euch. c. 7. p. 1. n. 7.* Et qui aliter ageret, graviter peccaret, ut notant *Salm. ibid. n. 8. cum Led.*, qui ait hujusmodi usum universalem Ecclesiæ quippe æquivalere, ac si esset prohibitio. Pueris verò, qui jam sunt compotes rationis, in articulo mortis non solum communio dari potest, ut dicunt *Nav. cap. 21. n. 57. et Caj. apud Wig. tr. 12. n. 46.*, sed etiam debet, ut communissime docent *Suar. dist. 70. sect. 1. Lugo dist. 15. n. 57. Laym. cap. 4. n. 3. Pal. p. 10. n. 11. Wig. l. c. Holzm. t. 1. p. 343. n. 45. v. Dixi 2. Antoine c. 2. q. 1. r. 2. Escob. l. 20. n. 244. et Salm. ibid. n. 15. cum Henr.*, et idem docet *Bened. XIV. de Synod. l. 7. c. 12. n. 5.* Ratio, quia ex una parte pueri in tali periculo constituti tenentur ex præcepto divino communicare; ex alia utilitas Eucharistiæ tunc majorem dispositionem non exposcit.

502. — Quæritur II. An communio sit ministranda amentibus? Perpetuò amentibus omninò est neganda, ut omnes dicunt cum *S. Thom. 5. p. q. 80. art. 9. ex Rituali Rom. de Euch.* ubi dicitur: *Amentibus seu phreneticis communicare non licet; licebit tamen, si quando habeant lucida intervalla, et devotionem ostendant, dum in eo statu manent; si nullum indecentiæ periculum adsit.* Aliis verò amentibus, qui non semper caruerunt usu rationis, sed nunc carent, censet *Gobatus t. 4. n. 155.* quòd in articulo mortis absolutè potest eis dari communio. Sed in hoc sequenda est doctrina *D. Th. l. c.* ubi sic ait: *Si prius, quando erant compotes suæ mentis, apparuit in eis devotio hujus sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi, nisi fortè timeatur periculum vomitus, vel expuitionis.* Idem ferè docuit *Catechismus Rom. part. 2. c. 4. n. 65.* dicens: *Amentibus præterea, qui tunc à pietatis sensu alieni sunt, sacramenta dare minime oportet; quamvis, si, antequam in insaniam inciderent, piam animi voluntatem præ se tulerint, licebit eis in fine vitæ ex concilii Carthaginensis decreto Eucharistiam administrare, modò vomitionis, vel alterius indignitatis et incommodi periculum nullum timendum sit.* Hinc sufficit, quòd talis æger piè vixerit, ut rectè diunt *Pal. p. 10. n. 7.*

Cap. 2. Dub. 2. De subjecto Eucharistiæ. Art. 5. 125
Holzm. t. 1. p. 343. n. 46. et Salm. de Euch. c. 7. p. 1. n. 9. et 10. cum Suar. Vasq. Conc. Laym. Bon. Fill. Hurt. etc. Ratio, quia ex una parte præsumitur is interpretativè communionem petere, ex altera huic Eucharistia adhuc necessaria esse potest, nempe si incidisset in amentiam existens in peccato mortali, de quo solum attritus fuerit: excipiunt tamen DD. apud *Salm. ibid. n. 11.* si certò præsumatur talis in amentiam incidisse penitens impœnitens. Extra tamen articulum mortis nullo modo Eucharistia amentibus est concedenda, ut *Salm. cit. n. 11. in fin. cum Suar. Laym. et communi.*

503. — Quæritur III. Quando concedenda sit Eucharistia semifatis, mutis, et obsessis. Respondetur, quòd *semifatis* semper ac sciant distinguere hunc cœlestem cibum ab aliis, tantum in articulo mortis, et tempore præcepti communio danda est. Ita *Holzm. n. 45. Laym. c. 4. n. 4. Wig. tr. 12. n. 57. et Salm. ibid. num. 12. cum Pal. Hurt. Dian. Henr. (contra Sanch. et Leand. qui concedunt toties quoties postulaverint).* Idem agendum est cum *mutis*, et *surdis* à natiuitate, modò ex signis constet eos discretionem habere, ut *Laym. Pal. et Salm. ibid. n. 15.* Imò rectè ait *Holzm. n. 50.* quòd si isti sint præditi non qualicumque discretionem, sæpius possunt communicare. Verùm *mutis*, *surdis*, et simul *cæcis* à natiuitate omninò neganda est communio cum *Wig. n. 58.* Epilepticis autem negatur communio tantum in paroxysmo, ut *Holzm. n. 48. Elbel n. 98. cum Laym. et Pal.* Idem agendum cum *obsessis* à dæmone, quando non sunt sui compotes. Cæterum *Salm. ibid. n. 14. cum Suar. Sot. Bon. Laym. et aliis*, ex doctrina *S. Th. p. 5. q. 80. art. 9. ad 2.* rectè ajunt Eucharistiam pluries in anno, juxta prudentiam confessarii istis concedendam esse, cum sit speciale remedium ad dæmones arcendos; hinc ait *Cassianus (ap. D. Th. l. c.):* *Eis qui ab immundis vexantur spiritibus communionem à senioribus nunquam meminimus interdictam.*

CAPUT III.

DE EUCHARISTIA UT EST SACRIFICIUM.

DUBIUM I.

Quid sit missa, et quæ obligatio sacerdotum circa illam?

- 504 *Definitio sacrificii missæ. Not. I. Quomodo definiatur sacrificium in genere? Not. II. Quomodo distinguantur sacrificia? Et quomodo sacrificium Eucharistiæ omnia illa contineat? Et in quo differat à sacrificio crucis? Not. III. An missa sit verum sacrificium?*
- 505 *In quo consistat essentia sacrificii missæ?*
- 506 *An ad essentiam sacrificii requiratur consecratio utriusque speciei?*
- 507 *Quinam sint offerentes in sacrificio missæ?*
- 508 *Pro quibus possit offerri missa?*
- 509 *Dub. 1. An pro excommunicatis? Dub. 2. An pro infidelibus?*
- 510 *An pro defunctis?*
- 511 *Effectus sacrificii missæ sunt quatuor: I. Remissio peccatorum. II. Remissio peccatorum. III. Augmentum gratiæ. IV. Impetratio bonorum.*
- 512 *De valore, et fructu missæ. An missa habeat valorem infinitum? Et an fructus missæ pendeat à probitate celebrantis?*
- 513 *De obligatione celebrandi, quam habent sacerdotes. Dub. 1. An ipsi ex præcepto gravi teneantur aliquando celebrare? Dub. 2. Quoties in anno teneantur celebrare simplices sacerdotes? Quoties parochi? Et quoties Episcopi?*
- 514 *De missa conventuali quotidie celebranda.*
- 515 *De obligatione dicendi tempore debito missas pro accepto stipendio.*
- 516 *Quenam prænotanda circa originem stipendii.*
- 517 *Qu. I. An liceat sacerdoti diviti accipere stipendium pro missis? Et an peccet graviter, qui principaliter celebrat pro stipendio? Qu. II. Quomodo peccet sacerdos differendo celebrationem? Et quæ dilatio censeatur modica? Quid si missæ tradantur communitati? Qu. III. An peccet graviter sacerdos omitteus sacrum promissum pro parvo stipendio? Qu. IV. Quid si missa sit gratuita promissa?*
- 518 *An liceat accipere stipendium pro applicatione fructus specialissimi? Et an accipere plura stipendia pro una missa?*
- 519 *A quo, et quomodo taxandum sit stipendium?*

- 320 *Dub. 1. An regulares teneantur servare taxam Episcopi? Dub. 2. An Episcopus possit prohibere, ne accipiatur stipendium majus taxâ? Dub. 3. An ne accipiatur stipendium minus? An autem qui acceperit minus, possit minuere numerum missarum? Dub. 4. An liceat pacisci de stipendio? Dub. 5. Quomodo taxandum stipendium missarum quas reliquit testator?*
- 321 *Non licet celebrare per alium, retentâ parte stipendii. Exceptio I. Si stipendium detur intuitu personæ. Exceptio II. Si alter sacerdos verè spontè condonet partem. Excipitur III. Beneficiarius, capellanus, et sacerdos obligatus ex legato sibi relicto suâ vitâ durante.*
- 322 *Dub. 1. An qui retinet partem stipendii teneatur ad restitutionem? Et cui restituendum? Dub. 2. Quid de procuratore, vel executore testamenti? Dub. 3. An colligens eleemosynas possit partem retinere pro suo labore? Dub. 4. An possint commutari missæ majoris stipendii cum missis minoris? Dub. 5. An administratores Ecclesiarum possint aliquid retinere pro expensis?*
- 323 *De obligatione beneficiarum, et parochorum applicandi missas?*
- 324 *Qu. I. Cui debeant applicare missas beneficiati, et capellanialium, aut confraternitatum? Quid si capitale fundationis beneficii, aut capellanicæ sit infructiferum? Qu. II. Quibus diebus parochi teneantur celebrare pro populo?*
- 325 *Vide sancita à Bened. XIV. super missa parochorum.*
- 326 *Super missa conventuali.*
- 327 *De obligatione celebrandi missas votivas promissas sub stipendio.*
- 328 *De obligatione celebrandi loco et tempore designata à fundatore.*
- 329 *Quid si Episcopus dispenset? Et an possit dari præscriptio ab obligatione missarum?*
- 330 *De obligatione beneficiarii celebrandi missas præscriptas, et celebrandi per seipsum.*
- 331 *De reductione missarum. An Episcopus possit eam facere? Et an moderari officia, et eleemosynas anniversariis annexa?*
- 332 *An beneficiarius possit aliquando celebrare pro suis propinquis aut amicis, vel omittere missam propter reverentiam?*
- 333 *An capellanus ægotans teneatur per alium satisfacere missis? De 5) missis Gregorianis. An liceat stipendium accipere pro prima missa quam Neo-presbyter celebrat cum Episcopo? (Remissivè ad n. 829. v. An autem).*

504. — **R**ESP. Missa est sacrificium consistens in consecratione panis, et vini; id est actus patriæ, qui fit in

- » recognitionem supremi dominii Dei, et signum nostræ
- » servitutis. Quod non obstat, quin secundariò possit etiam
- » ad alium finem partialem offerri, ut ad agendas gratias,
- » vel impetrationem beneficii, ad remissionem peccatorum,
- » ad Sanctos honorandos, etc.

Notandum est I. quòd sacrificium in genere: *Est oblatio facta Deo per immutationem alicujus rei, in signum supremi dominii, ex legitima institutione.* Ita communiter *Suar. Pal. Laym. Conc. et alii.* Dicitur oblatio pro genere, in quo cum aliis oblationibus convenit. *Facta Deo*, quia soli Deo, non Sanctis sacrificium offertur. *Per immutationem alicujus rei*, immutatio enim distinguit sacrificium ab aliis oblationibus. *In signum supremi dominii*, nam tali signo significamus, ita à Deo tanquam supremo domino nos et nostra destrui posse, sicuti res oblata immutatur. *Ex legitima institutione*: Hæc autem institutio tria requirit, ut sacrificium fiat publicâ auctoritate, fiat nomine totius populi, et fiat à sacerdote tanquam legitimo ministro.

Notandum II. Sacrificium dividi ex parte materiæ, formæ, et finis. Ex parte materiæ distinguitur in *victimam*, seu *hostiam*, in qua aliquod animatum offertur: in *immolationem*, in qua offertur aliquod inanime, sed solidum: in *libamen*, in quo offertur aliquod liquidum. Ex parte formæ distinguitur in *holocaustum*, in quo totum, quod offertur, per ignem consumitur: *hostiam pro peccato*, in qua id quod offertur partim consumitur per ignem, partim per sacerdotem: *hostiam pacificam*, in qua id quod offertur partim consumitur per ignem, partim per sacerdotem, partim per illum qui donat. Ex parte finis distinguitur in *latreuticum*, quod offertur merè in obsequium Dei: *eucharisticum* in gratiarum actionem: *propitiatorium*, seu *expiatorium* in remissionem culpæ vel pænæ: *impetratorium* ad obtinenda bona à Deo. Sacrificium autem Eucharistiæ in lege gratiæ institutum (quo omnia antiqua sacrificia cessarunt) omnium rationes illorum perfectè continet: est enim *holocaustum* in recognitionem divinæ excellentiæ: est *eucharisticum* in gratiarum actionem: est *impetratorium* gratiarum per merita Christi: est *expiatorium* peccatorum, quia per illud Deus ad misericordiam movetur; estque missæ sacrificium incruentum idem pro-

fectò, ac sacrificium cruentum crucis, non solùm quia eadem persona offertur, sed etiam quia eadem est formalis ratio sacrificii, cùm offeratur in protestationem supremi dominii, quod habet Deus vitæ et mortis. Sacrificium igitur altaris, ut ait Trident., non quidem essentialiter differt à sacrificio crucis, sed tantùm accidentaliter quoad modum offerendi, nempe quia 1. In illo crucis intercessit mors realis, in hoc intervenit mystica. 2. Illud oblatum fuit per ipsum Redemptorem in ara crucis, hoc offertur ministerio sacerdotum. 3. Illud fuit meritorium, quia ibi solutum fuit pretium nostræ redemptionis; hoc verò non est meritorium, cùm hic tantùm applicentur merita Christi.

Notandum III. certum esse et de fide, quòd missa est verè et propriè sacrificium, et à Christo institutum quoad id, quod pertinet ad essentiam sacrificii: per consecrationem enim et per summptionem, ut infra dicetur, mysticè mactatur Christus, et sic habetur immutatio ad sacrificium requisita. Ita in *Trid. sess. 22. c. 1. et can. 1. 3. et 4.*

505.— Quær. hic I. In quo consistat essentia sacrificii missæ? Magna hæc est quæstio inter DD. Plures enim adsunt sententiæ.

Prima sententia dicit consistere in sola sumptione; quia in illa tantùm reperitur destructio sive immutatio victimæ; et ita tenent *Pignatelli in suo Propitiatorio, et Alb. Magnus, Led. et alii ap. Suar. 3. p. d. 74. s. 5. in princ.*

Secunda sententia dicit consistere in oblatione, cùm sacrificium nihil aliud sit quàm oblatio; ita *Azør, lib. 10. cap. 19. et Sot. ac Covarr. ap. Dicast. d. 1. n. 142. et Gabr. Echius etc. ap. Croix lib. 6. p. 2. n. 12.*

Tertia sententia communior docet consistere in sola consecratione, et ita tenent *Suar. d. 75. sect. 3. Gonet, Man. to. 6. p. 331. Cont. Tourn. de sacrif. miss. cap. 5. art. 2. sect. 2. concl. 6. Petroc. to. 5. p. 496. Habert to. 3. p. 640. res. 3. Juenin tom. 7. p. 566. concl. 4. Frassen. to. 11. p. 332. Conc. to. 8. p. 424. n. 6. Holz. p. 70. n. 303. Ronc. c. 1. q. 2. Croix l. 6. p. 2. n. 13. et Salm. de sacrif. Missæ tr. 3. c. 1. p. 2. dub. unic. n. 14. cum S. Anton. Lug. Pal. Vasq. et aliis. Ratio quia in consecratione omnia adsunt requisita ad sacrificium, nempe oblatio quæ jam fit in actu exercito prout Christus quoque tùm in cæna, tùm in cruce non verbis, sed facto*

Deo Patri se obtulit : adest etiam destructio seu immutatio victimæ, dùm vi verborum jam corpus à sanguine Christi separatur. Hæc sententia est quidem valde probabilis, et communior, sed probabilior mihi videtur

Quarta sententia (licèt tertiæ adhæserim), quam tenent *Bell. l. 2. de Miss. c. 27. circa fin. Tourn. Præl. theol. de sacrif. miss. art. 2. in fin. concl. 4. et 5. Sot. in 4. d. 15. q. 1. Bon. d. 4. q. ult. p. 2. et alii ap. Dicast.* Hæc sententia dicit essentiam Eucharistiæ consistere partialiter in consecratione, et partialiter in sumptione; in consecratione enim ponitur victima, et in sumptione consumitur. Ratio 1. quia verum et reale sacrificium veram requirit et realem destructionem rei oblatæ, quæ non habetur, nisi per sumptionem sacerdotis, quæ destruit sacramentalis essentia Christi. Nec obstat dicere, quòd in consecratione jam habeatur mors mystica, et in tantum non habetur mors realis, in quantum propter naturalem concomitantiam, nequeunt Christi sanguis, et anima à corpore separari. Nam respondetur, quòd si concomitantia illa naturalis impediatur mortem, impediatur etiam sacrificium, quod sine vera et reali destructione non consumitur. Ratio 2. quia si destructio non fieret per sumptionem, sequeretur quòd sacrificium fieret in cælo, non in altari; nam ut in altari fiat sacrificium, opus est ut priùs ibi victima ponatur integra, et deinde destruat. Cùm autem in consecratione panis vi verborum veniat tantum corpus à sanguine separatum : sequitur præsupponi destructio jam facta in cælo, ubi Christus integer manet. Nec obstat dicere quòd, licèt per se vi verborum corpus veniat separatum à sanguine, ratione tamen concomitantia Christi integer venit, ac proinde mysticè destruitur. Nam respondetur, quòd hoc esset per accidens, non per se; sed cùm sacrificium (ut supponunt auctores tertiæ sententiæ) fiat per se vi verborum, ratione separationis sanguinis à corpore, necesse est, ut etiam per se vi verborum ponatur integer Christus, priùs quàm destruat. Cæterum ipsi adversarii dicunt quòd sumptio, quamvis non spectet ad essentiam sacrificii, spectet tamen ad ejus integritatem, ut sacerdos participet de re oblata. Quapropter Rubrica Missalis (tit. 10. de defect. n. 5.) sic monet : *Si sacerdos graviter infirmetur, aut moriatur post consecrationem corporis tantum, ante consecrationem sanguinis, vel utroque consecrato, missa*

per alium sacerdotem expleatur ab eo loco ubi ille desiit; et in casu necessitatis etiam per non jejunum. Et idem docet *S. Thom. 5. p. q. 85. art. 6. ad 1. ex concil. Tolet. VII. in c. Nihil, caus. 7. quæst. 1.*

506. — Quæritur II. An de essentia sacrificii requiratur consecratio utriusque speciei.

Prima sententia negat, quam tenent *Cont. Tourn. hic cap. 5. art. 2. sect. 5. concl. 2. cum Major. Adriano, Isamberto, etc. ac Bon. d. 4. q. ult. p. 2. n. 7. cum Henr. Petig. Nugno etc.* probabilemque putat *Croix l. 6. p. 2. n. 15.* Ratio, tum quia per ipsam consecrationem unius speciei totus Christus ponitur et offertur, simulque jam repræsentatur mors Christi, cùm vi verborum ponatur tantum corpus sine sanguine, vel sanguis sine corpore, quo mors Christi designatur; tum quia, ut alii dicunt, in consecratione et sumptione unius speciei jam habetur oblatio et mactatio victimæ, quod satis est ad essentiam sacrificii.

Secunda sententia verò communior et probabilior affirmat, et hanc tenent *Suar. 5. p. d. 75. s. 6. v. Dico 2. Tourn. Præl. theol. art. 5. Lugo de Euch. d. 19. n. 106. cum communi, ut asserit Pal. eod. tit. p. 2. n. 6. et favet D. Th. 5. p. q. 80. ar. 12. ad 5, ubi dicit: Representatio dominicæ passionis agitur in ipsa consecratione, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari.* Ratio igitur est, quia sacramentum altaris debet esse rememorativum sacrificii cruenti à Christo in cruce peracti, ut declarat *Trid. sess. 22. c. 1.* ubi docet, quòd Christus obtulit corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini, *ut... suæ Ecclesiæ visibile... relinqueret sacrificium, quo cruentum (nota) illud semel in cruce peragendum repræsentaretur.* Unde si una tantum species consecraretur, etsi vi verborum poneretur corpus exsanguè, vel etsi per sumptionem haberetur mactatio, non tamen exprimeretur sanguinis effusio, quod non fit nisi per utriusque speciei consecrationem, per quam propriè significatur separatio sanguinis à corpore, juxta dictum *S. Cyrilli: Gladio verborum sanguis separatur à corpore.*

Hic autem advertendum id quod habetur in Rubrica Missalis (tit. 4.): *Si materia, quæ esset apponenda, ratione defectus vel panis, vel vini, non posset ullo modo haberi, si id*

sit ante consecrationem corporis, ulterius procedi non debet; si post consecrationem corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata, tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et missa absolvenda, ita tamen ut præmittantur verba et signa, quæ pertinent ad speciem deficientem. Quòd si expectando aliquandiu haberi possit, expectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum. Hinc nolant Gavantus hic, et Azor, l. 10. c. 55. qu. 6. quòd, si difficillimè haberi possit species deficiens, et notabilis inde oriretur offensio populi, missa absolvi debet, quia jus naturale vitandi scandalum prævalet juri divino positivo integrandi sacrificium.

507. — Est autem de fide, quòd Christus Dominus sit præcipuus sacerdos offerens in sacrificio missæ, ut communiter DD. cum S. Th. q. 85. ar. 1. ad 5. ex Trid. sess. 22. c. 2. Post Christum, ministri hujus sacrificii sunt sacerdotes, qui soli potestatem habent consecrandi. et offerendi corpus et sanguinem Christi; et consecrant, etiamsi sint hæretici, degradati, etc. ex Trid. sess. 25. c. 1. Tota Ecclesia etiam dicitur offerre sacrificium per sacerdotem, ut multi dicunt apud Croix l. c. n. 19. Post sacerdotes, omnes fideles offerunt sacrificium mediàtè per sacerdotum manus, tribus utique modis: I. Modo generali, nempe per sacerdotes, qui, offerendo sacrificium ut publici ministri, pro quocumque fidei dicuntur etiam offerre. II. Magis speciali. procurando, ut sacerdotes celebrent pro seipsis. III. Assistendo sacrificio.

508. — Certum etiam est posse offerri hoc sacrificium pro omnibus fidelibus baptizatis vivis, etiam infantibus, vel energumenis, vel peccatoribus non excommunicatis, quoad fructum tantum impetrationis. Pro excommunicato vitando tamen licitè sacerdos potest offerre missam privatim, quatenus est opus proprium suæ privatæ personæ, non autem nomine Ecclesiæ, vel ut minister Christi: ex c. 2. de sent. excom. Quamvis, si offerret tanquam Christi minister, validè quidem, sed illicitè offerret, ut Croix n. 55. Salm. tr. 5. c. 2. p. 2. n. 14. in fin. cum Suar. Nav. Dic. etc.

509. — Sed dubitatur 1. an licitè sacerdos possit orare, aut offerre missam nomine Ecclesiæ, vel ut minister Christi pro excommunicato tolerato? Negant Suar. Bon. Soto, et alii cum Salm. ibid. n. 19., quia Ecclesia, ut dicunt, excludit

excommunicatos omninò à communicatione suffragiorum; concilium enim Constantiense in Extravag. Mart. V. Ad evitanda nihil ipsis indulgit, sed tantum favorem præbuit aliis, ut cum excommunicato tolerato communicare possent. Sed probabilior est opposita sententia, quam tenent Lugo disp. 19. n. 187. Croix num. 54. cum Sanch. Nav. Con. etc. Ratio, quia in d. Extrav., quamvis nihil indulgeatur excommunicatis toleratis, conceditur tamen fidelibus communicare cum illis, etiam in divinis, juxta dicenda de censur. l. 7. n. 164.

Dubitatur 2. an possit offerri missa pro infidelibus? Negant Vasq. Sot. Leand. Pal. etc. apud Salm. ibid. n. 18. Effectus enim sacrificii, ut dicunt, non est communicandus iis, quibus non possunt communicari sacramenta. Probabilius tamen affirmant Lugo d. n. 175. et Bellarm. Suar. Sa, Laym. etc. cum Salm. ibid. n. 19. Tum quia in lege veteri Judæi soliti fuerunt sacrificare pro gentibus, ut in l. 1. Mach. cap. 12. §. 11. pro Spartanis, ubi: *Memores sumus vestri in sacrificiis, quæ offerimus*; tum quia sic celebrans magis conformatur Christo, qui pro omnibus se obtulit.

510. — Pro defunctis autem existentibus in purgatorio certum est, quòd licitè et utiliter offeruntur missa, ut docet D. Th. Suppl. q. 71. art. 9. et constat ex Trid. sess. 22. c. 2. ubi dicitur, quòd sacrificium missæ non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis ritè juxta apostolorum traditionem offeruntur. Et rursus in can. 5. habetur: *Si quis dixerit, missæ sacrificium vel soli prodesse sumentis, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, etc. offerri debere, anathema sit.*

Rogabis 1. an missa prosit defunctis ex infallibili promissione Christi? Negant Canus, Sotus, et Corduba ap. Salm. tr. 5. c. 2. p. 5. n. 24. Sed verius, et communiùs affirmant Suar. d. 79. s. 10. et ipsi Salm. l. c. cum Az. Nav. Hen. Dic. P. Soto, Fag. Philib. etc. Ratio, quia cum sit de fide (ut vidimus ex Tridentino) missam utiliter offerri pro defunctis, id non potest fieri nisi ex opere operato, id est ex promissione Christi, quæ utique habetur in verbis illis Matth. c. 26. §. 28.: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur* (in textu Græco legitur *effunditur*) *in remissionem peccatorum.* Confirmatur ex verbis formæ quæ ordinantur presbyteri: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo,*

missasque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini. Amen.

Rogabis 2. an missa de Requiem prosit defunctis magis, quam missa de Sanctis? Respondet S. Th. Suppl. qu. 71. art. 9. ad 5. dicens: *Ex parte sacrificii oblati æqualiter prodest defuncto, de quocumque dicatur; sed ex parte orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatæ, sed tamen iste defectus recompensari potest per majorem devotionem, vel ejus qui dicit missam, vel ejus qui jubet dici, vel iterum per intercessionem Sancti, cujus suffragium in missa imploratur.*

511. — De effectibus sacrificii missæ.

1. Effectus est remissio peccatorum, circa quam quæritur, an hoc sacrificium remittat peccata mortalia per se immediatè in homine attrito, instar sacramenti pœnitentiæ? Affirmat Cassalius lib. 2. de Sac. missæ; sed oppositum est tenendum, nempe missam non habere virtutem remittendi mortalia per se immediatè, sed solum impetrandi auxilium ad pœnitentiam, quâ remittantur, ut communiter docent Bellarm. l. 2. de miss. c. 4. Tourn. Prælect. theol. de sacrif. art. 5. Suar. d. 79. s. 5. et 4. Holz. n. 550. Ronc. c. 1. q. 5. Con. p. 428. n. 8. ac Salm. tr. 5. c. 5. p. 1. n. 5. cum Nav. Cajet. Azor, Pal. et aliis passim, ex D. Th. in 4. d. 12. q. 2. art. 2. ubi ait quòd missa peccata mortalia delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis impetrat. Et probatur ex Tridentino, sess. 22. c. 2. ubi dicitur: *Hujus (sacrificii) oblatione placatus Dominus gratiam, et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit.* Ergò Deus intuitu hujus sacrificii immediatè placatur, et deinde movetur ad pœnitentiæ donum concedendum, per quam immediatè delentur peccata. Confirmatur ratione, quia sacrificium missæ offertur à Christo summo sacerdote, qui nunc non potest satisfacere, cum non sit viator, et ideò nequit mereri, sed tantum ipse impetrat nobis gratias interpellans pro nobis. Idemque dicendum de culpis venialibus cum S. Th. l. c. qu. 1. ad 1. ac Holzm. Ronc. Conc. Suar. Con. Laym. Pal. Vasq. et Salm. ibid. n. 8. contra Canum et Valentiam, qui volunt venialia remitti per se virtute sacrificii.) Quia, cum venialia sint quædam maculæ animæ, pro-

priâ voluntate contractæ, non tolluntur sine pia animi actione, quæ venialibus illis repugnet.

II. Effectus hujus sacrificii est per se immediatè remittere pœnas peccatorum hominibus justis, pro quibus offertur; ita communiter Suar. d. 79. s. 6. Pal. p. 6. nu. 7. Conc. p. 429. nu. 11. Wigandt tr. 12. n. 81. r. 4. et Salm. ibid. n. 11. cum Gonet, Con. P. Navarr. Laym. Gabr. etc. ex D. Th. 5. p. q. 79. art. 5. ubi ait quòd hoc sacramentum, in quantum est sacrificium, habet vim satisfactivam. Et patet ex Trid. sess. 25. c. 1. ubi habetur: *Animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis potissimum verò acceptabili altaris sacrificio juvari.* Aliâ autem viâ defuncti juvari non possunt, quam immediatâ pœnarum remissione. III. Effectus est augmentum gratiæ. Circa quod quæritur, an sacrificium missæ de se ex opere operato conferat hoc augmentum? Affirmant Leandr. Card. et Manch. Sed negandum cum Suar. d. 79. s. 4. Pal. p. 6. n. 5. et Salm. tr. 5. c. 5. p. 1. n. 15. qui citant Vasq. Lug. Hurt. Bon. et alios communiter, quia de hoc nulli fundamentum habetur. Verius ergo dicendum per missam impetrari auxilia ad perficiendos actus, quibus gratia accrescit. IV. Effectus est impetratio bonorum spiritualium, et etiam temporalium, quatenus ista animæ prosint, ex Trident. sess. 22. c. 2. Vide Salm. ibid. n. 15.

512. — « Principalis fructus missæ ex opere operato est
» independens à probitate sacerdotis, à quo pro omnibus
» seu vivis seu defunctis, etiam accepto stipendio, applicabilis est, estque actu tam intensivè, quam extensivè finitus; etsi enim hostia ipsa, et principalis offerens, id est
» Christus, infinitè sit Deo gratus, atque ita Deus per hoc
» sacrificium infinito honore afficiatur, videtur tamen Christi
» esse voluntas ut offeratur, et prosit tantum ad certum, et
» finitum effectum. Quod etiam patet ex usu, et sensu Ecclesiæ,
» dum Missæ pro eadem re repetuntur: quod signum
» est, non habere infinitum effectum. Vide Bonac. d. 4.
» q. ult. p. 4.

Notandum 1. alium esse valorem, alium fructum missæ. Valor est efficacia illa quam habet missa ex dignitate offerentis, et rei oblatae, ad conferenda bona offerenti, et iis pro quibus offertur. Fructus autem sunt bona ipsa, quæ

intuitu sacrificii Deus confert. Unde valor à fructu differt, velut causa ab effectu.

Notandum 2. Fructum missæ distingui ex triplici capite: distinguitur enim 1. ex parte causæ, id est ex opere operato, et opere operantis. Fructus ex opere operato est ille, qui confertur intuitu meritorum Christi, et ejus promissionis: fructus verò ex opere operantis est ille, qui confertur intuitu meriti, et devotionis celebrantis. Distinguitur 2. ex parte rei, in meritorium, satisfactorium, et impetratorium, juxta dicta n. præcedenti 511. Distinguitur 3. in generalem, specialem, et specialissimum. Fructus generalis obtingit omnibus fidelibus vivis, et defunctis. Specialis (ab aliis dictus medius, vel ministerialis) obtingit tam eis pro quibus applicatur, quam assistentibus, et concurrentibus ministrando paramenta, luminaria, hostias etc. Specialissimus demùm obtingit soli sacerdoti.

Hic autem magna occurrit quæstio valde inter DD. controversa, an sacrificium missæ infinitum habeat valorem? Duplex adest sententia:

Prima dicit habere valorem actu tam intensivè, quam extensivè finitum, ita ut pluribus applicatum minus prosit singulis, quàm si uni tantùm applicetur. Ita cum Bus. ut suprâ, tenent Scotus quodlib. 20. nu. 20. S. Bonav. in 4. dist. 55. art. 5. q. 5. ad ult. Ronc. c. 7. q. 7. r. 2. item Palud. Rich. Major, Barb. Covarr. et Fag. ap. Salm. tr. 5. c. 5. p. 5. dub. unic. n. 58. Idemque expressè docet Sotus in 4. dist. 15. q. 2. a. 1. ubi ait: *Intentioni (sacerdotis) quia est de essentia sacrificii, etiam ex opere operato respondet certus et taxatus gradus satisfactionis, et ideò quòtò in plures illud distribuerit, tantò minus singulis obvenit.* Diversâ autem auctores hujus sententiæ ratione utuntur: alii, quia valor missæ non sumitur ex re oblata, sed ex ipsa oblatione, sive ex actione sacerdotis offerentis, quæ certè non potest esse infiniti valoris; dicunt enim in sacrificio missæ Christum non esse propriè offerentem, sed tantùm remotè, quatenus illud per sacerdotes offerendum instituit. Sed hæc ratio communiter rejicitur, et meritò, tum quia, sicut sacrificium oblatum à sacerdote malo, non perinde ab ejus malitiâ inquinatur, ut docet Trid. sess. 22. c. 1., ita neque ab offerente limitato limitationem recipit; tum quia certum est quòd in hoc sacri-

ficio Christus est simul victima, et principalis offerens, ut patet ex conc. Later. IV. can. 5. ubi dictum fuit: *in Ecclesia Christus Jesus et sacerdos et sacrificium est.* Et clarius ex Trid. dict. sess. 22. c. 2. ubi habetur: *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversa.* Alii verò hæc ratione utuntur; quia, licet missa in se, et quoad sufficientiam sit infiniti valoris, tamen quoad effectum, hic est limitatus ex voluntate Christi, qui hoc sacrificium instituit, ut ex opere operato (independentè ab hominum dispositione) determinatum produceret effectum, sive satisfactionis gradum quamvis ex opere operantis possit crescere juxta majorem devotionem offerentis, vel ejus pro quo offertur. Et huic sententiæ videtur favere D. Th. in 4. dist. 45. q. 2. art. 4. q. 3. ad 2. ubi ait: *Quamvis virtus Christi, quæ continetur sub sacramento Eucharistiæ, sit infinita, tamen determinatus est effectus, ad quem illud sacramentum ordinatur.* Hinc S. Doctor dict. a. 4. q. 2. v. Sed contrâ, infert minùs esse probabilem opinionem asserentem, quòd suffragia pro uno facta non magis ei prosint, quàm aliis qui magis digni sunt, sic dicens: *Si ergò suffragium pro multis factum tantum valeret singulis, ac si pro uno tantum fieret, videtur quòd Ecclesia non debuit instituisse, ut pro aliquo singulariter missa vel oratio fieret, sed quòd semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis, quod patet esse falsum.* Ratio hujus sententiæ probatur ex prohibitione Ecclesiæ, quæ vetat ne pluribus missam petentibus uno sacrificio satisfiat. Hinc sacerdos, qui à pluribus stipendia accepit, nequit unicam missam pro illis offerre, quod utique facere posset, si missa æquè omnibus ac uni prodesset; sed hoc fuit proscriptum ab Alex. VII. in prop. 10. quæ dicebat: *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre.*

Secunda sententiâ verò à recentioribus hodie communissimè recepta docet, valorem missæ esse intensivè et extensivè infinitum quoad sufficientiam, ratione infinitæ dignitatis Christi, qui in hoc sacrificio est victima, et principalis offerens. Dicitur intensivè infinitum, quatenus potest causare fructum majorem et minorem, juxta mensuram dispositionis hominis. Extensivè autem, quatenus potest infinitos effectus producere, et juvare ita uni soli ac infinitis hominibus. Et ratio est, quia

(ut docet Trid.) missæ sacrificium idem est, etsi modo diverso oblatum, cum crucis sacrificio, quod fuit infiniti valoris. Quoad effectum verò, dicitur hoc sacrificium esse finitum, non jam ex sua institutione, nempe, ut ait prima sententia, quia fuit à Christo in eo determinatus certus gradus satisfactionis, sed ex finita capacitate hominum pro quibus offertur, quorum unusquisque uberius percipit fructum juxta suam et offerentis dispositionem; pariter ac etiam fuit sacrificium Crucis, quod esto in genere satisfactionis fuerit infiniti valoris, nullum tamen actu effectum in nobis infinitum operatur, cum se habeat per modum causæ universalis supernaturalis quæ operatur juxta subjectorum dispositionem: prout operantur etiam sacramenta, quæ, licet infinitam virtutem habeant, actu tamen limitatè operantur. Unde juxta hanc sententiam missa æquè prodest singulis pluribus applicata, ac si uni applicetur. Ita tenent *Gonet, Man. tom. 6. p. 556. Habert to. 5. p. 671. Juenin. to. 7. p. 573. concl. 4. Petr. to. 5. p. 512. q. 8. Pignat. in suo Propitiatorio l. 4. q. 11. Tourn. Præl. theol. de sacrif. miss. art. 6. et ejus Cont. hic cap. 6. Conc. t. 8. p. 527. n. 5. Holz. to. 2. p. 74. n. 520. Wigandt tract. 12. n. 78. Bon. p. 4. n. 5. Croix lib. 6. p. 2. n. 42. cum Suar. Vasq. Sylvest. et Salm. tr. 5. c. 3. p. 5. dub. unic. n. 40. cum Cano, Caj. Nav. et aliis plurimis. Et pro hac sententia clarè est etiam D. Th. 5. p. q. 79. a. 5. ubi sic ait: *Quamvis hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen sit satisfactoria pro illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ devotionis, et non pro tota pœna.* Nec sibi contradicit S. Doctor in locis supra citatis; nam ubi dicit missam habere effectum determinatum, sanè intelligi debet de determinatione non ex parte Christi, sed subjecti juxta mensuram suæ dispositionis. Ubi autem dicit, quòd missa pluribus applicata, minùs prodest singulis, non quidem loquitur de missa uti sacrificio, sed uti suffragio ab Ecclesia instituto, quod effectum certè finitum habet, et idè quò pluribus illud applicatur, èò minùs singulis juvat; certum enim est, quòd preces missæ ab Ecclesia institutæ magis prosunt alicui, si singulariter ei, quàm si pluribus à sacerdote applicentur, ut patet ex conc. Constantiensi, ubi damnatus fuit hic articulus *Wiclefi: Speciales orationes applicatæ**

personæ per prælatos, vel religiosos, non plus prosunt eidem, quàm generales, cæteris paribus.

Nec obstat 1. prohibitio Ecclesiæ accipiendi plura stipendia pro una missa. Nam respondetur 1. quòd stipendium non datur ut pretium fructus missæ, sed pro sustentatione ministri, ut diximus *de simonia l. 4. num. 55.* Unde semper ac minister suam habet sustentationem, deficit titulus, quo aliud stipendium possit accipere. Respondetur 2. quòd, cum sententia opposita non sit improbabilis, non potest sacerdos pro stipendio certo incertum missæ fructum applicare.

Neque obstat 2. quòd si hæc sententia valeret, frustrà Ecclesia missas multiplicaret; nam respondetur (ut diximus), quòd fructus sacrificii non percipitur juxta suum proprium valorem, sed juxta dispositionem illius cui applicatur, et ex hoc evenit, quòd quò pluries pro uno repetuntur sacrificia, èò pluries fructus participatur.

Hæc secunda sententia, speculativè loquendo, videtur probabilior; at quia contraria adhuc est probabilis, non licet quidem sacerdoti, dum accipit stipendium ab uno, applicare missam pro illo in generali cum aliis; nisi saltem sub conditione, nempe modò ille non defraudetur.

Notandum hic, quòd sacrificium missæ, in quantum pertinet ad fructum principalem, tam prodest si offeratur à malo sacerdote, quàm à bono, cum valor missæ sit ex opere operato pendens à meritis Christi: in quantum autem pertinet ad fructum pœcun, quæ in missa dicuntur, ipsæ etiam valent factæ à sacerdote peccatore, quatenùs hic orat nomine Ecclesiæ, quia Ecclesia semper est Deo grata; secùs quatenùs orat nomine proprio. Ita *S. Th. 5. p. q. 82. art. 6.* Hinc dixit *Alexander* Papa (*Can. 91. causa 1. qu. 1.*): *Sacerdotes quantò digniores fuerint, tantò faciliùs pro quibus clamant exaudiantur.* Censet autem *D. Th. l. c. art. 7. ad 5.* quòd si celebrans est excommunicatus, *quia est ab Ecclesiæ unitate separatus, orationes ejus efficaciam non habent.* Et hoc puto verius dicendum, loquendo de excommunicato vitando, cum *Ronc. c. 1. qu. 5. r. 2. Spor. p. 158. n. 522. et Laym. de Sacr. miss. c. 1. n. 12. contra Holz. p. 75. n. 524. et Croix lib. 6. p. 2. n. 49. cum Soto, Gabr. Dic. etc.* Probabiliter verò dicit *Laym. cum Avila, et communi,* secùs esse de excommunicato tolerato, quia Ecclesia permittendo, quòd fideles postulent missas ab

co, consequenter etiam permittit, ut omnino ipsæ fructuosæ sint postulantibus. Vide n. 509.

313. — « 1. Sacerdotes ordinariè peccant graviter, si non
 » aliquoties in anno, saltem ter, vel quater solemnioribus
 » festis celebrent, nisi legitimè sint impediti. Ita *Sylv. Reg.*
 » *Suar. Conc. et aliè comm. contra Ang. Bon. Dian. p. 2. t.*
 » 14. r. 19. item *Cardin. de Lugo et Tamb. l. 1. exped.*
 » *comm. c. 6.* qui excusant saltem à mortali, dummodò
 » communicent in Paschate, absint contemptus, et scan-
 » dalum: imò, ubi Trid. est receptum, tenentur ex man-
 » dato Episcopi sub gravi culpa celebrare saltem Dominicis,
 » et festis; excusantur tamen, si Episcopi nullum manda-
 » tum extet.

Dubitatur hic 1. An sacerdotes teneantur sub culpa gravi aliquando celebrare?

Prima sententia communior, quam tenent *D. Th. 5. p. q. 82. art. 10. Suar. d. 80. s. 1. Laym. l. 3. tr. 5. c. 5. n. 1. Bon. p. 7. n. 1. Juenin. t. 7. p. 577. Holzm. p. 78. n. 558. Cont. Tourn. hic cap. 9. art. 2. sect. 1. Elbel p. 125. n. 195. Habert t. 3. p. 684. q. 9. Conc. t. 8. p. 496. n. 1. et Pal. p. 12. n. 2. cum Vasq. Nav. Valent. Azor etc. docet tenèri tam ex præcepto divino, quam ecclesiastico. Divinum præceptum probatur 1. ex illo apostoli (*Ad Hebr. c. 5. §. 1.*): *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis.* Prob. 2. ex verbis Christi (*Lucæ c. 22. §. 19.*): *Hoc facite in meam commemorationem.* Quæ verba declarat Trid. sess. 22. cap. 1. continere verum præceptum, dicens: *Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba, Hoc facite, etc.* Præceptum autem ecclesiasticum probatur 1. ex c. *Dolentes 9. de celebrat. miss.* ubi *Innoc. III.* sic dixit: *Dolentes referimus, quòd non solum quidam minores clericici, verum aliqui Ecclesiarum prælati, circa comessationes superfluas ferè medietatem noctis expendunt... Sunt et alii, qui missarum solemnia vix celebrant quater in anno, et quod deterius est, interesse contemunt: et si quando, dum hæc celebrantur, intersunt, intendunt exterius colloquutionibus laicorum, etc. Hæc igitur et similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus, districtè præcipientes in virtute obedientiæ, ut officium**

nocturnum pariter et diurnum studiosè celebrent pariter et devotè. Ratio autem hujus sententiæ, quam assertit *D. Th.*, est: *Quia unusquisque tenetur uti gratiâ sibi datâ, cum fuerit opportunum, secundum illud (2. ad Corinth. cap. 6. §. 1.): Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Opportunitas autem sacrificium offerendi non solum attenditur per comparisonem ad fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministrari, sed principaliter per comparisonem ad Deum, cui consecratione hujus sacramenti sacrificium offertur.* Hinc referunt *Pal. p. 12. n. 1. et Cont. Tourn. loc. cit. v. Confirmatur iterum*, opinionem *Cajetani in cit. loc. D. Thom.*, sentientem non peccare graviter sacerdotes, qui nunquam celebrant, jussu *S. Pii V.* expunctam fuisse ex ejus Commentario.

Secunda sententia verò, quam tenent *S. Bonav. d. 12. p. 2. art. 2. q. 1. et Cajet. l. c. item Alensis. et Victoria apud Pal. n. 2.* ac probabilem putant *Suar. Pal. et Laym.* dicit, secluso scandalo, sacerdotem præcisè ex sua ordinatione non tenèri ad celebrandum; et huic valde adhæret *Lugo d. 20. n. 2.* dicens rationes primæ sententiæ nequaquam convincere. Ratio hujus secundæ sententiæ est, quia non constat de præcepto; non de divino, nam præceptum illud. *Hoc facite, etc.*, non est datum singulis sacerdotibus, sed ipsorum communitati, nempe ut curent, ne in Ecclesia Dei desit oblatio hujus sacrificii. In textu autem apostoli: *Omnis namque pontifex*, exprimitur tantum potestas, quam singuli sacerdotes habent sacrificandi, non autem obligatio. Ad præceptum verò suppositum in c. *Dolentes*, respondet *Lugo 1.* quòd pœna suspensionis respicit solummodò colloquentes in choro. 2. Quòd pœna illa non inducit peccatum grave, cum non sit latæ, sed ferendæ sententiæ. 3. Quòd ibi textus circa missarum celebrationem loquitur tantum de prælati Ecclesiarum. Ad rationem autem *D. Thomæ* respondèri posset ex ea non inferri præceptum, sed tantum consilium, juxta verbum apostoli, *exhortamur.* Et ideò plures ex hujus sententiæ auctoribus non eximunt sacerdotem, nunquam celebrantem in anno, saltem à culpa veniali propter bonum quo privat se, et Ecclesiam; eximunt verò à mortali. Dicit autem *Pal. n. 2. S. Pium* expunxisse opinionem *Cajet.* non ut falsam, sed ut minus probabilem, et contrariam sententiæ *D. Thomæ.*

His tamen non obstantibus, ego cum *Salm. tr. 5. c. 5. p. 2. n. 45.* primæ sententiæ ut longè communiore, et tutiori, me subscribo: tantò magis, quia ipse *Lugo n. 15.* ait sacerdotem negligentem celebrare in anno hodie non posse excusari à peccato gravi ratione scandali, quia hoc esset signum malæ conscientiæ. Imò *Suar loc. cit.* hoc meritò sentit etiam de sacerdote non celebrante per diuturnum tempus, putà per sex vel octo menses, ut dicunt *Pal. n. 3. et Salm. ibid. n. 44. circa fin.* Ex quo tandem concluditur, sententiam oppositam, saltem propter scandalum, vix esse practicè probabilem.

Dubitat. 2. Quoties in anno tentatur sub gravi quisque sacerdos celebrare? In hoc DD. valde discrepant. *D. Th. dict. q. 82. art. 10.* sic ait: *Unde sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omninò à celebratione cessare, sed saltem videtur, quòd celebrare teneatur in præcipuis festis, et maxime in illis diebus in quibus fideles communicare consueverunt.* Hæc autem præcipua festa, explicat *Sotus apud Bened. t. 9. l. 5. c. 1.* intelligi de Nativ. Domini, Paschate, et Pentecoste, in quibus ait olim fideles consuevisse communicare. Sed *Juenin. t. 7. p. 578.* his addit festa Ascensionis, Corporis Christi, Nativitatis B. Virginis Mariæ, Annuntiationis, Purificationis, et Assumptionis. Imò *Merbesius p. 5. q. 21. et Hab. p. 685. q. 10.* sentiunt obligari ad celebrandum singulis Dominicis et festis, præsertim solemnioribus. Et idem sentit *P. Conc. p. 496. n. 1.* dicens: *Quòd lege tenentur fideles interesse sacrificio, eadem sacerdotes tenentur offerre.* Id colligunt ex *Trid. sess. 25. de Reform. c. 14.* ubi habetur: *Curet Episcopus, ut sacerdotes saltem diebus dominicis, et festis solemnibus missas celebrent.* *Cont. Tourn. cap. 9. art. 2. sect. 1. v.* Ex his sic ait: *Gravis peccati suspectos esse tot sacerdotes, qui semel in anno celebrant.* Alii tandem cum sententia longè communiore sentiunt sacerdotes non tenèri ad celebrandum, nisi ter vel quater in anno, in festis solemnioribus; ita *Busemb. ut suprà, et Nav. Man. c. 25. n. 82. Laym. c. 5. n. 1. cum Soto, Rich. Palud. Sylv. et Val. ac Elbel p. 125. n. 195. cum Soto, Gob. et Ancl. Imò Suar. d. 80. s. 1. Lugo d. 20. n. 15. Bonac. p. 7. n. 2. et Holzm. p. 79. n. 545.* dicunt sufficere si celebrent ter vel quater in anno quibuslibet diebus; et non immeritò id probabile putant *Salm. tr. 5. c. 5. p. 4. n. 44. in med. cum*

Soto, Tol. Vasq. Azor, Henr. Gavanto, Hurt. etc., modò servetur debita distantia, prout dictum est in fine primi Dubii. Et hæc sententia est conformis decreto S. C. concilii edito mense Novemb. 1696. (*apud Monacell. p. 1. tit. 5. Form. 9. n. 15.*) ubi dictum fuit: *Qui sine justa causa ter vel quater in anno non celebravit, peccat mortaliter, et potest ab Episcopo puniri.*

Dicunt tamen *Salm. l. c. in fin. cum Tamb. et Garzia,* quòd sacerdotes religiosi tenentur saltem singulis mensibus celebrare; quia omnes religiosi, sive moniales, ut præcipitur in *Clem. 1. Ne in agro, §. sane, de statu monach.* (et idem dicitur de monialibus in *Trid. sess. 25. cap. 10. de Reg.*) tenentur singulis mensibus confitèri, et primà Dominicà mensis communicare, nisi abstineant ex iudicio prælati, vel confessarii. Sed ex hoc textu video induci obligationem tantum communicandi semel in mense, non autem celebrandi. Præterquam quòd non improbabilius docet *Suar. in 5. p. t. 5. d. 70. s. 2. v. Dico 1.* hæc decreta non exprimere clarè præceptum, sed dumtaxat consilium: dum ibi tantum dicitur: *Accedant ad confessionem, et communicent.* Unde *Trid. (l. c. ubi in margine notatur præfata Clementina)* sic ait: *Attendant diligenter Episcopi, et ceteri superiores monasteriorum sanctimonialium ut in constitutionibus earum admonentur (nota) sanctimoniales, ut saltem singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, et sacrosanctam Eucharistiam suscipiant.* Unde concludit *Suarez:* *Nisi speciale votum intercedat, aut nisi ex Instituto religionis constet constitutiones obligare sub mortali, nulla talis est rigorosa obligatio.*

Parochus autem, dicit *Habert l. c.* tenèri celebrare non quotidie; sed sæpius quàm Dominicis, et festis. Sed communiter et veriùs dicunt alii tenèri ad celebrandum tantum diebus festis, in quibus tenentur parochiani missam audire; cum hæ obligationes sint correlativæ, in quibus enim diebus tenetur populus missam audire, tenetur parochus illam celebrare: *Navarr. Man. c. 25. n. 155. Bon. p. 7. n. 5. Azor, l. 10. c. 24. q. 2. et 5. Barbosa in Trid. s. 25. c. 14. cum Graff. Homob. Molf. Vill. Diana, Fag. Philib. Marchin. etc.* ex *Conc. Trid. l. c.* ubi dicitur: *Si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, missas celebrent.* Satis

igitur munus suum implent, si sacrificant, quoties populus missam audire debet. Et hujus sententiæ est etiam *Benedictus XIV. l. c. c. 5.*

Quoad autem Episcopos, dicit *Habert ib. ex cap. ult. de privileg. in 6.* eos non decere ullam diem transigere sine missa, remotâ rationabili causâ: sed advertendum quòd textus non loquatur absolutè de celebratione, sed vel de celebratione, vel de auditione missæ.

514. — « 2. Etsi in Ecclesiis cathedralibus, collegiatis, et conventualibus (ubi est competens sacerdotum numerus) quotidie debeat una saltem missa privata celebrari, et altera cantari, peccentque mortaliter dictarum Ecclesiarum rectores si in hoc deficiant, *Suar. Conin. Laym. March. etc.* non esse tamen mortale (præscindendo à peculiari obligatione talis Ecclesiæ) semel, vel bis in hebdomada omittere alterutram, docet *Tamb. l. 1. c. 6.*, uti neque si in Ecclesiis collegiatis die festo cadente in feriam privilegiatam, v. gr. vigiliæ, quatuor temporum, quadragesimæ, vel rogationum, missa solemnitas de feria post Nonam canenda semel omittatur. *Ibid. ex Abbat. March. etc.* (Circa missam conventualem, vide sancita à nostro *P. Benedict. XIV. num. 526.*)

« 3. Peccat graviter, qui tenetur pro alio offerre missam, fructum tamen principalem applicat aliis, quia id aliis est fraudi in re gravi.

515. — « 4. Graviter peccat I. qui ad sacrum ex justitia obligatus, illud diu differt: quia magno fructu alterum privat. *Sylv. Reg. l. 23. n. 256. Fernand. etc.* multòque magis, si planè omittit; teneturque hoc casu ad stipendii restitutionem. *Tamb. de exped. sacrific. l. 3. c. 1. §. 8. II.* Si quis accipiat plura stipendia, quibus non nisi post longum tempus possit satisfacere. Ratio eadem est. *Sylv. Reg. Fernand. pag. 5. cap. 5. III.* Qui sacrum animo se obligandi promisit, et non præstat. *Bon. d. 4. q. ult. p. 8.* etsi probabile sit, hoc non esse mortale, ut habet *Sanch. de matr. l. 1. dub. 5. Vide Dian. t. 3. mis. r. 9. item p. 4. t. 4. r. 196. et p. 6. t. 6. r. 6. et p. 5. t. 14. r. 81.* ubi citat *Caj. Vasq. Hurt. etc.* affirmantes, quòd, qui pluribus missam gratis promisit, possit unicâ satisfacere: quod tamen alii communiter negant.

516. — Quoad stipendium missæ, refert hic breviter aliqua

prænotare sapienter tradita ab eruditissimo nostro Pontifice *Bened. XIV.* in suis operibus *de Synodo, de Missa, etc.* Olim fideles sacerdotibus offerebant panem, et vinum pro sacrificiis, è quibus quod supererat, in usum cedebat ipsorum sacerdotum et clericorum. Deinde permissum fuit offerri etiam oleum, spicas, uvas et similia. Demùm permissum etiam offerri pecunias, quæ prius non applicabantur sacerdotibus, sed mittebantur in arcam, distribuendæ in sustentationem ministrorum et pauperum; sed successu temporis traditæ sunt ipsis sacerdotibus, ut pro offerentibus missas applicarent. Quod aliàs meritò approbavit Ecclesia, contra *Wicifistas*, qui id improbant; nam ut docet *D. Th. (2. 2. q. 110. art. 2. ad 2.) Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, hoc enim simoniacum, sed quasi stipendium suæ sustentationis.* Et hoc est juxta illud apostoli *1. Cor. c. 9. §. 15. Nescitis quoniam, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant.*

Sed quamvis res ita se habeat, hinc tamen erupit avaritia sacerdotum, qui propter hoc lucrum pluries in die celebrant: propterea id prohibuit *Innoc. III. in c. Consulisti, de celeb. miss.* Sed huic prohibitioni alia successit nequitia; etenim sacerdotes in eadem missa tot hostias consecrabant, quot erant eleemosynam offerentes. Alii verò missam dici legebant ter, vel quater, usque ad offertorium, deinde tot secretas iterabant; quot orationes legerant, et tandem sub uno canone missam perficiebant, tot repetitis collectis in fine, quot initio recitaverant; et sic pro numero repetitionum accipiebant stipendia; vocabanturque hæ missæ *bifaciata*, et *trifaciata*. Sed ipsæ adhuc fuerunt eliminatæ. Postea alii plures errores in medium irrepserunt, qui ab *Alex. VII.* fuerunt proscripti in propos. 8. 9. et 10. quas referemus n. 518. et 521.

517. — Quer. I. An sacerdotes divites possint pro missis stipendia accipere? Negant *Caj. 2. 2. q. 400. art. 2. Sylv. et Graf. apud Esc. l. 21. n. 390.*, quia stipendium traditur in sustentationem celebrantium; divites autem jam habent unde alantur. Sed communiter et rectè affirmant *Suar. d. 86. sect. 5. Lugo d. 21. n. 18. Conc. t. 8. p. 461. n. 4. Cont. Tourn. cap. 9. art. 2. sect. 4. v. Quer. 2. cum Gers. et Thomassin. Salm. tr. 5. c. 5. p. 1. n. 2. Pal. p. 14. n. 5. et Esc. l. c. n.*

592. *eum Nav. Soto, Conc. Bonac. Reg. et aliis passim; et favet D. Th. Quodlib. 7. art. 10.* Ratio, tum quia hodie id permittitur à consuetudine universalis Ecclesiæ, tum quia quisque operarius (sive dives, sive pauper) dignus est mercede suâ, et ut inquit apostolus: *Quis suis stipendiis militat unquam? 1. ad Corinth. c. 9. §. 7. Vide dicta l. 4. num. 55. Qu. V.* Utrum autem sit simonia celebrare principaliter ob stipendium? Probabilius negatur. *Vide dicta ib. Qu. VI.*

Quær. II. Quomodo peccat sacerdos, differendo celebrare missas, accepto stipendio? Utique graviter peccat, si diu differt, ut habetur in decretis S. C. concilii editis die 21. Jun. 1625. ex auctoritate *Urbani VIII.* illi specialiter attributa, et ab *Innoc. XII.* in sua bulla, quæ incipit *Nuper, etc.* confirmatis. Omnia hæc in extensum affert *P. La Croix lib. 6. p. 2. n. 65.* Et signanter *n. 68.* legitur decretum, ubi sic sancitum fuit: *Eleemosynas manuales, et quotidianas ita demum sacerdotes accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant, alioquin omnino abstineant.* Sed cum inde quæsitum fuisset, an qui non satisfecerint oneribus susceptis, possint nova onera suscipere? eadem S. C. auctoritate ejusdem *Urbani* (vide apud eundem *Croix num. 98.*) declaravit, decretum non intelligi absolute, sed sacerdotes posse nova onera suscipere, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Sed hic dubium fit, quantum temporis spatium intelligatur per illud *modicum temporis*? Certum est 1. peccare sacerdotem, si petitam missam pro aliqua urgente gratia impetranda, putâ pro felici partu, evadendo periculo, lite vincenda, etc. ille omittat celebrare intra tempus celebrationi aptum. Ratio, quia (ut benè ait *Lugo d. 20. num. 45.*) circumstantia temporis tunc pertinet ad substantiam rei petitæ; unde, transacto eo tempore, meritò ajunt *Ronc. c. 6. q. 10. r. 2. et Cont. Tourn. loc. cit. v. Quær. 9.* quòd sacerdos tenetur stipendium restituere, etiamsi postea celebraverit. Imò rectè addit *Sporer* non sufficere, si stipendium restituatur, sed monendum esse insuper eum, qui stipendium dedit, de missis tempore apto omissis. Certum est 2. quòd si quis tibi det eleemosynam, ut celebres pro ipso in festivitate hodierna, peccas si postea sacrum facias; quamvis admittat *Lugo d. n. 45.* posse illud facere die crastinâ. Certum est 3. te non peccare differendo,

si dans eleemosynam, audito impedimento, consentiat in dilationem, ut explicavit S. C. l. c. in responso ad 12.

Præcisus autem his casibus, laxè dixit *Peyrinus in Declaration. Const. 9. Urb. VIII.* modicam esse dilationem trium annorum, vel sex mensium, ut censuit *Arriaga.* Necnon nimiam puto dilationem trium mensium, quidquid dicant *Pasqual. qu. 965. Renzi c. 4. q. 50. et Tamb. in Meth. cel. miss. c. 1. §. 9. n. 4.* qui malè citat pro hac opinione *Lugo. d. 21. n. 54. cum Led. et Villal.,* nam ibi *Lugo* approbat doctrinam præfatorum AA. dicentium spatium tantum duorum mensium esse modicum; et sic etiam sentiunt *Garzia, Philib. Ripa, Cerbulus, etc. apud Salm. tr. 5. c. 5. p. 5. n. 57.* idque colligunt ex *c. Præsentium, caus. 7. qu. 1.* ubi pastor, absens à sua Ecclesia per duos menses, non dicitur suæ Ecclesiæ defuisse, et ex *Trid. sess. 25. c. 1. de Reform.* ubi spatium duorum mensium modicum reputatur. Istæ paritates mihi non satisfaciunt: nihilominus probabile videtur id quod dicit *Lugo d. n. 45.,* nempe nequaquam peccare sacerdotem, qui dicit missam promissam infra duos menses, et hanc sententiam approbat etiam *Cont. Tourn. ibid. v. Quæ autem,* asseritque esse communem, sic dicens: *Potest quis missarum stipendia ad menses duos accipere, prout cum communi diximus antea de Oratione* Unde rationabiliter putat *P. Conc. t. 8. p. 469. n. 24.* dilationem duorum mensium non esse modicam, ex declaratione S. C. ejusdem concilii edita 17. Julii 1655. quam refert *Bened. XIV. (Notif. 56. n. 14.)* ubi imò dictum fuit, *modicum tempus non reputandum spatium duorum vel trium mensium, sed intelligi infra mensem.* In missis autem pro defunctis dilationem unius mensis meritò gravem reputant *Salm. loc. cit. Pal. p. 15. n. 21. Esc. l. 21. n. 161.* et ab hac sententia non dissentiant *Sporer, Ronc. Cont. Tourn. et Croix l. c.* dum dicunt missas pro defunctis celebrandas citius quam pro vivis.

Advertit autem *Cont. Tourn. l. c.* quòd, cum missæ traduntur celebrandæ alicui communitati plurium sacerdotum, tunc præsumitur, qui dat eleemosynam pro multis missis, velle citius eas celebrari. Hoc tamen non intelligendum, quòd omnes sacerdotes illius communitatis debeant se occupare in satisfaciendis hujusmodi missis, sed quòd non debeant tamdiu differre, quamdiu oporteret, si missæ illæ uni committerentur.

Hinc dico tunc posse totum numerum distribui in singulos communitatis, vel saltem in majorem ejus partem, si illa numerosior sit; et hæc distributione factâ, tota communitas poterit intra tantum temporis satisfacere, quantum concederetur unicuique communitati pro sua rata satisfacienda. Benè enim ait *Holz. p. 89. n. 185.* quòd has numerosas missas committentes facillè prævidere possunt, quòd communitas alias habeat obligationes.

Quæritur III. An sacerdos omittens celebrare missam peccet graviter, si stipendium pro illa acceptum non sit materia gravis?

Prima sententia negat, et hanc tenent *Pal. p. 24. n. 2. Sporer tom. 5. p. 142. n. 535. Elbel p. 152. num. 217. Renz. l. 1. c. 4. q. 40. et Salm. tr. 5. c. 5. p. 2. n. 59. circa med. cum Henriq. Pell. Sanctio, Fagund. etc.* Ratio, tum quia gravitas materiæ hic non est pensanda ex fructu spirituali missæ, aliàs omittens quamlibet orationem promissam graviter peccaret; sed ex damno illato, quod in hoc casu per se non censetur grave, cum illud levi stipendio redimi possit; tum quia hujusmodi damnus spirituale non videtur grave in æstimatione hominum, cum ex omissione unius sacri promissi non reputentur homines gravem injuriam pati.

Secunda sententia verò probabilior affirmat, et hanc tenent *Holz. p. 85. n. 566. Croix l. 6. part. 2. n. 154. cum Aversa, Ronc. c. 6. q. 10. r. 1. cum Passer. et P. Nav. Steph. ac Bonac. apud Salm. l. c.* Ratio, quia gravitas materiæ probabilius hic est mensuranda non in ordine ad stipendium, sed ad fructum missæ quo privatur eleemosynam tradens, cui ex hujusmodi privatione certè grave damnus infertur. Prout si v. g. dato exiguo stipendio tu fossorem conduceres, ut tibi aditum aperiat ad aquam pluviam in tuum agrum inducendam, non levis damni causa tibi erit, si operam suam ponere negligat. Nec valet dicere, quòd tale damnus levi stipendio redimi potest; nam redimi utique posset, si alter qui stipem tradidit certior fieret de omissione missæ; aliàs, si manet insecus, certè non poterit damnus illud redimere. Quòd autem tale damnus in æstimatione hominum leve reputetur, hoc non satis probatur; interim de se grave est.

Quæritur IV. An autem peccet graviter omittens dicere

unicam missam gratis promissam? Affirmant *Conc. pag. 465. n. 9. Navarr. Ledes. et Bonac. apud Renzium c. 4. q. 40.* ob eandem rationem, ut supra, quia per talem omissionem grave damnus spirituale promissario infertur. Sed probabiliter negant *Croix lib. 5. part. 2. n. 776. Elbel p. 152. n. 218. Ronc. l. c. Sanch. de matrim. l. 1. d. 6. n. 25. Diana part. 2. tract. 17. r. 9. v. Hinc etiam, Spor. pag. 142. n. 552. cum Caj. Mol. et Suar. ac Renz. loc. cit. cum Fag. Portell. ac Pell.* Ratio est, vel quia simplex promissio non obligat sub gravi, ut hic dicunt *Elbel, et Sporer, juxta sententiam allatam l. 4. n. 720.* quam tenent *Caj. Bann. Salm. et Lugo de contr. d. 25. n. 59.,* saltem, ut ait *Lugo, nisi promittens expressè sub gravi se obliget.* Vel quia, ut ajunt *Sanch. Ronc. Busemb. Croix, et Elbel,* promittens unam missam non censetur gravem obligationem sibi imponere. Omnes autem conveniunt peccare graviter, qui omittit missam debitam ex voto, aut præcepto prælati: quia nemo dubitare potest hanc esse materiam gravem in voto, vel præcepto; vide *Salm. tr. 5. c. 5. p. 2. n. 59. in fin.*

518. — §. Si quis det justum stipendium (id à consuetudine, vel lege taxatum esse debet, aut si non est, secundum *Sot. Cajet.* est frugalis victus unius diei, quod *Suar. Laym. et alii* reprobant, putantque sufficere mediam, vel tertiam partem sustentationis diei), ut pro se dicatur missa, non potest secundum accipi ab alio, et pro duobus una tantum missa diei. *Card. de Lugo d. 49. n. 259.* Secus, si ambo dimidium tantum justis darent, uti contra *Vasq. Reg. et alios* probabiliter docent *Sot. Henr. Fill. Conc. Card. de Lugo l. c.* quod tamen jam est prohibitum per bullam *Urbani VIII. Vide Bonac. Diana tract. 14. res. 7.*

Hic autem ante omnia advertendæ sunt duæ propositiones damnatæ ab *Alex. VII. Prima n. 8.* dicebat: *Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licet accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsius celebrantis correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.* Ratio damnationis est, quia applicatio fructus specialissimi valde incerta est; nam licet *Fill. tract. 15. cap. 6. n. 151. et alii plures* (ut ait *Croix lib. 6. part. 2. num. 50.* qui id probabile putat cum *Aversa et Sporer pag. 255. num. 255.*) dicunt valde probabiliter posse applicari fructum specialissimum;

attamen id negant *Laym. c. 2. n. 18. Lugo d. 21. n. 55. Tamb. §. 5. num. 68. item Suar. Vasq. Turr. et alii ap. Spor. n. 565.*, quia sicut ex institutione Christi fructus generalis non potest alteri applicari, ita neque hic specialissimus. *Secunda* propositio damn. n. 10. dicebat: *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam juramento promissione etiam firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

519. — Circa taxam autem justii stipendii communiter dicunt DD. (*Vid. Suar. d. 86. sect. 2. Viva q. 5. art. ult. n. 2. Croix lib. 6. p. 2. n. 126. et Salm. tr. 5. c. 5. p. 1. n. 4. ex decreto S. C.*) stipendium justum missæ non esse quidem victum unius diei, ut dixerunt *Sotus. et Cajet.*; nam sacerdos præter actionem sacrificandi potest in reliquo diei se occupare in concionando, docendo, et similibus exercitiis licitis, ut lucretur integram sustentationem, sed esse illud quod taxatum est ab Episcopo, vel à consuetudine, vel saltem à viro prudenti, si deest taxa à consuetudine, vel ab Episcopo facta. Ita *Suar. l. c. Conc. t. 8. p. 460. n. 2. Tamb. in Meth. l. 5. c. 1. §. 4. n. 2. et Bon. p. 8. n. 8. cum Coninch. Fill. Reg. et communi*, ex declaratione S. C. concilii (*apud Bened. XIV. notif. 56. n. 10.*) edita die 15. Novemb. 1698. ubi dictum fuit: *Attendendam esse consuetudinem loci, vel legem synodalem, quatenus adsit: sin minus statuendam esse per Episcopum eleemosynam competentem ejus arbitrio.*

520. — Dubitatur hic 1. An regulares teneantur stare taxæ Episcopi sub gravi obligatione? Negat *Navarrus apud Tamb. loc. cit.* Sed omninò affirmandum, ut dicunt *P. Conc. pag. 461. n. 5. Viva l. c. n. 5. cum Vasq. Molina, et aliis communiter*, ex decr. S. C. conc. sub die 15. Jan. 1659., quo sancitum fuit: *Eleemosynam pro quolibet missa, per regulares celebranda in eorum ecclesiis, esse taxandam arbitrio Ordinarii juxta morem regionis.* Ita *ap. eundem Bened. XIV. loc. cit.*

Dubitatur 2. an Episcopus possit prohibere, ne detur eleemosyna pinguior taxæ? Certum est 1. quod lex Episcopi, vel consuetudo taxans stipendium non prohibet, quominus fideles possint dare majus, et sacerdotes recipere minus, si velint.

ut docent communiter *Suar. Vasq. Barb. etc. cum Salm. tr. 5. c. 5. p. 2. n. 5.* Certum est 2. non posse sacerdotes tale stipendium excedens exigere, quia hoc magna pareret scandala. Ita etiam communiter *Suar. d. 86. sect. 2. et Bonac. l. cit. n. 9. cum Corduba, Reg. et aliis.* Cæterum Episcopus id non potest prohibere, si eleemosyna spontè offeratur, ut docent *Lugo Resp. mor. lib. 5. dub. 18. Suarez loc. cit. Less. lib. 2. cap. 4. n. 57. et Bon. num. 11. cum Reg. Poss. etc.*; ita decisum fuit à S. C. concilii die 16. Jan. 1649. (*apud Bened. XIV. dict. notif. 56. n. 11.*) contra Episcopum Pistoriensem, qui promulgaverat edictum hoc prohibens, sed S. C. respondit: *Prohiberi non posse, ideoque moderandum decretum.*

Dubitatur 3. an Episcopus possit prohibere, ne sacerdotes accipiant stipendium minus justo (nota quod inferius stipendium in Italia est argenteum, sive carolenus in nostro regno): negant *Sotus de just. l. 9. qu. 6. art. 1. ad 2. Nav. c. 25. n. 106. D. Thom. 2. 2. q. 102. art. 5.* Sed probabilius affirmant *Suar. l. c. Ronc. c. 6. qu. 1. r. 5. Bon. num. 9. cum Reg. Card. etc. ac Bened. XIV. dict. notif. 56. n. 11.* ex declaratione S. C. concilii die 16. Julii 1689. ubi dictum fuit bene posse Episcopum prohibere, et imponere pœnam celebrantibus pro minori quantitate taxæ. Ratio, quia aliàs quodammodo vilesceret missæ sacrificium. Quapropter casu quo Episcopus id prohibet, omninò sacerdotes tenentur ei obedire: certum enim est subditos tenèri obedire superiori præcipienti cum opinione probabili, ut diximus *l. 5. n. 47.* Opiniò autem nostra non solùm est probabilis, sed etiam probabilior auctoritate, et ratione. Quid autem, si ex hac prohibitione sacerdos grave pateretur incommodum, *vide dicta l. c. v. Limitant.*

Casu autem, quo sacerdos jam acceptarit exiguum stipendium pro missis celebrandis ab uno, vel à pluribus (quidquid dicat *Busemb. ut supra cum Soto, Con. Lugo, etc.*), non potest numerum missarum minuere, nec unam missam applicare pro duobus, qui singuli dimidium dederint stipendium, prout sancivit *Innocentius XII.* in bulla cit. incipiente, *Nuper etc.* (*Vide ap. Croix lib. 6. p. 2. n. 64.*) ubi confirmavit decretum S. C. concilii editum jussu *Urbani VIII.*, quo sic fuerat statutum: *Pro pluribus missis celebrandis stipendia quantumcumque exigua, sive ab una, sive à pluribus per-*

sonis collata fuerint, aut conferantur in futurum sacerdotibus et clericis, S. C. sub obtestatione divini iudicii mandat, ut absolutè tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint. Hoc tamen sanè intelligendum, quando sacerdos scienter acceptavit pro tali stipendio tot missas celebrare; secus si ignoranter, ut rectè dicunt *Cont. Tourn. cap. 9. art. 2. sect. 4. quer. 4. v. Hic duo, et Ronc. c. 6. q. 4. r. 2. cum Laym. Barb. et Passer.* Sacerdos autem, qui promisit hæredi quàm citò celebrare missas pro testatore defuncto, credito stipendio in posterum solvendo, tenetur quidem celebrare ante stipendii solutionem, ut fidem servet, prout benè ajunt *Salm. de contract. c. 5. p. 11. n. 157. cum Tap. Vill. etc.*

Dub. 4. an licitum sit pæisei de missarum stipendio? Negat absolutè *P. Conina t. 8. p. 462. nu. 6.*, cò quòd canones prohibent omnia pacta et conventiones circa stipendium missæ. ut ex *cap. fin: de Pactis, cap. Si nos, de simonia, etc.* Affirmant verò communiter *Less. lib. 2. cap. 55. n. 48. Pal. de sim. p. 9. n. 1. Sanch. Cons. lib. 2. cap. 5. d. 11. n. 8. Roncaglia de sim. cap. 2. q. 2. p. 208. cum Laym. et Gutt. ac Salm. de simon. c. 5. p. 5. n. 22. cum Maldero, Sanch. Soto, Villal. Ledes. etc.* Et hoc probabile videtur, si pactum sit de justo stipendio secundum taxam, vel consuetudinem, prout diximus *lib. 4. n. 55.* Ratio, quia, licèt stipendium non detur ut pretium missæ, attamen, cùm tribuatur ex justitia pro sustentatione sacerdotis, ut docet *D. Th. suprâ n. 516.* nihil obstat quòd possit in pactum deduci. Neque obstant canones citati, cò quòd ipsi vel usu abrogati fuerint, ut dicunt *Lessius, et Sanch.*, vel quia intelligi debent de pactis illicitis, ut meliùs ait *Roncag. cum Glossa in dict. c. fin. de pactis, v. Cessare*, qui dicit: *In spiritualibus omnis pactio illicita cessare debet.* Et hæc sola pacta circa celebrationem missarum reprobantur à Trident. sess. 22. de *Observ. in cel. miss.* ubi sancitur quòd *Episcopi importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones, potiùs quàm postulationes, prohibeant.* Ergò (benè ait *Lugo Resp. mor. lib. 5. d. 18. n. 7.* loquens de hoc textu concilii) non postulationes justæ, sed exactiones illiberales, et importunæ (scilicet excedentes) prohibentur, quæ utique avaritiam sapiunt. Cæterum in hujusmodi pactionibus, quantum fieri potest, scandala cavèri debent.

Dubatur 5. Quomodo taxandum sit stipendium missarum, quas reliquit testator? Si testator non taxaverit, tribuendum est juxta taxam; sin autem rectè censet *Ronc. q. 2.* taxandum esse ab Episcopo juxta morem loci, ut declaravit S. C. concilii ad 5. (*Vide apud Croix num. 95.*) habitâ ratione, ut ait *Roncaglia*, hæreditatis pinguis vel tenuis.

521. — « 6. Qui pecuniam ab alio accepit, ut pro illo celebret, aut fieri curet, per se loquendo, potest curare missam per alium bonum sacerdotem dici, minus dando, quàm accepit.

« Dixi 1. *Per se*; quia *Urbanus VIII.* ob speciem turpis quæstus id fieri vetuit.

« Dixi 2. *Bonum*: quia, si per malum curet, perditur fructus, qui est ex opere operantis. *Vide Card. de Lugo loc. cit.*

In decreto S. C. concilii approbato ab *Urbano VIII.* et confirmato ab *Innoc. XII.* (*Vide apud Croix n. 66.*) sic sancitum fuit: *Omne damnabile lucrum ab Ecclesia removère volens, prohibet sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retentâ, celebrandam committat.* Post hoc decretum aliqui etiam contendebant licitum esse retinère partem eleemosynæ, celebratione alteri commissâ, asserentes non fuisse hoc decretum acceptatum. Ideoque præfatus *Alex. VII.* prescripsit prop. 9. quæ dicebat: *Post decretum Urbani potest sacerdos, cui missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ.* Hinc noster *SS. P. Benedict. XIV.* in sua *Epist. Encyclica* emanata die 50. Junii 1741. quæ incipit, *Quanta cura*, (*vide in fine Operis.*) ut metu pænæ faciliùs ab hujusmodi turpi quæstu fideles amoveret, præcepit Ordinariis, ut per edictum notum facerent, *quemcumque* (verba sunt epistolæ) *qui... stipendia majoris pretii pro missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel synodalia statuta exigunt, colligens missas, retentâ sibi parte.... eorundem stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi, ubi pro missis celebrandis minora stipendia tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quidem, præter alias arbitrio vestro irrogandas pœnas, excommunicationis pœnam, clericum verò, sive quemcumque sacerdotem pœnam suspensionis ipso facto incurrere, à quibus nullus per alium, quàm per*

nos ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit.

Ab hac tamen prohibitione excipiunt I. Roncag. cap. 6. q. 8. r. 2. v. Secundo, cum Passer. Tamb. Meth. Miss. lib. 5. c. 1. §. 5. n. 15. Salm. tr. 5. c. 5. p. 2. n. 15. cum Dicast. et Diana, item Pasqual. ac Mendo apud Croix lib. 6. p. 2. n. 155. (et probabile putat Viva in dicta prop. 9. damnata ab Alex. VII. n. 8.) casum quo aliquis daret majorem illam stipem, non tam intuitu missæ quàm amicitiae, paupertatis, gratitudinis, propinquitatis, etc.; potest enim tunc sacerdos excessum retinere, committendo alteri missæ celebrationem. Hoc verò non admittit Croix l. c. cum Stephano, nisi dans eleemosynam hunc suum specialem affectum verbis expresserit: sed hæc limitatio superflua videtur, si ex circumstantiis moraliter constet eleemosynam præstitam fuisse intuitu personæ.

Excipiunt II. Cont. Tourn. de sacrif. cap. 9. art. 2. sect. 4. v. Quær. 7. Ronc. l. c. v. Hæc. Viva l. c. n. 7. et Tamb. §. 5. n. 14. casum quo sacerdos, cui committitur celebratio, liberaliter et omnino spontè tibi condonet excessum illum; tunc enim licitè posses retinere; sicut enim ille potest totum remittere, sic et partem. Verumtamen hoc minimè admittendum, si tu indices majus pretium acceptum, et sacerdotem roges ut remittat; vel ab eo quæras an consentiat, ut tu partem retineas; tunc enim nequis eam retinere, etiamsi ille annuat; nam hoc in præfata bulla Bened. XIV. asseritur tanquam execrabilis abusus vetitus à pluribus Pontificibus, qui decretum voluerunt (verba Bullæ) nimirum à quolibet sacerdote, stipendio majoris pretii pro celebratione missæ accepto, non posse alteri stipendium minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti celebranti, et consentienti (nota) se majoris pretii eleemosynam accepisse indicasset.

Excipitur III. beneficiarius, qui benè potest committere alteri sacerdoti celebrationem missæ debitam pro beneficio, tradito stipendio congruo juxta morem loci, sine eo quòd tradat totam ratam fructuum correspondentem celebrationi illius diei. Ita communiter Croix lib. 4. n. 820. Ronc. c. 6. q. 8. r. 2. Viva in dict. prop. 9. n. 9. Suar. d. 86. sect. 5. Pal. p. 14. nu. 9. et Salm. tr. 5. c. 5. p. 2. n. 15. cum Sa, Vasq. Laym. Bon. et aliis. Et patet ex decreto S. C. approbato ab

Innoc. XII. in sua bulla Nuper, (ut diximus) n. 8. ubi dictum fuit, decretum Urbani non habere locum, sed satis esse, ut rector beneficii, qui potest missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem civitatis vel provincie, nisi in fundatione beneficii aliud cautum fuerit. Vide apud Croix n. 96.

Idem licet capellano amovibili, ut dicunt Viva n. 9. Ronc. Lugo d. 21. n. 50. Holz. pag. 85. n. 565. v. Dixi, cum aliis passim; et die 15. Martii 1745. confirmatum fuit à S. C. concilii per decretum, quod egomet observavi, ubi dictum fuit id licere, modò pro capellania certi redditus sint annuatim constituti, et perpetuò capellano assignati; secus verò, si hujusmodi capellano pro qualibet missa celebranda certa detur eleemosyna. Idem licet illi, cui commissa est celebratio missæ perpetuæ, ut dicunt Viva n. 9. Croix n. 151. cum Gob. et Pasqual. Et idem dicunt Tamb. n. 10. cum Riccio, et Ronc. dict. qu. 8. v. Tertio, cum Passerin. Ant. de Spir. S. et aliis, de sacerdote, cui commissa est celebratio ex pingui legato, ad vitam ipsi relicto cum onere missarum. Ratio omnium horum est, quia decreta prohibentia retinere partem stipendii, tantum loquuntur de missis manualibus.

Hic autem benè advertunt Croix n. 152. Pasq. q. 976. et Conc. p. 466. n. 15. quòd si tradatur eleemosyna pinguior sacerdoti singularis pietatis famà prædito, is nec etiam tradito eodem stipendio poterit alteri committere missam, nisi similis probitatis habeatur, vel nisi aliqua causa excuset. Hoc tamen ait Conc. non vidèri esse mortale, quia major devotionis fervor tanti communiter non est, ut variatio celebrantis gravem inducat culpam; sed melius dicit Croix, id quidem non facilè damnandum de mortali, sed aliquando benè posse accidere, aliquem graviter ferre, quòd missa per alium celebraretur, et tunc erit mortale.

522.— Dubitatur 1. an qui retinet partem stipendii, juxta propositionem damnatam, ut supra, non solum peccet, sed etiam teneatur ad restitutionem.

Prima sententia negat, et hanc tenent Suar. d. 88. sect. 3. Pal. p. 14. n. 9. et Bon. d. 4. q. ult. p. 8. n. 18. cum Sa, Nav. Vasq. Fill. Possev. Rodr. Reg. et aliis, eamque probabilitate non carere dicit Viva in dict. prop. 9. n. 6. Ratio, quia accipiens stipendium jam acquirit illius dominium et licet acqui-

rat cum onere dicendi missam, huic tamen bene per alium jam satisficit.

Secunda sententia verò tenenda, quam prius docuerunt *Dian. p. 2. tr. 14. res. 10. et Escob. lib. 21. n. 621. cum Major, Arag. Ledesma, etc.*, et post propositionem damnatam recentiores communiter tenent ut *Vidal in dict. prop. 9. Corvella ib. n. 64. Croix lib. 6. p. 2. n. 153. Sporer p. 146. n. 569. Conc. t. 8. p. 474. n. 10. Holzm. p. 82. n. 565. Cont. Tourn. ibid. Mazzotta tom. 2. p. 429.* hancque ad minus probabiliorem putat *Viva l. c. contra Bordon.* Ratio 1. deducitur ex ipsa propositione damnata: cum enim ipsa dicebat posse sacerdotem per alium satisfacere, parte stipendii sibi retentâ, sequitur veram esse propositionem contradictoriam, nempe quòd non possit satisfacere; satisfactio autem non solum respicit honestatem actûs, sed etiam justitiam; qui ergò non satisficit obligationi justitiæ, tenetur ad restitutionem. Ratio 2. quæ fortius urget, est, quia, tametsi sacerdos eleëmodynam accipiens acquirat ejus dominium, illud tamen non aliter acquirat, nisi juxta voluntatem dantis; voluntas autem dantis est, non solum ut missa celebretur, sed ut celebretur tali stipendiò; cum enim pinguem tradit stipem, eâ intentione dat, ut uberiorem fructum ex missa celebranda percipiat; ergò qui, tradito minori stipendiò, per alium celebrare facit, peccat contra justitiam, non quia defraudat fructu missæ dantem eleëmodynam, fructum enim jam hic percipit ex sua antè habita pia dispositione, sed quia non exequitur dantis intentionem, quâ vult ut illa missa, unde percipit fructum, tali stipendiò celebretur, et quia hujusmodi intentio intrat in substantiam contractûs, ideò, si sacerdos partem stipendii retinet, injustè contra dantis voluntatem retinet.

Cui autem eo casu fieri debeat restitutio? *Croix l. c. cum Pasqual.* dicit posse fieri vel danti eleëmodynam, vel sacerdoti celebranti; sed communiùs, et probabiliùs censent *Cont. Tourn. Holzm. et Sporer l. c.* restitutionem faciendam esse celebranti, quia, translato in eum onere, etiam jus ad integrum stipendium juxta voluntatem domini transfertur.

Dubitatur 2. An procurator vel executor testamenti, faciens celebrare alibi missas sibi commissas, ubi minor est taxa, possit excessum sibi retinere? Affirmat *Tamb. de Meth. missæ l. 5. c. 4. §. 5. n. 15.* quia excessus ille erit fructus suæ

industriæ. Sed meritò hoc communiter reprobant *Concina t. 8. p. 464. n. 12. Viva in prop. 9. damn. ab Alex. VII. n. 8. Renzi c. 4. q. 43. Diana p. 10. tr. 16. r. 68. et Ronc. c. 6. q. 8. r. 2. v. Nullatenis, cum Passer.* Ratio, tum quia talis procurator turpem faceret quæstum ex eleëmodynâ: tum quia nullum is titulum habet, quo lucrum illud sibi retineat, cum nunquam dominium illarum eleëmodynârum acquisierit.

Dubitatur 5. an sacerdos colligens eleëmodynâs pro celebrandis missis, possit aliquid retinere pro suo labore, si missæ non tradantur ipsi ut ab ipso celebrentur? Negat *Conc. p. 465. n. 15.* dicitque hoc vetitum esse à bulla *Bened. XIV.* ex verbis suprâ citatis n. 521. v. *In Decreto.* Affirmat tamen *Viva l. sup. c.* si talis sacerdos moderatam retineat mercedem juxta rationem sui laboris. Idque non videtur improbabile, si ille ad hoc munus sit destinatus, et suus labor verè mercedem mereatur; tunc enim hujusmodi merces ei debetur ex naturali æquitate, et ex voluntate ipserum eleëmodynâs offerentium. Pontifex autem censetur tantum eos damnare voluisse, qui ex industria eleëmodynâs colligunt, ut ex eis turpem faciant quæstum, nempe colligendo stipendia præscripta in uno loco, et alibi missas curando celebrari, ubi eleëmodynâ sunt minoris pretii, quàm illic ubi excipiuntur.

Dubitatur 4. an sacerdos, cui hodie offeruntur tres julii ut celebret, possit procurare ut alius celebret pro ipso, promittens die crastinâ celebrare pro illo, qui pro sua crastina missa accepit unum julium? Affirmant *Croix l. 6. p. 2. num. 154. et Mazzot. t. 2. p. 430.*, quia hoc non esset retinere partem pretii, quod Pontifex damnavit, sed tantum permutare missas, et dies. Rectè verò negat *Conc. p. 466. n. 16.*, quia hoc non posset excusari à specie turpis mercimonii; meritò tamen id non audet damnare de peccato gravi: et an paupertas possit ab omni culpa excusare, se remittit prudentum judicio.

Dubitatur 5. an administratores ecclesiarum ex eleëmodynâs datis propter missas possint aliquid retinere pro expensis altarium, inservientium, luminum, etc. S. C. concilii in decreto confirmato ab *Innoc. XII. ad num. 7. (vide ap. Croix l. 6. p. 2. n. 95.)* sic respondit: *Permittendum non esse, ut loca pia, seu illorum administratores ex eleëmodynâs missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum in missarum cele-*

bratione, nisi alios non habeant reditus; et tunc nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum missæ sacrificio necessariò sunt subeundæ. Et hic adverte aliud decretum ejusdem S. C. editum die 6. Julii 1726. (ut habetur apud *Bened. XIV. notif. 56. n. 15.*) ubi statutum fuit: *Archipresbyterum non teneri ad ministranda utensilia iis, qui celebrant in sua ecclesia ex obligatione beneficii, sive capellanæ. Quoad missas verò adventitias teneri ad dictam subministrationem, quatenus permittat eas in sua ecclesia celebrari. nec teneri ad has missas adventitias admittendas, nisi solutis utensilibus per celebrantes.*

523. — « 7. Beneficiati, etiam curati, ad missas obligati, possunt pro iis accipere stipendium, et applicare cui volunt; quia non semper habent obligationem applicandi ob certam intentionem; nisi tamen contrarium constet, ut de missa conventuali docet *Bonac. Ita C. de Lugo d. 81. s. 1. n. 21. et Suar. Vasq. etc. contra Gavant. Barb. et Dian.* qui negant de parocho: refertque *Dian. p. 4. t. 4. r. 252.* determinasse congregationem Card., quòd ei non licet pro missa accipere eleemosynam manualement, quando tenetur celebrare; de missa tamen conventuali, contra *Bon. etc.* ipse affirmat *p. 5. t. 15.* ex aliis tribus.

524. — Queritur I. An qui alicubi tenetur celebrare sine expressa obligatione applicandi missas, possit aliud stipendium recipere? Respondetur: Si in fundatione beneficii, vel capellanæ expressum sit non esse obligationem applicandi pro fundatore, certè poterit aliud stipendium accipere, prout habetur ex decreto S. C. concilii edito die 15. Julii 1650. (apud *Bened. XIV. Notif. 56. num. 8.*) ubi sic dictum fuit: *Quando in fundatione beneficii, seu capellæ expressè cantum est non teneri celebrantem ad applicationem sacrificii; eo casu poterit celebrans accipere novum stipendium, et unicà missà satisfacere obligationi beneficii, seu capellæ, et item dari novum stipendium.* Et huic simile decretum affert *Merati p. 5. tit. 12. n. 4.* editum 15. Febr. 1650. Secus verò dicendum, contra *Busemb. et alios*, ut supra, si in fundatione nihil fuerit expressum, ut habetur ex decreto ejusdem S. C. approbato ab *Innoc. XII. (apud Croix n. 92. ad 4.)* ubi dicitur: *Sacerdotes, quibus diebus tenentur missas celebrare ratione beneficii, seu capellæ, legati, aut salarii, si eleemo-*

synas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non posse eadem missà utrique obligationi satisfacere. Et (quidquid respondeat *Lugo d. 21. n. 12.*) decretum hoc clarius explicatum fuit alio decreto ab eadem S. C. die 18. Martii anno 1686. (apud *Bened. XIV. l. c. n. 9.*) ubi decisum fuit teneri celebrantem applicare pro anima testatoris, semper ac in fundatione nulla sit adjecta declaratio, ad ejus suffragium applicandum sit sacrificium. Et idem declaratum fuit ab eadem S. C. 6. Febr. 1627. (vide apud *eundem Bened. n. 8.*) de capellanis *confraternitatum, et monialium, qui celebrant, ut confratres, vel moniales satisfaciant præcepto audiendi missam.*

Hic autem notandum aliud decretum ejusdem S. C. emanatum 7. Julii 1686. (vide apud *Pittonum in Constit. pro paroch. n. 1697.*) ubi dictum fuit, quòd capellani et beneficiati celebrantes pro capellanæ, seu beneficii fundatore, non tenentur missas celebrare tempore quo capitale dotis assignatæ est otiosum et infructiferum, sine eorum culpa. Et novissimè hoc idem confirmatum fuit die 8. Augusti 1705. apud *eundem Pitton.*

Fit dubium, an circa onera missarum, et conditiones in fundatione appositæ possit dari præscriptio? Affirmant *Laym. l. 5. tr. 1. c. 8. n. 15. cum Nav. item Tamb. Meth. miss. l. 5. c. 7. §. 1. n. 1. et apud Croix l. 4. n. 852. Pelliz. Hurt. Pasqual. et Gob. cum Rota Rom. ut ibid. testatur Tuschus.* Ratio, quia præscriptio legitima valet contra quaecumque jus; nec exceptio reperitur in jure, quòd circa onera missarum non detur præscriptio. Ex his autem auctoribus alii ut *Tamb. etc.* requirunt, ad præscribenda præfata onera, spatium 20 annorum cum titulo, et 50 sine titulo. Alii verò ut *Pasqual. Tuschus, etc. apud Croix*, dicunt requiri 40 annos, cum agatur contra bonà Ecclesiæ, juxta dicta *l. 4. n. 510.* Sed quidquid sit de hoc, verius videtur nullo modo posse præscribi onera missarum, et conditiones à fundatoribus requisitæ; tum quia (ut ait *Corradus l. 2. c. 10. n. 90.*) primæva fundatio majorem habet vim, quàm consuetudo; tum quia in beneficiariis difficulter præsumi potest bona fides, cum ipsi facilè præsumantur ex fundatione cognovisse leges beneficii, tum denique (et hæc ratio est potior), quia in *Trid. sess. 25. de ref. c. 5.* sic sancitum fuit: *Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione, seu*

fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta in beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur. Ergò qualitatibus requisitis ex fundatione, et oneribus injunctis, sive in collatione, sive in quacumque alia pia dispositione, statuit concilium nunquam derogari posse. Accedit Bulla Pii IV. quam confirmans Trid., irritat quidquid contra illud factum fuerit; clausula autem decreti irritantis ligat etiam ignorantes, et in causis beneficialibus inficit titulum et possessionem, ut dicit *Croix l. 4. num. 637. cum Garc. Nicol. et aliis comm.* Accedit bulla *Innoc. XIII. Apostolici ministerii* (ampliata à *Ben. XIII.* per totum Orbem aliâ bullâ, *In supremo*), ubi n. 27. dicitur, quòd quæcumque præscriptio etiam centenaria et immemorabilis non datur contra ea, quæ in conc. Trid. præscripta sunt.

Quærit. II. Quibus diebus teneatur parochus applicare missam pro populo? Ante sanctionem *SS. N. PP. Bened. XIV.* de qua mox infra dicemus *num. 525.* olim plures adfuerunt sententiæ:

Prima sententia dixit tenèri quotidie, si reditus sint pingues; si verò tenues, tenèri tantum diebus festis. Ita *Ronc. de Sacrif. missæ c. 2. q. 8.* et probat ex pluribus decretis *S. C.* id decernentibus; et hoc, etiamsi parochus non habeat congruam; nec satisfieri, ait *Ronc. cum Passer.* si applicetur pro populo missa conventualis, cum hæc sit applicanda absolute pro benefactoribus, ex *cap. Cum creatura, de celebrat. miss. cum Pignatell.*

Secunda sententia verò dixit 1. nullum esse dubium, quòd aliquoties in anno teneatur parochus jure divino celebrare pro populo, ut *Salm. de Sacrif. miss. c. 3. p. 2. n. 50. cum Laym. Barbos. Conc. et communiter;* et infertur ex *Trid. s. 25. c. 1. de ref.* ubi: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, etc.* Dixit 2. è converso non tenèri parochum de se quotidie pro populo missam applicare; nam sic teneretur quotidie celebrare, quòd nulli præceptum est. Ita *Salm. ibid. n. 51. cum Suar. Vasq. Barb. Bon. etc.* Immò, præciso pacto, consuetudine, aut Synodo in contrarium, dicunt *Nav. Suar. Barb. et alii cum Salm. ibid. n. 52.* nec omnibus diebus festis tenèri pro populo ce-

lebrare, sed tantum aliquoties in anno, arbitrio prudentum, ut *Salm. ibid. n. 55,* vel in præcipuis festis Domini, et diebus dominicis, aut saltem semel in hebdomada, ut *Bonac.*

Tertia sententia dixit, quòd ex vi parochiæ non tenetur parochus applicare fructum missæ specialiter pro ovis. Ita *Pal. tr. 22. disp. unic. part. 15. n. 7. cum Nav. Suar. Vasq. Coninch. Nal., etc.* item *Lug. Reg. Steph. et Gob. apud Croix,* qui probabilem putat *l. 5. part. 3. n. 762.* Ratio istorum, quia officium curati est pascere oves verbo, exemplo, sacramentorum administratione, et sacrificii dispensatione; hoc autem dixerunt fieri, si illud generali tantum applicatione pro omnibus fidelibus, et præcipuè interessentibus applicatur, et ita censuerunt intelligendum esse Tridentinum. Hinc intulerunt pro omnibus illis missis posse quotidie parochum accipere stipendium, nisi tamen ex fundatione, aut consuetudine, vel prælati præcepto aliàs teneatur pro populo sacrificare.

525. — Verum hodie ex Epistola encyclica *SS. nostri Pontificis Bened. XIV.* edita die 19. Augusti 1744. quæ incipit: *Cum semper;* sancitum habemus, omnes parochos tenèri applicare missam pro populo saltem in diebus festis, etiamsi congruam non habeant, his verbis: *Ista mens nostra, et sententia est, sicuti etiam pluries à prælaudatis congregationibus judicatum fuit, ac definitum, quòd omnes, et singuli, qui actu animarum curam exercent, et non solum parochi, aut vicarii sæculares, verum etiam... regulares... æquè teneantur missam parochialem (omnibus diebus festis, ut infra applicare pro populo ipsorum curæ commisso.*

Et quia alii allegabant non habere congruos reditus, alii dicebant contrariam alicubi esse consuetudinem: *Nos autem (sic præscribit et loquitur Pontifex) ad præcedentes prædictæ congregationis concilii resolutiones nostram approbationem et confirmationem extendimus; et quatenus opus sit, auctoritate apostolicâ iterum tenore præsentium decernimus, et declaramus, quòd, licet parochi, seu alii, ut supra..., congruis redditibus destituantur, quamvis immemorabili consuetudine in eorum parochiis obtinuerit, ut missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.*

Et quamvis (additur) aliàs à congregatione concilii respon-

sum fuerit parochum nempe pinguibus redditibus dotatum quotidie pro populo celebrare et applicare debere, etc., tamen cum nobis perspectæ sint controversiæ supra hoc ipso exortæ; idecirco opportunum censemus declarare nobis abunde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, sacrificium missæ pro populo celebrent, atque applicent in Dominicis, aliisque per annum diebus festis de præcepto.

Item declarat ibi Pontifex hoc valere etiam pro iis locis et diebus, in quibus populus missæ interesse debet, at aliunde servilibus operibus vacare potest (1). Proinde casu quo aliquis parochus sit adeo pauper, ut vivere cogatur ex eleemosynis missarum, facultatem concedit Episcopis cum eo dispensandi, ut ipse possit etiam diebus festis missam applicare pro eleemosynam offerentibus, modò intra eandem hebdomadam missas omissas pro populo applicet. Et quoad œconomos, qui deputantur ad curam animarum, vacante ecclesiâ parochiali, tribuit Episcopis facultatem assignandi illis congruam portionem ex fructibus parochiæ pro onere celebrandi pro populo diebus festis, licet ipsi fructus ad Cameram apostolicam pertineant, et quamvis portio jam eis sit assignata, juxta constitut. S. Pii V., sed non sit sufficiens.

526. — Deinde decrevit Pontifex suâ Apostolicâ auctoritate, ut missa conventualis, quæ singulis diebus canitur à clero prædictarum ecclesiarum pro earundem benefactoribus quotidie applicetur, respiciendo benefactores in genere cujuslibet Ecclesiæ. Et hoc, quavis consuetudine non obstante. Nisi autem alicubi adsit consuetudo applicandi pro benefactoribus Ecclesiæ primam, et etiam secundam missam conventualem, declarat non esse obligationem applicandi secundam, modò in *Memento* secundæ missæ pro defunctis fiat ipsorum commemoratio.

In fine autem hujus bullæ loquitur Pontifex de obligatione canonicorum canendi aut psallendi in choro, aliàs restituendi

(1) Nemo non novit, haud multò abhinc tempore plures Reverendissimos DD. Episcopos ex Belgio et Gallia à S. Sede petisse, an obligatio ineumberet parochis aliisque curam animarum habentibus applicandi missam pro populo etiam festis indulto 9 aprilis 1802 à Pio VII suppressis aut translatis ac S. Congregationem Concilii affirmativè respondisse dictisque Episcopis facultatem impertitam esse absolvendi singulos parochos super omnibus omissæ, injuncta unicuique celebratione unius missæ.

Edit.

fructus præbendarum, et distributionum, si tantum assistant, et non psallant aut canant; quo improbabilis reddidit opiniones oppositas. Vide de hoc dicta l. 4. n. 675. v. Dub. 5.

Postquam autem hæc notavi, alia insurrexit quæstio, quam apud nullum auctorem usque adhuc discussam, neque inditam inveni, scilicet an parochus infirmus (sive Episcopus, nam quod dicitur de parochio, fortius dicendum est de Episcopo), si non possit celebrare pro populo per seipsum, teneatur celebrare per alium? plures doctos super hoc dubium consului, alii negarunt dicentes hanc obligationem celebrandi pro populo includi in obligatione orandi pro populo, quam habet parochus; at cum obligatio hæc orandi sit merè personalis, sicut parochus impeditus orare pro populo, non tenetur per alium orare, ita impeditus celebrare nec tenetur celebrare per alium. Sed ego cum aliis oppositum censeo omnino tenendum. Ratio, quia parochus non solum tenetur celebrare pro populo, sed etiam missam populo applicare, ut idem Papa *Benedictus* declaravit an. 1744. in eadem bulla, *Cum semper*, Idque procedit juxta effata S. Pauli (*Hebr. c. 5. v. 4.*): *Omnis namque Pontifex est hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum. ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Et deinde idem confirmat *vers. 5.* dicens: *Et propter ea debet, quemadmodum pro populo; ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.* Obligatio autem pastoris orandi pro populo est equidem personalis, sed obligatio applicandi populo fructum missæ simul est personalis (quia si potest celebrare per seipsum, nequit celebrare per alium) (1), et etiam realis, cum sit una ex obligationibus muneris pastoris annexis, prout dictum fuit in concilio Tridentino *sess. 25. de Reform. c. 14.* ubi mandatum fuit sacerdotibus curam animarum habentibus missas celebrare *tam frequenter, ut suo muneri satisficiant.* Onus autem hoc offerendi missas pro populo est ex præcepto divino, ut idem concilium expressit *cit. sess. 25. cap. 1.* ubi dicitur: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere,*

(1) Hoc optime confirmatur ex rescripto S. Congregationis de propaganda fide, quæ die 11 martii 1845 vicario apostolico Sylva-Ducis (Bois-le-Duc) facultatem concessit, indulgendi parochis vicariatibus, ut per sacellanos missam pro populo applicare possint in casibus veræ necessitatis et dummodo ex canonica causa fiat.

Edit.

pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicationes, etc. Illud autem præceptum divinum habetur apud Joannem (c. 21. v. 17.): *Pasce oves meas*. Sicut igitur tenetur pastor suas oves pascere prædicatione, sacramentorum administratione, correptione etc., sic etiam tenetur pascere applicando eis fructum sacrificii; quapropter, sicut pastor impeditus prædicare, vel sacramenta administrare, tenetur prædicare et administrare sacramenta per alium; ita impeditus applicare per seipsum populo missam, tenetur per alium applicare sacrificii fructum, quod est pasculum utilius, quo populum juvare potest.

Si autem parochi, et omnes quibus cura animarum commissa est, tenentur in Dominicis et festis de præcepto missam celebrare, et applicare pro populo; tantò magis ad id tenentur Episcopi, tanquam principales animarum pastores. Non autem ad hoc tenentur quotidie, quidquid dicatur in cap. *Quoniam de Privileg. in 6.* nam eodem cap. dicitur, quòd divina celebratio missæ, vel auditio (quoad Episcopos) est tantum de decentia, non verò de obligatione. *Quoniam* (verba textus) *Episcopi, eorumque superiores, se habent diversis ex causis à suis Ecclesiis, et diocesibus absentare frequenter, nec possunt semper commodè ad Ecclesias accedere pro missa celebranda, vel audienda in ipsis, sine qua eas transire non decet* (nota non decet) *absque causa rationabili ullam diem: præsentì constitutione indulgemus eisdem, ut altare possint habere viaticum, et in eo celebrare, ac facere celebrare, ubicumque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare vel audire Divina.*

527. — « 8. Qui stipendium pro sacro accepit, tenetur dicere missam pro defunctis, vel votivam, vel in hoc, aut isto altari, prout pecuniam offerens petivit (quantum tamen rubricæ permittunt, quibus neglectis, Ecclesiæ ordinem invertere, ob alterius devotionem, non convenit); quia ob ejus devotionem, et speciales orationes, major fructus provenire solet. Si tamen aliter faciat, non erit grave; imò nullum, si fiat justa de causa. *Vide Dian. de celebr. miss. r. 29. et 51. Card. de Lugo l. c. n. 55.*

528. — « 9. Is, qui quoad locum, tempus, intentionem, qualitatem missæ non satisfacit, sine justa causa, voluntati fundatoris, peccat; et quidem graviter, si sæpè faciat,

esto consentiant hæredes: cùm ii in hoc voluntati testatoris non possint derogare, ut docent *Sylv. Nav. Azor etc.* Episcopus tamen potest in hoc dispensare ex causa ut habent *Henr. Sylv. et Tamb.* Quòd si quis quoad locum impediatur, tenetur in alio, ut habent *Azor t. 1. l. 10. cap. 14. et Sa, v. Missæ. Dian. l. c. r. 29.* ubi docet ex *Nav. Rodr. Fag. et Azor* esse mortale celebrare in alio templo vel altari, quàm quis tenetur: quod negat *Card. de Lugo*, si rarò, et ex causa fiat. *Vide n. 56.* Imò nec esse veniale, si obligatus quotidie celebrare, rarò, et ex rationabili causa celebret alibi. Similiter *Tamb. de exped. sacr. l. 5. c. 2.* excusat à mortali eum, qui uno, alterove die singulis mensibus alibi celebrat, nisi tamen celebrare in altari privilegiato; notatque posse sacerdotem contra hoc onus missarum, v. g. certum earum numerum præscribere annis 50 si adsit possessio, titulus, et bona fides.

529. — Notandum igitur I. circa locum celebrandi quòd si capellanus celebret in alia Ecclesia, vel altari, vel horà, quàm à fundatore est constitutum, peccet mortaliter. Ita communiter *Lugo de sacram. d. 21. n. 56. Pal. tr. 15. d. 1. p. 6. n. 26. Cont. Tourn. cap. 9. art. 2. sect. 1. concl. 4. Salm. de Sac. missæ c. 5. p. 2. n. 17. cum Nav. Azor etc.* modò id faciat sæpius, aut sine causa, aut sine dispensatione, et modò fundator altare illud destinaverit ob gravem causam. Dixi sæpius, nam peccabit tantum venialiter, si faciat rarò, putà si semel vel bis in mense; et facilius, si mutabit tantum altare, et non Ecclesiam. Item dixi sine causa; nam minimè peccabit, si celebrabit alibi ex justa causa, putà si altare sit execratum, vel quia egressus à sacristia viderit illud ab alio occupatum. *Lugo loc. cit. Salm. ibid. n. 18. et 20. ac Elbel de Sac. missæ num. 216. cum Henr. etc.* Item dixi sine dispensatione; nam benè potest Episcopus dispensare, ut celebretur in alio loco, ex rationabili causa, putà ob utilitatem propriam Ecclesiæ, applicationem studii, infirmitatem, aut negotium, aut nimiam molestiam adeundi Ecclesiam, et similia; ut dicunt cum *Bus. Pal. loc. cit. n. 27. Conc. t. 8. p. 470. n. 28. Croix lib. 6. p. 2. n. 120. cum Pasq. Salm. ibid. n. 19. cum Henr. Barb. Ant. à Sp. S. Ronc. de Sacrif. missæ c. 8. q. 6. r. 2. cum Passer. et Ricc. Tamb. in Meth. cel. miss. l. 5. c. 2.*

§. 2. n. 1. *Mazzot. t. 5. p. 188.* qui vocat communem. Ratio, quia in tali dispensatione voluntas testatoris tantum in accidentibus omittitur, et altiori bono compensatur; licet enim Tridentinum *sess. 25. c. 5. de Ref.* prohibeat mutari qualitates foundationum, istas tamen Episcopi voluntates testatorum interpretando, bene reducere possunt ad æquitatem; ita *Mazzot. et Croix ll. cc. cum Pasq.* Tantò magis, quia idem concilium *sess. 25. c. 4.* expressè concedit prælatis in quibusdam casibus, etiam omninò commutare ultimas voluntates. Rectè tamen *Croix, et Pasq.* dicunt in nostro casu non posse dispensare Episcopos, si testator designando Ecclesiam vel horam in fundatione, specialiter respexerit commoditatem populi audituri missam. Præterea dixi, *modò fundator altare illud destinaverit ob gravem causam*, putà ob memoriam, vel commodum familiæ, aut populi, vel ob specialem cultum Sancti, et similia. Nam si nullum habuerit specialem finem, vel si causa cessaverit, nempe si familia sit extincta, vel alibi moretur, tunc sacerdos, mutando altare, tantum venialiter peccabit; et ne venialiter quidem, si celebrabit in altari privilegiato, quia ibi melius consulit fundatori; ita *Lugo n. 56. et 57. et Cont. Tourn. l. c.* Cæterum advertendum apud *P. Ferraris Bibl. verb. Capellania, n. 14.* referri plura decreta S. C. concilii, quibus dicitur pro hujusmodi dispensatione semper adeundam esse Sedem apostolicam.

Notandum II. quòd si quis, stipendio accepto, deberet missam celebrare in altari privilegiato, et in alio celebraret, non jam teneretur ad restitutionem stipendii, sed tantum ad lucrandas indulgentias applicabiles pro defunctis; ita *Elbel nu. 210. cum Anacl. et Babenst. Sporer n. 157. et 555. ac Ronc. c. 6. q. 7. r. 1. et 2.* qui addit non esse quidem obligationem restituendi, si eleemosyna data sit ordinaria, secus verò si pinguis. Non autem satisfacit, qui celebrat in alio altari non privilegiato, applicando indulgentias calculi benedicti, imaginis, etc. quia hæ indulgentiæ non sunt tam certæ quàm indulgentiæ altaris privilegiati, ut dicunt *Salm. tr. 5. c. 5. p. 2. n. 21. cum Nav. Azor, Bon. Dian. et Dic.* Et idem censent *Lugo d. 21. n. 59. et Salm. tr. 5. c. 5. p. 2. n. 22. cum aliis communiter (contra Dian. Pasq. Megal. etc.)* de calculo benedicto eum indulgentia ad liberandam animam purgatorii in celebratione missæ.

550. — « 10. Beneficiatus ex justitiâ obligatur sub mortali, » et pœna compensationis, ad eum numerum missarum, » per se, vel (prout mens fundatoris ex verbis colligenda » permittit) saltem per alium » (*Nisi exprimat in institutione capellanix, quòd capellanus per seipsum celebret, semper per alium celebrare potest. Sic rectè docent Salm. ibid. n. 55. cum Dic. et Dian. part. 4. tr. 4. r. 87. qui cum Campanili testatur ita declaratum à S. C. Et sic etiam fuit decisum, à S. Rota Rom. apud Pitton. de Paroch. num. 1171. qui num. 1514. assert aliam declar. S. C. editam 17. Sept. 1685.*) « quem numerum litteræ foundationis requirunt; eum » verò numerum ex justa causa, v. gr. si reditus jam non » sufficienter respondeant, potest minuere Episcopus in Sy- » nodo: quam potestatem *Bon.* restringit ad missas defun- » ctorum, et quidem post *Trident.* impositas. *Vide Bonac. d. 4. q. ult. p. 8.*

551. — Reductio missarum hodie tantum à Sede apostolica, non ab Episcopis fieri potest, ut patet ex decreto S. C. concilii edito jussu *Urbani VIII.* et confirmato ab *Innoc. XII.* (*vide apud Croix l. 6. part. 2. n. 65. v. Ac primo*) ubi sic dicitur: *Districtè prohibet, ne Episcopi in diocesana Synodo aut Generales in capitulis generalibus; vel aliàs quoque modo reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post idem concilium imposita, aut in limine foundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad apostolicam Sedem recurratur, etc. Alioquin reductiones, moderationes, et commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas et inanes decernit.* Facultas autem, ut clarè explicat idem Decretum (quidquid dicant *Salm. tr. 15. de statu rel. c. 7. p. 5. §. 8. n. 148.*) data per Tridentinum *sess. 25. c. 4.* Episcopis, et aliis, tantum fuit pro reducendis missis ante concilium relictis, et non impositis in limine foundationis. E converso in ipsomet decreto *Urbani* (apud *Croix n. 89.*) declaratum fuit bene posse Episcopos reducere missas, si testator expressè hanc ipsis dederit facultatem.

Causæ autem, ex quibus Sedes apostolica solet missas reducere, sunt paucitas sacerdotum, stipendii tenuitas, vel augmentum stipendii currentis, extenuatio reddituum monasterii, vel majores expensæ necessariæ ad victum, etc.; de-

nique si urgeret necessitas fratrum, vel fabricæ Ecclesiæ, aut monasterii; ita *Pal. p. 15. n. 5. Wigandt tr. 12. n. 80. et Salm. tr. 15. p. 5. §. 8. num. 144. cum Az. Philib. Barbosa, Lez. et aliis.*

Dubatur 1. An Episcopus possit minuere missas, quarum onus non est qui suscipiat ob eleemosynæ tenuitatem? Affirmat *Croix n. 119. cum Pasq. et Tamb.* Sed negandum cum *P. Conc.* ex decreto S. C. mox suprâ citato, ubi declaratur nullo modo posse Episcopos onera missarum reducere, vel moderari; idque expressius declaravit eadem S. C. in alio decreto, quod refert *Conc. loc. cit.* iterum confirmato per aliud decretum editum die 20 Julii 1682. Sed hoc intelligendum procedere, ait *Fagnanus in c. Ex parte, de constit. n. 28. cum Felino*, quando antea hujusmodi onera missarum de jure vel de facto adimpleri poterant, sed casu quo reditus à principio fuerint sufficientes, et postea ita imminuantur, ut nullo modo sufficiant ad onera ferenda, tunc dicit *Fagnanus* non vidèri sublatam Episcopis facultatem, quam habent de jure communi, missas moderandi, vel commutandi ex *c. Nos quidem, de testam.* et ex *Trid. sess. 25. c. 4. et 8.* ubi conceditur Episcopis, ut unâ cum hærede vel executore possint ultimas voluntates in alium pium usum commutare.

Dubatur 2. An possit capellanus ex se minuere numerum missarum, si deficiant reditus? Si deficiant in totum sine ipsius culpa, certum est non tenèri missas celebrare, ut communiter dicunt *Croix lib. 4. n. 855. Tamb. Meth. miss. l. 5. c. 1. §. 2. n. 2. et §. 5. n. 89. Ronc. c. 8. q. 8. cum Pasqual. et Passer. ac Escob. l. 21. n. 657. cum Bordon. et Aversa.* Idque declaratum fuit à S. C. ut diximus *n. 524. in fine.* Si verò reditus deficiant in parte, etiam videtur certum cum *Escob. n. 658.* posse capellanum minuere missas, casu quo testator congruam eleemosynam designaverit, v. gr. tarenum pro quolibet missa; quia tunc, sicut augendus esset numerus missarum si reditus auferentur, ita minuendus est si reditus diminuuntur. Major difficultas est, an possit capellanus minuere missas, si testator designaverit numerum missarum et deficit stipendium adhuc ordinarium? Negant *Tamb. l. c. n. 1. et 2. Dian. p. 10. tr. 16. r. 63. Mazzot. t. 2. p. 427. n. 5. Pal. t. 2. tr. 5. d. 1. p. 6. n. 25. et Salm. de statu rel. c. 7. p. 5. §. 9. n. 132. cum Azor, Gav. Philib. Pell. et Lezana.* Hi dicunt pro hac mode-

ratione omninò recurrendum ad Sedem apostolicam, tùm ex decreto suprâ allato, ubi dictum fuit: *Pro his omnibus reducendis, aut moderandis ad apostolicam Sedem recurratur;* tùm ex alio decreto (*vide ap. Croix n. 89.*) ubi ad quæsitum: *Quid si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi injunctum subire, et si recurrendum sit ad Sedem apostolicam pro moderatione oneris, totum aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?* sic declaratum fuit: *Etsi legatum sit adeò tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut suprâ impositi, ab iis ad quos pertinet, Sedem apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet.* His tamen non obstantibus, affirmant cum *Busemb. ut suprâ, Franc. de Lugo l. 5. de sacram. c. 12. q. 9. n. 98. Escob. l. c. item Bordon. ap. Croix n. 118. et Pasq. ac alii ap. Ronc. loc. cit. qui in Reg. 5. in praxi*, id probabile putat. Ratio horum est, quia id censetur esse juxta mentem ipsius testatoris, qui non presumitur voluisse gratis, aut stipe minori justo cogere capellanum ad celebrandum, vel ad supplendum stipendium ex propriis bonis, si vellet per alium celebrare, alioquin voluntas testatoris esset injusta, quæ servari non debet. At qui in hoc faciliè interveniri posset periculum hallucinationis, advertit *Ronc.*, generaliter loquendo, recurrendum esse ad judicium Episcopi (quod necessariò requirunt *Croix l. 4. n. 855. et Cont. Tourn. cap. 9. art. 2. sect. 4. v. Quær. 15.*) vel saltem viri docti et pii, qui non auctoritative, sed tanquam justus arbiter numerum missarum moderetur. Ad decreta autem præfata respondet *Ronc. cum Pasq.* in tali casu hanc non esse propriè reductionem; aut moderationem stabilem, quam Sedes apostolica sibi reservat, sed esse cessationem de jure obligationis pro rata reddituum deficientium; decreta enim loquuntur juxta mentem *Trident. sess. 25. c. 4. de Ref.* ubi sermo est non jam de redditibus diminutis, sed de tenui eleemosyna ab initio designata pro missis, quas non faciliè reperitur qui velit celebrare, et de illis, re integrâ, ob tenuitatem stipendii, vel paucitatem sacerdotum fieri vellet reductio. An autem hæc opinio sit probabilis, judicio sapientiorum remitto. Cæterum, si stare hæc sententia, omninò servandum esset id quod advertit *Tamb. dict. c. 1. §. 5. num. 96.*, nempe, quòd si capellanus per annos præteritos acceperit stipendium majus solito, te-

netur compensare, eundem numerum missarum celebrando, qui enim antè stetit commodo, deinde stare debet incommodo.

Dubitatur 5. An Episcopus possit moderari officia, preces, et eleemosynas anniversariis annexas? Negat *Tamb. apud Croix n. 121.* Sed affirmat *Pasqual. ibid.*, quia prohibitio non loquitur de his, sed tantum de missarum reductione; uti etiam nec de illis missis, ad quas aliquis sacerdos se obligasset sine congruo stipendio; id enim esset in præjudicium Ecclesiæ, et successorum. Sed hoc ultimum nullo modo admittendum, quia esset contra decreta relata suprâ in *dub. 1.*

552. — « 11. Qui ratione beneficii tenetur quotidie celebrare, tenetur etiam missas pro fundatore (nisi de hujus intentione contraria constet) applicare. *Bon. et alii, Dian. p. 6. t. 6. r. 15.* qui tamen concedit posse eum pro seipso quater, aut sexies in anno » (*Vel pro valde sibi conjuncto, aut charissimo amico, aut benefactore; sic enim præsumitur consensisse fundator, ut Salm. de Sacrif. miss. c. 5. p. 2. n. 56. cum Lezan. Dian. Steph. Homob. Nald. Philib. etc. passim. Modò non accipiatur stipendium, ut rectè advertunt Holz. n. 551. et Elbel n. 215. cum Pasq. et Gob. ac Salm. tr. 5. c. 5. p. 2. n. 58. cum Bonac. Gavant. Dian. et communi, contra Vidal, quia hoc esset contra mentem fundatoris.*) « et in die commemorationis omnium defunctorum pro particulari defuncto celebrare » (*Vide infra n. 558.*) « Item quavis hebdomadâ unam missam omittere devotionis, et reverentiæ causâ, idque ex præsumpta intentione fundatoris: quod *Tamb. l. 5. exped. sacr. c. 5. §. 1. ex Gav. p. 5. t. 12.* limitat, nisi de contraria fundatoris voluntate constet, vel sit onus Ecclesiæ, aut monasterii; curare missam quotidianam. *Vide Tamb. l. c. Dian. p. 2. t. 14. r. 28. et p. 4. t. 4. r. 86. et p. 5. t. 5. r. 25. et t. 15. r. 51.* Id ipsum limitat *Card. de Lugo r. mor. lib. 5. d. 9.* si obligatio dirigatur ad ipsum sacerdotem, v. gr. si dicatur (qui debet quotidie celebrare), quo casu concedit. » (*Ita etiam Salm. ibid. n. 57. communiter cum Suar. Bon. Azor. Leand. Sylv. ex c. Significatum, de Præbend. ubi dicitur capellanum teneri quotidie celebrare, salvâ honestate, et debitâ devotione. Advertit tamen Bonac. cap. 8. q. 5. quòd nullo die capellanus poterit vacare, si in fundatione expressè cautum sit, ut missa*

Cap. 5. De Euchar. ut est sacrificium. Dub. 1. 171
celebretur per seipsum vel per alium, ex declarat. S. C. die 50. Maji 1699.) « Si verò dirigatur ad celebrationem in tali loco, v. g. volo, ut in tali Ecclesia celebretur quotidie missa, tenèri eum pro se alium substituere eo die, quo ipse non celebret. » (*Ita Salm. n. cit. cum aliis communiter.*)
 « 12. Qui non potest foundationi satisfacere propter morbum, non tenetur, si brevis sit v. g. 15 dierum, ut docet *Bonac.*, aut etiam unius, alteriusve mensis, (ut probabiliter docet *Card. de Lugo. n. 49.*) substituere alium, aut compensare, cum tam strictè ne domini quidem honesti cum famulis agant; secus tamen, si sit diuturnus morbus; nisi reditus sint nimis tenues, aut in morbum absumantur, ut contra *Sylv. et Azor* docent *Bonac. Rodriq.* Impe-ditus verò aliis negotiis, licèt sit v. g. hæc non debeant obesse fundatori, debet satisfacere per alium, vel compensare postea, præsertim si fiat sæpius. *Ita Bon. d. 4. q. ult. p. 7.*

555. — Quæritur an capellanus ægrotus teneatur interim alteri dare stipendium, ut missas celebret? Commune est (contra *Henriq.*) non tenèri, si infirmitas sit brevis, ut eum *Busemb.* hic tenent *Lugo d. 21. nu. 48. Salm. tr. 5. c. 5. p. 2. n. 54. cum Dic. Dian. Lez. etc.* nisi fundator voluerit non deficere missam in tali loco, etc. Quænam autem sit infirmitas brevis? Alii dicunt, si durat per decem dies, ut *Barbos. Moltes. Graff. etc.* Alii extendunt ad 15 dies, ut *Bon. et Dian. item Elbel p. 151. n. 214. cum Anacl.* Et de hoc habetur declaratio S. C. conc. edita die 17. Nov. 1695. (*ap. Pitton. de paroch. n. 1595.*) ubi dictum fuit non tenèri capellanum per alium supplere, tempore infirmitatis non excedentis 15 dies. Alii ad mensem, ut *Laym. c. 5. n. 7. et Salm. ibid. n. 55. cum Hurtad. et Concil. Mediol. 7. tit. de Missis*, ubi: *Si capellanus saltem per annum celebravit in aliquo loco, si etiam per mensem ægrotet, adhuc integram eleemosynam judicio Episcopi accipere potest.* Alii denique extendunt ad duos menses, ut *Lugo n. 49. cum Nav. item Philib. Dic. Nald. Leand. et Ant. à Sp. S. ap. Salm. l. c. circa fin. et adhæret Conc. p. 471. n. 51.* ac probabile putant *Busemb.* ut suprâ, ac *Dicast. Pal. Nav. etc. apud Salm. ibid. in fin.* Omnes autem hæc opiniones videntur esse probabiles.

Nota hic obiter id quod advertit *Bened. XIV. de Sacr.*

miss. l. 5. c. 25. num. 2. prohibuisse S. C. triginta missas Gregorianas, utpote rebus non convenientibus refertas. An autem liceat accipere stipendium pro prima missa, quam neopresbyter celebrat cum Episcopo? Vide dicenda num. 829. v. An autem.

DUBIUM II.

Cujus sit applicare fructum sacrificii?

- 534 A quo applicandus sit fructus missæ? An religiosus validè missam applicet contra voluntatem prælati?
- 535 Applicatio debet fieri ante celebrationem. Qu. I. An sufficiat applicatio habitualis? Qu. II. An si quis accepit stipendia à diversis, sufficiat applicare missas pro eis in confuso?
- 536 Quid si applicatio nulli fiat, vel incapaci?
- 537 An valeat applicatio conditionata? Et an applicatio facta pro primo offerente, sit illicita, et invalida?
- 538 An in die animarum possit applicari missa pro particularibus ex stipendio?
- 539 De altari privilegiato. Qu. 1. An ad tales indulgentias lucrandas requiratur missa de Requiem? Qu. 2. Quomodo intelligenda est clausula: Modò in Ecclesia quotidie dicantur septem missæ? Qu. 3. Quomodo clausula: Modò in Ecclesia non sit aliud altare privilegiatum?

554. — « **R**ESP. Solus sacerdos offerens validè id facit per suam intentionem, quia est actus potestatis sacerdotalis. Ita commun. Suar. Card. de Lugo d. 14. s. 10. n. 211. etc.

Unde resolves:

« 1. Is validè applicat, etsi peccet sacrificando, vel applicando contra voluntatem superiorum. Ita Suar. Laym. Dian. Card. de Lugo, loc. cit. contra Navar. Ledes., et alios, quorum sententiam probabilem dicit Diana t. 14. r. 72.

Quæritur an religiosus validè applicet missam contra voluntatem prælati?

Prima sententia negat, quam tenent Scotus Quodl. 20. Gav. in Rubr. Miss. p. 5. tit. 12. n. 28. item Gabr. Arm. et alii apud Cont. Tourn. de sacrif. cap. 9. art. 2. sect. 9. in fin. v. Grave hic, ac Cordub. et Led. ap. Dian. p. 2. tr. 14. r. 72. qui probabilem putat. Ratio, quia voluntas religiosi

subditur voluntati superioris; unde, sicut superior potest irritare contractus, et vota subditi, ita etiam applicationes missarum.

Secunda sententia verò communior et probabilior dicit talem applicationem subditi esse quidem illicitam, sed non invalidam, et hanc tenent cum Busemb. Suar. d. 79. s. 9. v. Sed circa, Laym. c. 2. num. 11. Lugo de Euchar. d. 19. n. 211. qui ait oppositam rejici ferè ab omnibus recentioribus, Salm. de Sacrif. missæ c. 5. p. 5. n. 25. Anacl. p. 576. num. 72. Spor. n. 289. Cont. Tourn. l. c. cum Vasq. et Elbel p. 119. n. 180. cum Mastriò, Croix et Gob. Ratio, quia subditus, uti utitur potestate ordinis (ut est in hoc casu), minimè subjicitur voluntati prælati. Limitat Marchantius in Tribut. qu. 2. d. 2. Si sacerdos applicationem faceret ex vi pacti in initio cum offerente, quia sicut pactum sine voluntate prælati est nullum, ita et applicatio. Hoc tamen sanè intelligendum, quando subditus ita alligaret applicationem pacto, ut absolute intenderet non applicare, si non satisfaceret obligationi contractæ (quod bene ait Sporer n. 290. in facto raro accidere); quando tamen absolute applicat, non restringendo intentionem ad satisfactionem pacti; tunc validè applicat ex potestate generali, quam ipse habet applicandi sacrificium, cui vult, etiamsi errore ductus missam applicaret pro obligatione contracta.

555. — « 2. Sacrificium, quod neque formaliter, neque virtualiter ulli applicatum est, vel ante, vel in ipsa consecratione, saltem secundæ speciei, non potest postea ulli applicari, saltem adæquatè, quia producit effectum, quando existit, neque is suspenditur; ideòque nec licet accipere stipendium pro missa præterita. Vide Laym. l. 5. t. 5. c. 2. « Dixi, vel ante; quia non requiritur, ut applicatio fiat in ipso sacrificio: sufficitque, si pridie facta sit, etsi ipso die de ea non cogitet. Bon. qu. 5. p. 2. ex Suar. Dian. l. c. r. 47. contra Vasq.

Quæritur I. An ad applicandam missam sufficiat applicatio habitualis, nempe aliquando habita, et non revocata? Negant Vasq. de sacram. d. 58. c. 6. n. 74. et Abelly de sacr. miss. §. 5. n. 5. cum Isamb. dicentes, quòd sicut ad consecrandum requiritur ministri intentio actualis, vel saltem virtualis sic etiam requiritur ad fructum missæ applicandum. Sed ve

rius, et communiter affirmant *Suar. 5. p. d. 15. sect. 5. v. Dico 2. Bon. de Sacr. d. 1. q. 3. p. 2. §. 5. n. 11. Lugo eod. tit. d. 8. n. 95. cum Molf. et Dian. item Cont. Tourn. ibid. v. Quer. 6. R. ad 2. Holzm. p. 5. num. 22. v. Dices, Elbel p. 118. num. 174. Mazz. de sac. miss. t. 5. p. 168. Sporer eod. tit. num. 540. cum Gob. qui testatur hanc esse omnium praxim, et Croix l. 6. p. 2. num. 205. cum Con. Tamb. et Pasq. Et ab hac doctrina in substantia non est difformis *P. Conc. t. 8. p. 475. n. 56.*; nam, licet requirat intentionem virtualem, tamen virtualis illa (modo quo ipse explicat) coincidit cum nostra habituali; dum inquit, quod si quis acceperit 20 eleemosynas, et hodie celebrationem incipit cum voluntate sequentibus diebus celebrandi pro offerente, tunc sufficere primam intentionem; etiamsi cæteris singulis diebus aliò distractus illam non renovet. Ratio nostra est, quia applicatio missæ se habet per modum donationis verbalis, quæ semel facta valet donec expressè revocetur. Respondetur autem ad rationem oppositam, quod in sacramentis ideò requiritur intentio actualis vel virtualis, quia intentio efficit sacramentum, seu actualiter influit in ejus consecrationem; sed in applicatione missæ intentio non efficit fructum illius, dum adhuc sine applicatione de se oritur fructus ex celebratione missæ, et ideò sufficit applicatio aliquando facta, per quam fructus fuit alicui donatus.*

Queritur II. An si quis accipit stipendium à decem personis pro decem missis, satisfaciatur applicando primas decem missas quas legit pro ipsis in confuso? Negat *Sylvius apud Bon. d. 4. p. 7. §. 3. n. 1. et Conc. t. 8. p. 474. n. 58.* Sed melius videtur sic distinguendum: Si singula sacrificia applicantur pro singulis indeterminatè, non videtur satisfieri, quidquid dicant *Aversa, et Diana apud Croix l. 6. p. 2. n. 209.* Ratio, quod ad satisfactionem requiritur intentio applicandi fructum determinatæ personæ, ut illi prosit; unde sicut non consecraret, qui decies proferret formam consecrationis super decem hostias, cum intentione consecrandi unaquaque formâ unam hostiam ex eis in confuso; ita qui applicat decem missas indeterminatè. Si verò sacerdos unamquamque missam intenderet applicare omnibus illis decem personis, singulis applicando decimam partem uniuscujusque missæ, non videtur ratio cur non satisfaciatur, cum

nemo dubitet, quin fructus sacrificii sit divisibilis, et ideò tribuitur unicuique quod debetur; unusquisque enim in singulis missis, decimam partem accipiendo, in celebratione decimæ missæ jam totum suum fructum percipit. Et ita tenent *Bon. l. c. Ronc. c. 6. q. 9. r. 2. Tamb. de miss. l. 2. c. 2. §. 11. n. 4. item Aversa, Henno, et alii apud Croix l. 6. p. 2. n. 210. contra Pasqual. et Possev.*

356. — « 5. Si nulli applicetur, vel incapaci, fructus » manet in thesauro Ecclesiæ, ut docet *Suarez*, vel cedit » ipsi sacerdoti, vel illis, pro quibus tenetur specialiter » offerre, quod ita implicite censeatur intendisse. Ita *Laym. t. 5. c. 2. Vide Card. de Lugo n. 215.*

Si fructus sacrificii applicatur incapaci, tunc ille remanet in thesauro Ecclesiæ. In praxi autem quando dubitatur, an is pro quo offerimus sit vel ne capax fructus, consultum est in missis gratuitis illas applicare vel nobis ipsis, vel alteri sub conditione, si persona cui applicantur non sit capax; in missis verò debitis ex stipendio, quia probabiliter fructus cedit in beneficium propinquorum offerentis ex ejus implicita voluntate, ideò tunc non possumus, cui velimus fructum applicare, nisi sub conditione, ut præjudicium non fiat cui obligatio adsit applicandi; ita *Elbel n. 194. et Sporer n. 284. cum Marchant.*

357. — « 4. Applicatio, sub conditione jam impleta, est » valida, v. g. ad intentionem quam habuit hodie superior, » non autem sub conditione futura contingente, v. g. ap- » plico illi, cui Titius interrogatus voluerit; vel ei, qui » prius morietur; vel qui primò stipendium offeret: ita » *Suar. in 5. part. t. 5. d. 79. s. 9. Laym. l. c. Dian. l. c. r. 15. Card. de Lugo d. 19. num. 209. contra Bon. q. ult. p. 7. §. 5.* qui tamen ipse in praxi dissuadet.

• 5. Non satisfecit, qui te mortuum putans, missas, quas » pro defuncto teneretur, celebravit.

« 6. Sacerdotes Societatis non satisfaciunt, celebrando pro » defunctis per anticipationem, nisi tamen jam mortui sint, » etsi postea promulgentur. *Laym. l. c.*

Dieunt *Lugo de pæn. d. 15. n. 157. et Pal. p. 6.* applicationem missæ factam pro primo offerente esse validam, sed illicitam ex prohibitione *Clementis VIII.* quam promulgavit *Paulus V.* die 15. Nov. 1605. vetans hanc consuetudi-

nem, tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis obnoxiam, atque à vetusto Ecclesiae more nimium aberrantem. At probabilius (ut rectè ait *Croix* n. 222.) talis applicatio non solum erit illicita, sed sæpe invalida, quia sæpe accidit quòd missa tunc dicatur pro causa, quæ adhuc non existit, putà si stipendium offerens postulabit missam pro liberatione à carcere, ab infirmitate, etc.. quæ causa, cum nunc non adsit, effectus missæ suspensus remanère deberet, quod non videtur credibile. Benè tamen advertit *Cont. Tourn. de sacrif. cap. 9. art. 2. sect. 4. v. Quær. 8. Si tamen, cum Vasq. Aversa, et Quarti*, quòd si sacerdos prævideat, quòd postulabuntur missæ pro aliquo defuncto, benè potest eas nunc offerre, et deinde stipendium percipere, quia hoc casu jam offerentur pro persona determinata.

538. — « 7. Non omnes sacerdotes tenentur die animarum applicare missam pro omnibus defunctis. *Tamb. l. 5. exp. sacr. c. 5. §. 2. contra praxim, et Gav. p. 4. t. 15.* » (*De hoc adest Decretum S. C. apud Merati indicis n. 411. editum die 4. Aug. 1665. ubi dictum fuit: In die Commemorationis omnium fidelium defunctorum sacrificia possunt à sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scil. vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum. Hoc Decreto posito, benè ait Cont. Tourn. loc. cit. v. Quær. 11. nihil obesse, quin pro talibus missis accipi possit stipendium.*)

559. — « 8. Missa celebrata in altari privilegiato pro defunctis non suffragatur illis, nec satisfit indulto, nisi sit de requiem. *Dian. p. 4. t. 4. r. 255. ex declarat. Card. et p. 9. t. 2. r. 8.* »

Hoc privilegium altaris in hoc consistit, ut ex indulgentiis, sive fructibus, qui sunt in thesauro Ecclesiae, liberetur à purgatorio anima pro qua missa in illo altari applicatur; et hoc vi potestatis clavium, quam habet Papa applicandi indulgentias, vivis quidem per modum absolutionis, defunctis verò per modum suffragii sive solutionis.

Quæres 1. An ad lucrandam indulgentiam altaris privilegiati semper requiratur, ut celebretur missa de requiem? Resp. negativè; nam licèt olim anno 1601. die 1. Junii respondisset S. C. affirmativè, ut fert *Dian. p. 4. tr. 4. r. 255.*, attamen *Alexander VII.* die 22 Januar. an. 1667. in decreto incipiente *Credite nobis*, declaravit quòd in iis diebus,

quibus non licent missæ de requiem, missæ de festo corrente easdem habent indulgentias, quas habent missæ de requiem: idque extendit ad altaria privilegiata etiam non perpetua, et pro aliquo die in hebdomada. Deinde *Innocentius XI.* die 4 Maji anno 1688. declaravit id valère etiam in diebus dominicis, et diebus infra octavas Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, et aliis annuis diebus, quibus missæ de requiem non possunt celebrari. Demùm hæc omnia decreta confirmavit *Clemens XI.* die 29 Sept. an. 1714. (*Vide Decreta præfata apud Merati*). Ex his omnibus colligitur, quòd missæ in altari privilegiato, aut perpetuò, aut ad tempus concessio, suffragantur defunctis, sive dicantur de requiem, sive de die currenti, quando non licet eas de requiem dicere. Si verò eurrat festum semiduplex, omninò debet dici de requiem in altari privilegiato; aliàs non acquiritur indulgentia, etiamsi in Ecclesia solemnitas celebretur, ex declaratione S. C. quam refert *P. Zaccharia apud Croix l. 6. p. 2. ad n. 509.* cum autem privilegium conceditur ad tempus, declaravit S. C. (in decreto, quod affert *Croix l. 6. p. 2. n. 525.*) quòd tempus incipit non à die publicationis brevis, sed à die concessionis (1).

Quæres 2. Quid si in Ecclesia, ubi concessum est altare privilegiatum per aliquod tempus, non dicantur septem vel quinque missæ juxta clausulam, quæ in indultis apponi solet? *Sylvius apud Croix n. 522.*, putat privilegium etiam suffragari, si bis vel ter missæ non legantur. Sed veriùs oppositum docet *Benedictus XIV. Notif. 56. n. 16.* ex decreto S. C. concilii, edito die 11. Sept. 1694. et approbato ab *Innoc. XI.* qui id mandavit publicari; ibi dictum fuit, *celebrationem missarum indultis præfatis præfinitarum omninò necessariam esse singulis diebus in eadem Ecclesia.* Declaravit tamen eadem S. C. die 50. Julii 1706. alio decreto

(1) Nunc jam contrariam Sacra Congregatio Indulgentiarum die 11 aprilis 1840 statuit doctrinam. En quæ inter alia ad sequentia dubia respondit:

Utrum qui privilegium habet personale pro quatuor missis in hebdomadis singulis debeat cum paramentis nigro colore celebrare diebus non impeditis, ut possit indulgentiam plenariam pro animabus defunctorum lucrari? *xy. Negativè.*

Utrum qui celebrat in altari privilegiato pro singulis diebus debeat semper uti paramentis nigris, diebus non impeditis, ut indulgentiam privilegii consequatur? *xy. Negativè.*

(inserto in Bullario Clementis XI.) quòd pro tempore, quo religiosi vel sacerdotes sæculares per aliquot dies vel menses propter absentiam non celebrant missas præfinitas, indulgentiæ ante amittuntur, sed pro illo tunc suspenduntur. Insuper declaravit, quòd si missæ non legantur ob sacerdotum infirmitatem, vel quia religiosi occasione festivitatis, vel funerum, alibi celebrare debeant ex jussu prælati, si rarò id fiat, indulgentiæ etiam suffragantur. Vide prædicta decreta apud Bened. XIV. loc. cit. n. 17. et apud Spor. t. 5. p. 258., qui illa in extensum affert.

Quæres 5. quomodò intelligenda clausula, si in Ecclesia aliud altare privilegiatum non est erectum? Probabiliter respondent Sporer p. 258. n. 155. et Gobat. n. 519. intelligendam esse, quòd si altare privilegiatum antea concessum fuerit generatim pro quibuscumque defunctis, idque in secunda petitione non sit expressum, posterior concessio, etiam generatim facta, nihil valet; secus verò, si concessio fiat pro aliquibus particularibus personis. Et sic pariter videtur dicendum, si prima concessio fuerit particularis, et secunda generalis.

Notandum hic 1. privilegium altaris privilegiati non esse communicabile per generalem communicationem privilegiorum, ex decreto S. C. Indulgentiarum dato, die 5 Febr. an. 1748. et approbato à Bened. XIV. die 2 Martii ejusdem anni; ita refert P. Ferrarius Bibl. v. Indulgentia in Append. n. 15. Notandum 2. quòd Clemens XIII. prævio voto ejusdem S. C. die 19 Maji 1719. indulsit omnibus Ecclesiis parochialibus altare privilegiatum quotidianum ad septennium; quo expleto, præcepit omnibus Episcopis, abbatibus, vicariisque capitularibus, pro suis paræciis confirmationem ejusdem privilegii ad septennium petere. Vide Ferrar. Bibl.

DUBIUM III.

Quando, et quoties liceat celebrare.

- 540 An possit dici missa ante auroram, vel post meridiem?
 541 A quo tempore incipiat aurora? An tempus tam auroræ, quàm meridiei moraliter accipiendum?
 542 Quid de privilegiis regularium?
 543 Casus in quibus licet celebrare ante auroram, vel post meridiem. An in nocte Nativitatis omnes tres missæ dici possint ante auroram?

- 544 An liceat anticipare missam vel postponere ob festivitatem, vel causâ itineris, vel ex dispensatione Episcopi?
 545 An peccet graviter, qui celebrat ante auroram, vel post meridiem?
 546 Quænam in hoc sit parvitas materiæ?
 547 Quale peccatum sit celebrare ante Matutinum?
 548 Quid si esset missa conventualis, et solemnis?
 549 An liceat celebrare (et ministrare communionem) in quolibet anni die?
 550 An in die Cæna Domini, et Sabbati sancti liceat privatim celebrare?
 551 An et quando liceat celebrare pluries in die?
 552 An aliquando liceat interrompere missam, vel de novo incipere?
 553 An si superveniat princeps, vel turba peregrinorum? vel si sacerdos recordetur alicujus impimenti?
 554 An si urgeat necessitas propria vel aliena?
 555 Quomodo missa interrupta, supplenda sit ab alio sacerdote?

540. — **R**esp. 1. Ordinariè non licet celebrare post meridiem, sed debet inchoari ante duodecimam, nec ante auroram quàm ante solis ortum *Regin.* quadrantem horæ, *Henrig.*, et *Coninc.* mediam horam, *Az.* horam cum quadrante, *Suar.* et *Fernand.* et *Possev.*, sesquihoram comprehendere dicunt, et consequenter, cum, secundum *Henrig.* *Suarez*, et alios, missa possit inchoari tantò ante auroram, ut sub ejus initium finiatur, licèt duabus horis ante solis ortum inciperet. Ita *Rodríguez*, et alii. Unde ulterius inferunt quidam cum *Suar.*, Religiosis habentibus privilegium celebrandi horâ ante diem, licère tribus horis ante ortum solis incipere: quod *Card. de Lugo d. 20. sect. 1. n. 52.* non improbat, etsi *Laym.* tantum permittat horis duabus post mediam noctem. *Card. de Lugo l. c.* Quâcumque autem horâ licitè (sive ex, sive sine privilegio) celebrent, eadem etiam atque adeò in missa, quæ nocte Nativitatis, cæterisque, quæ post illam celebrantur licère iis Eucharistiam aliis ministrare, contra *Bordon.* docet *Diana p. 9. t. 7. r. 45.* (Sed hoc velutum nunc est. Vide hac de re hoc lib. 6. n. 252. v. Sic etiam).

541. — In Rubrica Missalis n. 15. habetur: *Missa privata, saltem post Matutinum et Laudes, quâcumque horâ ab aurora usque ad meridiem dici potest.* Non licet igitur celebrare ante

auroram, quæ non jam intelligitur ortus solis, sed tempus illud quod est medium inter noctem et diem. Hinc dicunt *Salm. tr. 5. c. 4. p. 1. n. 55.*, licitum esse inchoare missam ferè per duas horas ante ortum solis: sed meliùs ajunt *Croix l. 6. p. 2. n. 226. Cont. Tourn. cap. 9. art. 2. sect. 5. v. Quær. 1. et Bened. XIV. Notif. 12. n. 12.*, auroram computandam esse ex temporum varietate. juxta tabellas, quæ directoris officii divini apponi solent. Ideirò asserunt *Croix et Cont. Tourn.* in mense Junii auroram incipere ferè duabus horis cum quadrante ante ortum solis: mensibus Februarii, et Septembris horâ cum dimidia: in mense Martii horâ cum quadrante: in reliquis verò mensibus horâ, et tribus quadrantibus circiter.

Omnes autem conveniunt cum *Lugo d. 20. num. 57. Cont. Tourn. l. c. v. Quær. 2. et 5. Wigandt tract. 15. n. 52. Bonac. p. 9. n. 2. et Salm. tr. 5. c. 4. p. 1. n. 55. et 42.* qui citant *Suar. Navar. Sa, Henr. et alios*, quòd nulla sit culpa missas terminare in aurora, et eas incipere parum ante meridiem; ratio, quia tempus tam auroræ, quàm meridici (de qua infra dicemus *n. 545.*), non mathematicè, sed moraliter accipiendum. Et quamvis olim (ut fert *Bened. XIV. Notif. 12. n. 5. et 4.*) *Clemens XI.* secus præceperit in quodam suo edicto, ubi sic dixit: *Comandiamo che le Messe non possano incominciarsi prima dell' aurora, è che à mezzo giorno debbano essere del tutto terminate* (1), nihilominùs postea, cum hoc punctum rursùs examini mandatum fuisset; *Bened. XIII.* annuit posse tolerari latitudinem tertiæ partis horæ tum ante auroram, tum post meridiem: idque per edictum publicatum fuit sub *Clem. XII.* (apud *Bened. l. c.*)

542. — Circa autem religiosos, affert *Lugo d. 20. n. 27.*, plura privilegia, quibus regularibus conceditur celebrare duabus horis post mediam noctem: item *Salm. ibid. n. 52.* afferunt privilegium *Eugenii IV.* celebrandi tertiâ horâ post meridiem ex justa causa. An autem hujusmodi privilegia fuerint revocata per Tridentinum? Affirmat *Fagundez cum aliis apud Lugo n. 29.* quia in præfato concilio *sess. 22. Decr. de vitand. in celebr. missæ*, sic præcipitur: *Ordinariis*

(1) *Id est*: Prohibemus ne missæ incipiantur ante auroram præcipimusque ut ante meridiem integrè sint absolutæ.

caveant, ne sacerdotes aliis, quàm debitis horis celebrent... non obstantibus privilegiis quibuscumque. At negant *Wigandt t. 15. n. 5. Lugo ibid. cum Rodriq. Salas, Diana, et aliis pluribus*, et id probabile putat *Roncaglia c. 5. q. 8. cum Tamb.* Ratio, quia Tridentinum ibi tantum imponit Episcopis, ut prædicta curent observari; ergò ubi Episcopi non repugnant, non est cur regulares suis privilegiis frui nequeant. Sed hoc non obstante, oppositum omninò tenendum ex decreto *Clementis XI.* edito 15 Decemb. 1705. (in extensum relato apud *Croix n. 258.*) ubi Pontifex declarat privilegia regularibus concessa circa missarum celebrationem omninò revocata esse per concil. Trid. in dict. decreto *sess. 22. cap. unic.* Et quamvis *Clemens* ibi tantum loquatur de privilegio altaris portatilis, tamen hæc declaratione proculdubio ostendit pariter revocatum esse privilegium celebrandi extra debitas horas, quas concilium expressè servari jubet ab omnibus sacerdotibus; non obstantibus (ut suprâ) privilegiis quibuscumque.

545. — « Dixi, ordinariè, quia antevertere licet sequentibus casibus, in quibus etiam paulò post meridiem, v. g. uno, vel altero quadrante, inchoari potest, ut etiam secundum *Sot. et Pal.* ex quavis rationabili causa, v. g. ob supplicationem, vel concionem publicam protractam ultra meridiem, ob funus Principis, vel quia sacerdos die festo propter iter fuit impeditus, quo casu etiam integrâ horâ post licère inchoare dicitur. Vide *Laym. l. c. Fer. hùc c. 5.*
« 1. In necessitate, v. g. ut morituro detur Viaticum, quo casu licère mediâ nocte celebrare, ait *Diana p. 1. t. 14. r. 55. ex Laym. etc. (cum Lugo disp. 20. n. 25. et Salm. tr. 5. c. 4. p. 1. n. 27. cum Vasq. Pal. Dic. Hurt. etc. communiter).*

« 2. Ubi est mos rationabilis, ut opifices, et famuli summo manè possint audire sacrum. *Laym. l. 5. t. 5. c. 4. n. 5. ex Nav. etc. (Vide Dian. p. 2. t. 14. r. 54.)* non tamen ideirò post meridiem licebit.

« 3. Ex privilegio, de quo suprâ.

« 4. In nocte Nativitatis, in qua omnes tres missas ante auroram dici posse, probabiliter docent *Suarez, Con. Laym. Dian. p. 4. t. 4. r. 256. contra Sylv. Fern. et alios* » (*Lugo n. 25. Salm. ibid. n. 26. cum Fagund., et Nugno.*)

Quæres. an liceat in nocte Nativitatis Domini legere omnes
Tom. VI.

tres missas ante auroram? Affirmant *Suarez d. 80. sect. 4. v. Tertio, Lugo d. 20. n. 25. Salm. tr. 5. c. 4. p. 1. n. 10. et 26. Dian. p. 1. tr. 14. r. 55. cum Vasq. Laym. Con. Molf. etc.* Quia (ut dicunt) in *c. Nocte sancta de Consecr. dist. 1.* absolute conceditur, quòd in nocte Nativitatis missas celebrent presbyteri. Sed verius id negandum cum *Holz. p. 85. n. 572. Conc. p. 488. n. 4. Elbel p. 156. n. 250.* Ratio, quia hoc esset contra expressam Rubricam Missalis, ubi notatur: *Prima missa dicitur in nocte; secunda in aurora; tertia in die.* Et hodie adest decretum S. C. Rituum, editum die 18 Dec. 1702. (apud *Holz. et Elbel*) ubi dicitur: *Non licet in media nocte Nativitatis Domini celebrare successivè alias duas (missas), et communionem sacram exhibere.* Si autem quis unam missam celebrare vellet in tali die, nulla apparet ratio, ut rectè ait *P. Concina*, cur primam potiùs, quàm alias celebrare debeat.

544. — Adde 5. posse celebrari missam privatam post solemnem in festivitate, si solemnitas protrahatur ad horam et ampliùs post meridiem, ut probabiliter dicunt *Wigandt t. 15. n. 52. et Salm. ibid. n. 55. cum Laym. Pal. Suar. Ronc. Led. Vill. etc.* Imò probabiliter *Suar. Vasq. Fill. Rodr. Possev. et alii ap. Bonac. p. 9. n. 7.* (qui tamen non facilè id concedit sine licentia Episcopi) admittunt etiam post duas horas posse celebrari, ne magna pars populi missà careat. Adde 6. Ex causa itineris per horam post meridiem (vel ante auroram), ut cum *Bus. dicunt communissimè Conc. t. 8. p. 487. n. 2. Wigandt l. c. et Salm. ibid. n. 56. cum Soto, Suar. Pal. Laym. et aliis citatis.* Sic etiam ex causa funeris alicujus magnatis, ut *Busemb. Conc. et Salm. ibid. n. 41. cum Henr. etc.* Ex causa concionis, *Busemb. et Wig.* Ex causa publicæ supplicationis, *Busemb. et Conc.* Item quando Episcopus confert Ordines, *Laym. cap. 4. n. 4. et Salm. ibid. n. 40. cum Soto, S. Anton. Palud. Henr. etc.* Ex his enim causis missa potest anticipari, ut suprà, vel postponi per horam. Adde 7. Si Episcopus dispenset in aliquo casu particulari ex rationabili causa; juxta quam facultatem possunt Episcopi secum etiam dispensare. Ita *Lugo d. 20. n. 27. Wig. l. c. Salm. tr. 5. c. 4. p. 1. n. 28. et 57. cum Nav. Laym. Pal. Conc.* Et rectè dicit *Croix l. 6. p. 2. n. 225.*, eandem facultatem habere omnes superiores, secluso privilegio, erga suos religiosos, cum sint eorum Ordinarii.

545. — « 1. Graviter peccat, qui sine aliqua harum, aut » saltem justa causa citiùs manè, vel seriùs post prandium » celebrat, ubi *Azor* tertiam horæ partem, *Laym.* mediam » horam, *Bon.* tres quadrantem. *Sylvius* horam requirit, ut » differendo peccet mortaliter. *Vide Dian. t. 14. r. 54.* ubi » notat, Religiosos ex suis privilegiis posse celebrare usque » ad tres horas post meridiem, post tertiam verò nullo modo. » *Vide Bon. l. c.*

Quæritur, an sit cuique licitum celebrare missam sub hora nona, scilicet horà tertià post meridiem? Affirmant *Scotus, S. Anton. Palud. Nav. Vivald. Durand. etc. ap. Palaum p. 7. n. 14. et apud Escob. lib. 21. n. 534.* qui cum *Less.* id probabile putat; quia (ut dicunt) sacrificium altaris correspondere debet sacrificio Crucis, quod horà nona fuit consummatum. Nec ob stare ajunt Ecclesiæ contrariam consuetudinem, quia hæc est tantùm introducta ob fragilitatem hominum non valentium tamdiu jejuna; unde non censetur obligationem induxisse, sed potiùs favorem, cui quilibet potest renuntiare. Sed hodie oppositum omninò tenendum, ut docent *Suar. d. 80. sect. 4. Laym. c. 4. n. 5. Bon. p. 9. n. 1. et 7. Palaus l. c.* qui opinionem contrariam meritò improbabilem vocat, et *Salm. ibid. n. 54. cum Vasq. Con. et aliis passim.* Ratio eruitur tùm ex *Trid. sess. 22. in Decreto de observand. in cel. miss. etc.* ubi sic habetur: *Sancta Synodus decernit... ut Ordinarii... edicto, et pœnis propositis caveant, ne sacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent.* Tùm ex universali Ecclesiæ consuetudine, quæ utique nunc servanda est, cum sit præscripta à Rubrica Missalis ut suprà, et insuper expressè approbata à *S. Pio. V.* in sua bulla incipiente, *SS. in Christo Pater*, ut Pontifex prohibet in virtute *S. obedientiæ, ne quis sub pœna perpetuæ suspensionis à divinis præsumat quovis prætextu, etiam licentiarum, in vesperis celebrare.* Ergò celebratio sub vesperis non poterit excusari à culpa gravi, cum talis celebratio præsumptio à Pontifice declaretur, et expressa inobediencia.

546. — Communiter autem DD. in hoc admittunt parvitatem materiæ, quæ excuset à mortali; et cum causa etiam à veniali, nempe si Missa terminetur parùm ante auroram, et incipiatur parùm post meridiem: sed valde discrepant in assignanda tali materia. *Azorius p. 1. lib. 10. c. 25. q. 5.*

assignat pro materia gravi tertiam horæ partem; *Laym. l. 5. t. 5. c. 4. n. 4.* mediam horam; communiùs verò et probabiliiùs censent *Sylvius q. 85. art. 2. q. 4. Pal. p. 7. n. 14. Bon. p. 9. n. 6. Ronc. c. 4. q. 8. r. 1. Viva ap. Conc. p. 487. n. 2.* qui non reprobant, et *Salm. tr. 5. c. 4. p. 1. n. 54. in fin. cum Gab. et aliis* censent non esse materiam gravem, nisi incipiatur missa horâ ante auroram, vel horâ post meridiem. Item valde probabiliter dicunt hic *Suar. d. 80. s. 4. v. Tertio, Bon. n. 7. Merati p. 248. et Fill. tr. 5. c. 4. q. 7. num. 105. cum aliis*, privilegium celebrandi horâ post meridiem, vel ante auroram, intelligi unâ horâ ante vel post tempus ut suprâ à DD. concessum etiam non privilegiatis, alioquin privilegium parùm prodesset.

Circa autem prædictam parvam materiam (id est minus quàm horâ, ut suprâ) in celebrando post meridiem, dixit quidam recentior non sufficere ad excusandum à veniali causam differendi celebrationem usque ad illud tempus, sed insuper requiri justam causam eo tunc celebrandi, putâ si sit dies festus, vel ut alii audiant missam, et similia: alioquin dicebat celebrationem non excusari à culpa veniali. Sed hæc distinctio sive opinatio à nullo auctore tradita est, et videtur omninò insubsistens, ut mihi et aliis doctis visa est, quia eadem causa quæ permittit dilationem, permittit etiam celebrationem eo tunc fieri.

547. — « 2. Non est peccatum celebrare ante dictam Primam, vel etsi ob infirmitatem non possis Horas dicere » (ut docent etiam *Salm. ibid. n. 45. et 44. cum communi*) « vel » etiam ante Matutinum, si causa subsit, sine qua erit veniale, » ut docent *Fill. Laym. et alii*, videturque sententia tuta » contra multos dicentes esse mortale.

Quæritur, quale peccatum sit celebrare missam ante recitationem Matutini? Adsunt tres sententiæ:

Prima dicit esse mortale, et hanc tenent *S. Anton. 5. p. tr. 15. cap. 6. Antoine p. 154. v. Secundum, Juenin. t. 7. p. 595. q. 1. et alii cum Gav. p. 5. tit. 11. num. 5.* quamvis *Merati t. 1. p. 799. n. 7.* dicat *Gav.* postea alibi suam temperasse opinionem. Hanc sententiam AA. præfati probant ex quadam Constitut. *Innocentii IV.* edita 1254. et relata apud *Cont. Tourn. cap. 9. art. 2. sect. 8. v. Quær. 2.* ubi dicitur: *Sacerdotes missas celebrare, priusquam officium matutinale com-*

pleverint, non præsumant. Item ex Rubrica Missalis tit. 1. de *Prepar. sac.* ubi legitur: *Sacerdos celebraturus missam, saltem Matutino cum Laudibus absoluto, etc.* Item tit. 10. de defect. ubi videtur hic numerari inter defectus graviores.

Secunda sententia autem nullam in hoc culpam agnoscit, et hanc tenent *Tamb. de Sacrif. Miss. l. 1. c. 7. §. 2. num. 5. Holzm. t. 1. p. 447. n. 469. cum Gob. et Cherub. item March. et Quarti apud Croix l. 6. p. 2. n. 250.* Ratio istorum, quia nulla apparet lex sub culpa hoc præcipiens: et Rubrica est tantùm de consilio, non de præcepto.

Tertia sententia verò communior et probabilior, quam tenent *Pal. d. unic. part. 10. n. 14. Less. l. c. cap. 57. n. 81. Anacl. p. 200. qu. 6. Conc. t. 2. p. 490. n. 11. Elbel de Sacr. Miss. n. 258. Merati l. c. Cont. Tour. l. c. cum Soto, Sylv. Tol. Nav. Bellarm. Henr. à S. Ign. Croix l. c. cum Val. Sanch. Vasq. Bon. Vict. et aliis, Salm. tr. 5. c. 4. p. 1. n. 45. cum Sylv. Laym. Fill. Barbosa, etc.* Hæc sententia docet contra primam id nequaquam esse mortale, tùm quia nulla adest connexio inter officium et missam, ac ideò recitatio Matutini non videtur necessaria dispositio ad celebrandum, eòs sacerdos aliter orando possit etiam se disponere: tùm quia hujusmodi gravis obligatio neque exprimitur in Rubrica, neque communiter sub gravi est recepta. Docet autem contra secundam sententiam non excusari à culpa veniali, quia in Rubrica id jam inter defectus numeratur; ea enim, quæ inter defectus computantur, non ampliùs possunt esse de consilio, et ideò nequeunt ab aliqua culpa esse immunia. Hanc nostram sententiam amplectitur etiam *N. P. Benedictus XIV.* in suo doctissimo Opere de *Sacrif. Miss. l. 5. c. 15.* Ab hujusmodi autem culpa veniali, ut rectè dicunt *Cont. Tourn. ibid. v. Quær. 5. Croix l. c. et Salm. tr. 5. c. 4. p. 1. n. 46. et 47. in fin.* excusabit quælibet mediocris causa rationabilis, putâ si dans eleemosynam postulet ut statim celebretur, si expectet populus aut aliqua persona gravis, si superior præcipiat, tempus celebrandi transeat, vel instet commoditas studii, itinerris, et similia.

548. — An verò sit mortale canere missam conventualem, et solemnem, antequam Matutinum in choro dicatur? Negat *Sanch. Cons. l. 7. c. 2. d. 59.* Sed *Pal. Disp. un. p. 10. n. 16.*

14. *Bon. p. 9. n. 8. Merati d. p. 799. Bened. XIV. l. c. et Salm. ibid. n. 48. cum Nav. Sot. Sylv. Laym. Garcia, Suar. et aliis communiter et verius affirmant esse mortale, nisi intercedat justa causa (et gravis, et publica, ac sine scandalo, ut addit Suar.). Ratio, quia talis est consuetudo recepta in omnibus Ecclesiis, ubi preces publicæ dicuntur: ita ut, aliter agendo, graviter læderetur publicus Dei cultus, bonum commune, et conveniens regimen Ecclesiæ, præter scandalum populi.*

549. — « Resp. 2. Per se loquendo, quotidie licet celebrare. » Dico, *per se*, quia præcepto obligante sub mortali prohibemur die Veneris sancto » (*Can. Sabbato, de consecr. dist. 5. ubi dicitur, isto biduo penitus non celebrari; et respectu ad hoc biduum certè manet in observantia apud omnes, id est die Veneris, et Sabbati sancti*); « non tamen Eucharistiam sumere, vel aliis præbere, ut habent *Hurt. de Sacrif. d. 4. dif. 5. Quintan. ex Suar. Vasq. Tann. etc.*, licet » suppositis declarationibus *Card. non licere ministrare, nisi » solis infirmis, velit Dian. p. 4. t. 4. r. 257. p. 6. t. 6. r. 19. » et p. 9. t. 9. r. 24. ex Barb. Gav. etc.* » (*Notandum hic Decretum pro communionem quotidiana, approbatum ab Innoc. XI. relatum à Croix l. 6. p. 1. n. 665. in quo dicitur: Curent etiam (Episcopi et Parochi) ut circa communionem in feria vi. Parasceve Missalis Rubricæ, et Romanæ Ecclesiæ usus serventur. Ex quo rectè infert Card. apud Croix ib. n. 495. (quidquid dubitet Leand.) nunc graviter prohiberi communionem etiam privatim in illa die.*) « In Cœna Domini » verò, etsi ex consuetudine, uno celebrante, reliqui communicare debeant; plures tamen ex causa licitè privatim » celebrant, non tamen post finitam missam solemnem, et » sacrarium reconditum, ut vult *Pal. tr. 22. disp. un. p. 7. » n. 2. licet alii id non admittant apud Dian. p. 9. t. 9. r. 24. » Sabbato sancto alii negant licere, ut Vasq. etc.; alii probabilius affirmant, ut Suar. Fag. Dian. Gasp. Hurt. d. 4. » dif. 5. Pal. n. 5. (qui non vult fieri ante inchoatam missam » solemnem), et *C. de Lugo s. 1. n. 18. qui addit, non esse » tunc legendas prophetias, quia non sunt pars missæ: neque » benedictionem cerei, imò nec Litanias, quia est ratio » eadem. Vide l. c. n. 20. et Bon. p. 2. ubi notat, quòd usus » id vix habeat. Vide etiam Dian. p. 4. t. 4. r. 257. ubi**

» cum *Mercero* contra alios permittit eo die ante missam solemnem celebrare de Sancto incidente, vel votivam.

550. — Quæritur, an liceat celebrare privatim in Cœna Domini, et in Sabbato sancto? Affirmant *Viva q. 5. art. 6. n. 1. Mazz. t. 5. p. 192. Dian. p. 6. tr. 6. r. 19. Croix l. 6. p. 2. n. 251. et 254. cum Suar. Nav. Vasq. et Lugo, item Sotus, Henr. Con. Laym. Pal. Barb. etc. ap. Salm. tr. 5. c. 4. p. 1. num. 2. et 7. qui huic opinioni adherent. Ad decreta autem opposita S. C. respondent præfati AA. ea vel non esse ubique publicata, vel non ubique recepta. Eidem sententiæ olim ego adhæsi; sed nunc, cum alia decreta novissimè edita observassem, dico omninò tenendum non licere, ut sentiunt *Holz. p. 79. n. 541. Cont. Tourn. cap. 9. art. 2. sect. 2. concl. 5. Antoine p. 490. q. 4. et Bened. XIV. Notif. 58. nu. 9. Nam de die Sabbati sancti adest decretum S. C. Rituum (apud Monacellum titul. 15. Form. 5. in fine) editum die 11. Martii 1690. ubi sic dictum fuit: Nec licitum est missas celebrare in die Sabbati sancti in quibuscumque Ecclesiis et oratoriis, non obstante quacumque contrariâ consuetudine, prout Papæ approbante suo decreto generali statuit eadem S. C. Quoad diem autem Jovis sanctum, adest aliud decretum prohibens, relatum à *Pittonio de Ritib. t. 1. n. 1705. Sed quod magis refert, hæc omnia decreta fuerunt expressè confirmata à Papa Clemente XI. (ut legitur ap. eundem Bened. XIV. de Notif. 58. et ap. Pitton. l. c. n. 1705.) per decretum proprium ipsius Pontificis emanatum die 13. Martii an. 1712. ubi sic habetur: Dichiarando per ultimo, che colla suddetta proibizione per lo Venerdì santo non intènde la Santità sua di permettere, che ne' giorni di Giovedì e Sabbato Santo si celebrino Messe private, ma solo la Conventuale, secondo il Rito della S. Chiesa, è replicati Decreti della S. C. de' Riti (1). Hocque decretum confirmatum fuit ab *Innoc. XII. ut refert P. Merati in Indice Decretor. n. 501. et ab ipso Clem. XI. (vide ib. n. 652.) à quo statutum fuit quòd occurrente festo SS. Annuntiationis, vel S. Josephi in die Cœnæ Domini, tantum****

(1) *Id est: Declarando denique ex prædicta prohibitionem pro die Veneris sancto nullo modo inferri posse, Sanctitatem suam concedere ut die Jovis et Sabbato sancto celebrantur missæ private, præter conventualem tantum, juxta ritum sanctæ Ecclesiæ atque iterata decreta S. R. C.*

aliquæ privatæ missæ celebrentur, juxta judicium Episcopi, ergo sacerdotis extra hunc casum nequeunt tali die celebrare. His igitur stantibus decretis, non video quomodo opinio contraria hodie sustineri possit. Occurrente verò festo S. Josephi, et Annuntiationis B. Virginis, die Cœnæ Domini, Episcopus curabit, ut aliquæ missæ privatæ ante solemnem celebrentur; si autem festum B. V. occurrat Sabbato sancto, non possunt celebrari missæ privatæ, et festum transfertur ad feriam 2. post Dominicam in albis, juxta decreta S. C. apud *Merati t. 1. p. 2. in Indice num. 501. et 504. et n. 652.*

551. — « Resp. 5. Sæpius in die celebrare non licet ordinari; quod addo, quia, si sis jejunus, licitum est sequentibus casibus, bis vel etiam ter, requisito tamen, si facile haberi possit, Episcopi judicio, præterquam in primo:

« 1. Nocte Nativitatis, quâ tamen non tenetur, ne parochus quidem, celebrare tres missas, sed potest aliquam pro arbitrio omittere. *Diana p. 4. t. 4. r. 256.* Neque ter communicare, vel semel communicare, et bis celebrare *p. 8. t. 1. r. 87.*

« 2. Si pastor habeat duas parochias dissitas (1). *Fill. Card. de Lugo d. 20. n. 45.*

Modò non sit alius, qui commodè possit in altera celebrare, ut *Salm. tr. 5. c. 4. p. 1. n. 12. cum communi.* Et hoc juxta decretum N. P. *Bened. XIV.* editum die 16. Martii 1746. (*Vide in suo Bullario.*) ubi prohibetur parochi, adhuc ratione paupertatis, bis in festo celebrare; et tantùm id conceditur, si alius non sit sacerdos, qui in alia parochia celebrare valeat. Idem dicunt *Salm. n. cit. cum Dic. etc.* de sacerdote simplici, si ibi desit alius sacerdos. Et hoc licere etiam in die feriali, ne populus (sufficiens in numero) privetur missâ, dicunt *Suar. Pal. Leand. Dian.* In hoc tamen verò dicunt *Salm. ibid. n. 14. cum Ledesm. etc.* standum esse consuetudini, aliàs videtur id absque scandalo fieri non posse. Idque omninò reprobatur *Bened. XIV. de Sacr. Miss. l. 5. c. 5. n. 5. cum Deel. S. C. Refert autem idem Bened. XIV. Not. 56. n.*

(1) « Advertit tamen *Benedictus XIV.* in Brevi, *Declarasti* edito 16 Martii 1746, quòd de hac re semper impetranda est facultas ab Episcopo, etiamsi necessitas intercedere videatur. » *Hom. Ap. Examen Ord. n. 127.*

45. opinionem aliquorum affirmantium posse parochum in die festivè celebrare secundam missam pro defuncto præsentè cadavere. ex c. *Consuluisti, de celebr. miss.* ubi dicitur: *Excepto die Nativitatis Domini, nisi summa causa necessitatis suadeat, sufficiat sacerdoti semel in die celebrare.* Et Glossa v. *Necessitatis*, dicit: *Si celebravit de die, potest et aliam missam dicere pro defuncto.* Et hanc opinionem admisit *Bened. XIII. in Serm. 6. de Purg.* modò sacerdos sit jejunus; et non sit alius, qui pro defuncto celebret. Attamen idem *Benedictus* deinde in *Indulto celebrandi tres missas*, etc. incipiente, *Quod expensis*, dato sub die 26. Augusti anno 1748. (*Vide in Bullario.*) ibi in §. *Novam*, circa finem declaravit, stante quòd parochus potest aliquando missam pro populo in Dominica celebrandam transferre in diem infra hebdomadam, amplius non permitti duo sacra in eadem Dominica peragere. Hæc sunt verba Pontificis: *Neque verò hæc in præsentè à nobis commemorantur, quasi nunc etiam præsentè cadavere duæ missæ ab eodem sacerdote celebrari possint, cum juxta hodiernam disciplinam liceat præsbytero, relicta missâ de die, missam pro defuncto, si præsens sit corpus, cum cantu celebrare.*

« 5. Si concursus populi sit tantus, ut Ecclesia non capiat, » ut habet *Laym. l. 5. t. 5. c. 4. n. 6. Vide C. de Lugo l. c.* » etsi tunc potiùs expediat celebrare extra. » (*Cum Salmant. tr. 5. c. 4. p. 1. n. 22. Suar. Con. Pal. etc.*)

« 4. Si ante ablutionem moneatur de communicando infirmo, et suam jam hostiam sumpserit, nec sit alius sacerdos. *Sylv. Nav.* Sed casum esse metaphysicum, dicit *Cardin. de Lugo d. 20. n. 44.* » (*Aut vix practicum, ut Salm. ibid. n. 16.*)

« 3. Si die festo adveniat persona, quas non deceat Sacramentum omittere, v. g. rex, aut princeps. » (*Aut Episcopus, ut tenent S. Anton. Hurt. Dic. ap. Salm. ibid. n. 19. contra Con. Vasq. et Lug. qui probabilius quoad omnes hoc negant,* « quamvis hic ultimus dicatur non esse in usu. *Vide Bon. d. 4. q. ult. p. 7. n. 9. C. de Lugo l. c. et Laym. t. 5. c. 4. Coninch. Dian. p. 2. t. 14. r. 65.,* ubi rectè monet, in his omnibus attendendum ad loci consuetudinem, quæ ferè omnes nunc sustulerit. » (*Ut etiam Salm. ibid. in fin. cum Bon. et aliis.*)

552. — « Quæres, an aliquando liceat interrumpere missam ?

« Resp. Etsi abrumpere essentialiter, sive unam tantum speciem consecrare, nullo casu liceat, ut dictum est supra c. 1. d. 2. accidentaliter tamen abrumpere, vel etiam interrumpere, aliquid interponendo, licet his casibus.

Notandum hic, quod mutilare sacrificium ex proposito nunquam licet, etiam ad mortem evitandam; verum mutilare per accidens, et indirectè licet aliquando, puta, irruente incendio, vel hoste ad necandum; tum enim posset sacerdos sumere hostiam consecratam, vel secum ferre calicem non consecrandum: quia tunc non mutilat sacrificium, sed excusatur à perficiendo illud. Ita Laym. Bon. d. 5. q. 5. p. 2. Pal. p. 11. n. 2. et Salm. ibid. p. 4. n. 105. cum Garcia, Arav. et communiter.

« 1. Ob concionem post evangelium, vel processionem excipiendam.

555. — « 2. In gratiam supervenientis principis, vel turbæ peregrinorum die festo, quo aliàs missam audire non possent, vel simili justa causa; ex qua, si non sit facta oblatio, posse incipere de novo, ut totum Sacrum audiant » (Cum Laym. Azor, Nav. Pal. Dic. etc. ap. Salm. tr. 5. c. 4. p. 4. n. 111. Et idem posse fieri in adventu Episcopi, Cardinalis, aut processionis populi. DD. citati), « etsi non teneantur, docent varii auctores cum Sa, apud Bon. d. ult. p. 7. n. 9. qui benè monet, consuetudini locorum standum. Henriq. autem docet, id tantum licere finitæ epistolæ, vel evangelio. Tamb. planè improbat.

« 3. Si ante Canonem sacerdos recordetur alicujus impedimenti, v. g. se non esse jejunum, vel in gratia, vel irregularem, et excommunicatum » (Ita etiam Salm. ibid. n. 105. cum S. Th. et communi, modò possit relinquere missa sine scandalo, aut gravi nota, ut benè advertunt Salm. ibid. in fin. cum Con. et Pal. Vide hic dicta supra n. 262.), « vel excommunicatus non toleratus præsumat interesse, nec possit expelli.

554. — « 4. Si urgeat gravis necessitas vel propria, v. g. morbus; vel proximi, ut si moriturus sit baptizandus, vel absolvendus. Trull. Dian. p. 5. t. 5. res. 70. in aliis tamen sacramentis non ita necessariis, non decet inter

« consecrationem et sumptionem interrumpere, nisi moriturus esset in propinquo, nec opus esset vestes exuere; vel nisi penitentiam sacramentum ob phrenesim suscipere non posset. Laym. Tamb. l. 2. exped. Sacrif. c. 7. Revertens autem ad sacrificium sacerdos, si fuerit antè facta consecratio, incipit ubi desierit; uti, etsi facta non fuerit, et parva mora intercesserit, v. g. minor quam unius horæ; si autem longior, ordietur ab initio. Tamb. l. c. exped. sacrif. c. 8. §. 7.

555. — Quomodo missa ab uno sacerdote interrupta ab alio sit supplenda? Si deficiat sacerdos ante consecrationem, nihil per alium supplèri debet, ut Croix n. 547. cum S. Th. Avers. Pasq. contra alios. Si verò deficiat post consecrationem, etiam unius tantum speciei, tunc supplère debet sacerdos jejunus, si adsit, aliàs etiam non jejunus, cum urgeat majus præceptum de integritate sacrificii. Ita Salm. tr. 5. c. 4. p. 4. n. 107. cum aliis, et Croix l. c. Omnia hæc habentur in Rubr. Miss. tit. 10. n. 5. ex c. Nihil 7. q. 1. Et etiam sacerdos excommunicatus, atque irregularis supplère debet, si alii desint, et ipse possit sine gravissimo incommodo, ut ait Croix num. 550. cum Pasq. contra Sot. Sa, etc. Si autem deficiat post sumptionem solius corporis Christi, Bon. putat calicem posse sumi in alia missa; sed communiùs contradicunt Croix n. 548. Avers. Pasq. et alii, et ajunt tunc ab alio calicem esse sumendum. Dicit Tamb. quærendum esse qui suppleat, post septem etiam horas; sed probabiliter Gob., cui adhæret Pasq. apud Croix n. 549, ait non esse ultrà quærendum quam per unam circiter horam, aliàs non censetur unum sacrificium. Si verò sacrificium posset supplèri ab eodem sacerdote, melius hoc esset, quam supplèri ab alio, etiamsi ille non esset jejunus. Croix cum Gob. num. 552.

DUBIUM IV.

Quo loco celebrandum sit?

556 An et in quali necessitate liceat extra Ecclesiam celebrare? Et an in mari?

557 An et quando liceat celebrare in oratoriis ex dispensatione Episcopi? Licet I. in oratoriis benedictis. II. in oratoriis communitatum. III. in oratoriis erectis in palatiis Episcoporum.

- 558 An Episcopi possint celebrare in domibus privatis?
 559 An possint dispensare, ut aliquando in illis celebretur? Not. I. Privilegium non perit per mortem Papæ vel Episcopi. Not. II. Quid, si privilegiatus mutet habitationem? Not. III. Quibus diebus non liceat celebrare in oratoriis privatis? Et an regulares, vel Episcopi possint celebrare in domibus privatis, præter missam in indulto concessam?
 560 An religiosi possint ex privilegio celebrare in quocumque altari portatili?
 561 An semper peccent mortaliter celebrantes in Ecclesia violata? Et an aliquam pœnam incurrant?
 562 An polluantur oratoria non benedicta? Et an sacristiæ, cryptæ, etc.?
 563 A quibus Ecclesia debet reconciliari?
 564 Quomodo crimen, per quod polluitur Ecclesia vel cœmeterium, oporteat esse notorium? Quando Ecclesia polluitur per homicidium? An Ecclesia violetur, si vulnus intra eam instigatur, et mors (sive effusio sanguinis) sequatur extrâ?
 565 Quando Ecclesia polluitur per effusionem sanguinis, vel seminis?
 566 Quando per sepulturam excommunicati, infidelis, vel hæretici?
 567 Quando per destructionem Ecclesiæ?
 568 Quomodo fiat execratio rei consecrata, nempe Ecclesiæ, altaris, calicis, et vestium? Et vide de execratione Ecclesiæ.
 569 De execratione altaris, et 1. Si lapis removeatur. 2. Si frangatur. 5. Si spoliatur sepulchrum. Dub. 1. An reliquiæ Sanctorum sint necessaria ad consecrationem altaris. Dub. 2. Quid si frangatur sigillum, vel removeatur sepulchrum?
 570 De execratione calicis. Dub. 1. An execretur calix, si destruat inauratio? Dub. 2. An calix de novo inauratus novâ indigeat consecratione? Dub. 5. An liceat celebrare in calice nunquam inaurato?
 571 De execratione vestium.

536. — « **R**ESP. Communiter non licet celebrare, nisi in Ecclesia, eaque consecrata, vel saltem benedicta et non violata, vel execrata, nec interdicta. Patet ex *Trid. sess.* » 22. *Lugo d. 20. n. 48.*
 « Dixi, communiter: quia in decenti loco, et altari portatili (quod semper sub mortali requiritur) cum licentia Episcopi, si adsit, vel sine ea, si absit » (*Ut advertunt etiam Salm. tr. 5. c. 4. p. 2. n. 54. cum Lugo*), « licet se-

» quentibus casibus: extra quos si fiat, esse mortale docent » *Fill. Laym. et alii commun.* » (*cum Lugo, Sanch. Laym. Suar. et Salm. ibid. num. 49. cum communi*) « contra » *Sotum, et Sa.*
 « Primò, si sit necessitas, qualis esse censetur, I. Si Ecclesiæ dirutæ sint. » (*Et aliàs populus careret missâ, et sic conceditur in can. Concedimus de consecr. dist. 1. Salm. ibid. num. 52.*) « II. Si populum in solemnibus festis non capit. » (*Lugo disp. 20. n. 48. s. 2. Bened. XIV. de Miss. lib. 5. c. 6. Salm. ibid. n. 53. cum Pal. Laym. Vasq. Dic. Con. Suar.*) « III. In castris pro exercitu; sed festis tantum diebus. *Fag. C. de Lugo, etc. Licet Pasqual. apud Dian. pag. 9. t. 1. res. 44.* etiam non festis censeat posse permitti Generalibus, et primariis Ducibus in suis tentoriis » (*In his tamen, et similibus casibus impetranda est semper ac potest licentia Ordinarii, ut Lugo d. 20. d. n. 48. et Salm. supra cit. n. 54. in fin. cum Pal. Laym. et Vasq.*) « IV. in portu pro appulsu navis. » (*Ne navigantes, qui navem deserere nequeunt, missâ in die festo priventur. Pal. Laym. Lug. Dic. cum Salm. ibid. Et quamvis in c. Sicut de consecr. dist. 1. dicat Pontifex non licere extra Ecclesiam celebrare, nisi summa coegerit necessitas, attamen respondent Salm. ibid. num. 55. cum Vasq. Conc. Pal. et aliis, minorem necessitatem sufficere, ex consuetudine jam recepta, ut est in predictis casibus, quibus addunt Lugo d. 20. d. n. 48. et Salm. ibid. n. 51. cum Pal. Laym. Suar. et Sa, Con. etc. casum, si quis per loca deserta peregrinans diù cogatur missâ carere, nisi extra Ecclesiam celebret.*) « Non tamen in flumine, vel mari propter periculum effusionis sanguinis, ut *commun.* docetur apud *Bon. Contrarium tamen dicitur jam habere praxis Lusitanorum euntium in Indiam, ex permissione Clem. VIII. et Pauli V. ex qua licitè nunc fieri docent Fagund. Gran., nec improbat C. de Lugo l. c. Limitat autem Dian. p. 5. t. 5. res. 40. cum Hurt. Merc. Trul. etc. si magna sit tranquillitas sine ullo tempestatis indicio, adsitque præter celebrantem sacerdos alius, qui post consecrationem firmiter teneat calicem. » Cum qua cautione etiam Episcopum posse ad hoc concedere facultatem in necessitate (v. g. ne magna multitudo non audiat Sacrum, vel moribundus decedat sine Viatico)*

» docet *Gran. apud Dian. l. c. contra Con. et Tur.* » (Imò approbat *Lugo d. 20. n. 86.*) « qui soli Papæ eam reservam » tam volunt, ut etiam *Dian. p. 9. t. 1. r. 45.* ubi adducit » declarationem Cardinalium, quâ jubentur Episcopi id prohibere. » (Et de hoc non videtur dubitandum, ut mox dicemus num. seq. ex Tridentino, ubi omninò vetitum est Episcopis concedere usum altaris portatilis, et licentiam celebrandi extra Ecclesiam. Cæterum certum est cum facultate obtenta à Pontifice licere celebrari in mari, non solum ob concessionem *Clem. VIII. et Pauli V. ut supra.* sed etiam ob *Indultum Clementis XI. ut referunt Ben. XIV. de Sacr. Miss. l. 5. c. 6. et Cont. Tourn. cap. 9. sect. 6. v. Quær. 1. in fin. quo concessum fuit Equitibus Hierosolymitanis anno 1706. celebrare in mari, hæc tamen lege, 1. ut adsit longa distantia à littore; 2. ut mare sit tranquillum; 5. ut assistat alius sacerdos, vel diaconus, qui, si quis concitetur motus, calicem firmum teneat).*

« Secundò. Ex dispensatione Episcoporum, ob rationabilem causam, etsi in *Trid. sess. 22.* id permittere prohibeantur, nisi ex justa causa, in oratoriis privatis divino cultui destinatis, licet non benedictis. Verùm etiam hanc potestatem illis nunc esse ademptam, docent *Gav. l. c. et Dian. p. 9. t. 9. resp. 42.*, ea tamen non obstante, posse eos in aliquo casu particulari ex justa causa permittere, ut celebretur extra Ecclesiam, in altari portatili, docet idem *Dian. l. c. r. 45. ex March. Garc. Hurt. C. de Lugo, Aversa, Persic. etc.*

537. — Quæritur, in quibus oratoriis Episcopi possint dare licentiam celebrandi? Olim Episcopi poterant hanc licentiam ubique impertiri ex *can. Missarum 12. de consecr. dist. 1.* ubi habetur: *Missarum solemnità non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censentur.* Verùm hæc facultas adempta fuit Episcopis circa domos privatas ex *Trid. sess. 22. in Decreto de celebr. miss.* ubi sic dictum fuit: *Ne patiatur, privatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium à sæcularibus, aut regularibus quibuscumque peragi.*

Hoc igitur decreto non fuit vetitum Episcopis dare licentiam celebrandi I. in oratorio benedicto, et designato ad usus sacros, in quo est janua habens ingressum per viam publicam, etsi sit janua privata affixa domui alicujus sæcularis; illud etiam non dicitur privatum, sed publicum oratorium, ut rectè dicunt *Viva q. 5. a. 6. n. 5. et Croix l. 6. p. 2. n. 265. cum Aversa, Quarti, Naldo, Homob. et Dian.*; qui addit cum *Pasq.* posse in tali oratorio nihilominus celebrari januis clausis: non enim præcipitur, ut publicè celebretur, sed ut in publico oratorio. Advertit etiam *Croix n. 266.* non esse opus quatuor muris, qui oratorium separent ab aliis locis, sed posse pro quarto muro aptari telam, quæ aperiatur ad commoditatem audientium missam. Quapropter qui ibi pranderet, vel in alios usus profanos adhiberet per modum habitus, peccaret mortaliter, quia oratorium illud est vera Ecclesia; venialiter tamen, si aliquando, et sine necessitate, ut dicunt *DD. ap. Bon. et Suar.*

Neque II. in oratoriis erectis in domibus regularium, vel alterius communitatis, ut rectè ait *Tamb. de Meth. cel. Miss. l. 1. c. 4. §. 5. n. 2. cum Lezana.* Hinc benè potest Episcopus dare licentiam celebrandi in oratoriis hospitalium, seminariorum, et conservatoriorum, ut praxis habet; hæc enim domus non dicuntur private. Et idem ait *Croix n. 264. cum Quarti, et Diana* de capellis erectis in publicis carceribus: dicit enim *Illung ap. Croix l. 5. p. 1. n. 626.* prohibitionem Tridentini respicere tantum oratoria privata laicorum, vel clericorum secularium. Hinc *Fagnanus in c. In his, de priv. num. 25.* refert S. Congregationem pluries declarasse, hujusmodi oratoria carcerum, confraternitatum, hospitalium, et communitatum non comprehendi in prohibitione concilii, quia hæc sunt oratoria fixè ad divinum cultum dedicata. Et propterea in hujusmodi oratoriis quicumque audientes missam satisfaciunt, et à quocumque sacerdote possunt utique missæ celebrari, ac omni die etiam ex solemnioribus, ex declaratione S. C. Rit. 2. Septemb. 1661. (apud *Merati in Ind. num. 592.*) ubi sic dictum fuit: *Missæ sacrificium potest peragi in publico oratorio de licentia Episcopi constructo in diebus solemnioribus anni, dummodò habeat omnia requisita ad Ecclesiam vel ad publicum oratorium constituendum.*

Neque III. in oratoriis erectis in palatiis Episcoporum, ut

dicunt communiter *Gav. p. 1. t. 20. lit. m. Merati ib. n. 5. Renzius l. 1. c. 5. quest. 51. et Croix loc. cit.* In talibus enim oratorii omnes possunt celebrare, et præcepto missæ satisfacere, ut declaravit S. C. concilii die 22. Septemb. 1640. *ap. Dian. p. 6. tr. 8. r. 40. in fine.* Ratio, quia domus Episcopi non censetur privata, cum ipsa gaudeat immunitate ecclesiasticâ, ex c. 56. *caus. 17. q. 4.* ubi dicitur: *Id constitutum observandum, quod ecclesiastici canones decreverunt, et lex Romana constituit, ut ab Ecclesiæ atris, vel domo Episcopi reos abstrahere omninò non liceat.* Unde docet *Bened. XIV. de Miss. lib. 5. c. 6. cum Brancatio, et Cleric.* hujusmodi oratoria Episcoporum, et Cardinalium, quoad celebrationem missarum, gaudere ferè iisdem privilegiis, quibus Ecclesiæ consecratæ. Et idem dicunt *Viva q. 5. a. 6. n. 5. Tamb. c. 6. §. 2. n. 12. et Diana p. 6. tr. 8. r. 40.* de domo rusticana, quam haberet Episcopus extra diœcesim, adhuc sine licentia Ordinarii, et adhuc absente ipso Episcopo, ut dixit *Viva*; modò talis domus alteri non locetur; idque videtur admitti ab eadem declaratione S. C. *apud Dian.* ut suprâ, ubi dictum fuit, interessentes sacrificio missæ in privato Episcopi sacello satisfacere præcepto ecclesiastico tam in diœcesi, quàm extra.

558. — Sed dubitatur 1. An Episcopi possint celebrare, vel celebrari facere in domibus, ubi reperiuntur, extra domum propriæ habitationis? Respondetur affirmativè ex *cap. ult. de priv. in 6.* ubi sic habetur: *Quoniam Episcopi eorumque superiores se habent diversis ex causis à suis Ecclesiis et diœcesibus absentare frequenter, nec semper possunt commode ad Ecclesias accedere pro missa celebranda, vel audienda in ipsis, sine qua eos transire non decet absque causa rationali ullam diem, præsentì constitutione indulgemus eisdem, ut altare possint habere viaticum, et in eo celebrare ac facere celebrari ubicumque, absque interdicti transgressione.* Et quamvis causa concessionis hic sit sola absentia Episcopi à sua Ecclesia, tamen advertit rectè *Tamb. Meth. de cel. miss. c. 6. §. 2. n. 9.* concessionem esse universalem sine limitatione distantie in textu expressæ. Neque obstat decretum *Clementis XI.* editum die 15. Decemb. 1705. (relatum apud *Croix lib. 6. p. 2. n. 258.*) ubi hæc facultas Episcopis ablata fuit, his verbis: *Episcopis et Cardinalibus nullo modo licere extra do-*

num propriæ habitationis in domibus laicis, etiam in propria diœcesi erigere altare, ibique sacrificium missæ celebrare, sive celebrari facere. Nam ipsis talis facultas restituta fuit ab *Innocentio XIII.* die 5. Maji 1725. in bulla, *Apostolici ministerii*, ubi dictum fuit: *Hujusmodi prohibitio (scil. facta Episcopis non celebrandi sive non faciendi celebrari) intelligenda non est de domibus etiam laicis, in quibus dicti Episcopi fortè occasione visitationis, vel itineris hospitio excipiuntur: ut nec etiam quando Episcopi in casibus à jure permissis, vel de speciali Sedis apostolicæ licentia absentes à domo propriæ ordinariæ habitationis moram idcirco faciunt in aliena domo per modum similis habitationis.* Ita apud *Merati t. 1. p. 2. Indice Decretor. n. 649.* Hæcque bulla confirmata fuit à *Benedicto XIII.* die 17. Sept. 1724. in Constit. habita in Synodo Romana. Benè tamen advertit *Tamb. l. c. n. 10. ex Portella*, quòd cum tale privilegium sit personale Episcopi, non poterunt alii sacerdotes eo absente in talibus domibus privatis celebrare.

559. — Dubitatur 2. An Episcopi possint aliquando dispensare, ut celebretur in oratorio domus privatæ? Jure ordinario non permittitur, nec unquam permissum fuit sacerdotibus missam celebrare, nisi in locis ab Episcopo consecratis, vel saltem benedictis, ut habetur ex *can. (Felicis Papæ) Sicut 11. dist. 1. de Consecr.* Sed excipitur primò casus necessitatis, uti exprimitur in eodem textu. Casus necessitatis sunt: I. Si Ecclesia sit diruta, ut dicitur in *can. Concedimus 50. dist. 1. de Cons.* II. Si quis sacerdos longam peragat peregrinationem per loca deserta, vel infidelium, ut habetur in eod. *can. Concedimus.* III. Quando Ecclesia non est capax populi, ita ut multi missâ carerent. IV. Si exercitus inveniatur in castris, aut navigantium multitudo in littore maris; ita communiter *DD. ap. Card. Petr. t. 4. in Const. 2. Urbani V. num. 51. et apud Salm. tr. 5. de Miss. Sacr. c. 4. p. 2. n. 54.* Et in his casibus quilibet sacerdos celebrare potest extra Ecclesiam in altari portatili. Advertit tamen *Laym. l. 1. tr. 1. c. 1. n. 5. cum Suar. et Soto*, quòd si Episcopus sit præsens, decet ut ab ipso obtineatur licentia: item advertit *Castrop. tr. 22. de Sacr. Miss. d. 1. p. 8. n. 1.* quòd cum casus necessitatis dubius foret, Episcopus benè dispensare valet, juxta dicta *l. 1. n. 192.,* utque dicemus *hoc lib. 6. n. 902. v. Cæterum probabiliter.*

Præterea excipitur, cum Episcopus in aliquo casu partiu-
lari ob justam causam dispensat, ut extra Ecclesiam celebretur; nam Episcopi, licet hodie facultate careant permittendi ad sui libitum, ut in privatis domibus sacrum fiat, quam olim habebant, sicut apparet ex *can. Missarum, dist. 4. de Consecr.* ubi permitti dicitur celebrare *in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit.* Et ex *can. Hic ergo, ubi: In locis, in quibus Episcopus proprius jusserit.* Et melius expressum fuit in *cap. In his 50. de privil.* ubi decrevit *Honorius III.* quod fratres minores, et Prædicatores propter eorumdem privilegium apostolicum celebrare poterant in altari portatili absque licentia Episcopi loci; et rationem adduxit, quia aliàs inutile ipsis fuisset privilegium, cum absque illo jam celebrare valuissent extra Ecclesiam, accedente Ordinarium permissione. *Cum autem* (verba sunt Pontificis) *eis nihil conferret memorata indulgentia, sine qua id prælatis annuentibus liceret.* Unde probè animadvertit *P. Suarez tom. 5. in 5. p. d. 81. sect. 5. v. Secundo, cum Sylvestro, Soto, et Navarro,* Episcopos non caruisse antiquitus hæc facultate permittendi celebrationem assidue, et absque ulla necessitate, quia illa (ait *Suarez*) non erat dispensatio, sed usus propriæ potestatis. Deinde tamen facultas hæc ablata fuit Episcopis per Tridentinum *sess. 22. in Decr. de celeb. miss. etc.* relato supra *n. 557.* Hoc tamen non obstante, communiter sentiunt DD., hoc intelligendum esse de licentia perpetuò celebrandi per modum habitus, juxta facultatem quam Episcopi priùs habebant; at minimè esse eis vetitum hujusmodi concedere licentiam per modum actus pro aliquo tempore, si justa adsit causa. Ita *P. Suarez l. c. v. Secundo, in fine,* ubi postquam necessitatis casum excepit, ait: *Item facultas hæc est per modum dispensationis; concilium autem ab Episcopo non abstulit potestatem rationabiliter dispensandi, quam habet in hujusmodi rebus, maximè cum reverà sit moraliter necessaria.* Et subdit: *Tandem usus hoc confirmat, quia ita fit sine ullo scrupulo.* Idem dicit *Bonacina de Euchar. d. 4. qu. ult. nu. 11. ubi: Episcopus potest in casu aliquo, justà concurrente causà, dispensare, ut missa extra Ecclesiam in loco honesto celebretur.* Et citat *Reginaldum, Beja, et Cenedo.* Et deinde *Bonac.* se refert ad id quod alibi (*tr. de leg. d. 1. q. 2. part. 1. n. 17.*) scripsit, ubi sermonem faciens de opi-

Cap. 5. De Euchar. ut est sacrificium. Dub. 4. 199
nione ab aliquibus DD. defensa, et à nobis relata *lib. 1. n. 191.* (quæ quidem *Bonacinae* non arridet, neque nobis, nempe quòd Episcopus dispensare valeat in omnibus canonicis legibus, in quibus non est ipsi ab apostolica Sede expressè reservata dispensatio) inquit hanc sententiam habere saltem locum in iis, quæ sæpè accidunt, et dispensationem requirunt; vel si occurrat aliqua gravis necessitas, vel gravis utilitas, et non patet facilis ad sanctam Sedem recursus. Idem tenet *Tamb. in Meth. cel. Miss. l. 1. c. 6. n. 7.* qui eandem rationem affert, nempe quia, cum hujusmodi casus frequentes sint, Episcopis est moraliter necessaria hæc potestas dispensandi, juxta dicta *l. 4. nu. 192.* Idem docet *Barbosa de potest. episcop. alleg. 25. n. 9.* dicens: *Concilium loquitur de communi modo celebrandi, non verò abstulit Episcopis potestatem rationabiliter dispensandi, stantè necessitate, vel justà causà.* Idem scribit *Escobar. t. 5. de Euch. cap. 6. n. 87.* dicens: *Talis autem dispensatio cum rationabili causa non debet inter abusum recenseri; unde potest Episcopus hanc concedere facultatem (celebrandi extra locum sacrum) quando persona nobilis ratione senectutis, vel infirmitatis nequit adire Ecclesiam, ut missam audiat, et Eucharistiam recipiat.* Idem tenet *Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. n. 5.* *Non videtur hæc potestas ablata (Episcopis) occurrente casu necessitatis dispensandi, ut semel aut sæpius, quatenus rationabilis causa suaserit, in loco honesto, sed profanis usibus destinato, super altari sacro missam celebrare liceat.* Idem ait *Holz. t. 2. de Euch. c. 2. n. 570.* *Excipiendus est præterea casus, quo Episcopus rationabili ex causa dispensat, ut in privatis ædibus, v. g. alicujus infirmi, super altari portatili celebrari possit.* Idem dicunt *Salm. de Sacr. Miss. tr. 5. c. 4. n. 56. Elbel Theol. mor. eod. tit. p. 156. num. 255., et La-Croix l. 6. p. 2. n. 265. cum Coninch. Rodriq. Pasq. Quarti, Diana, March. Hurtad. et Fagund.* Igitur supradicta sententia meritò communis dici potest. Et notetur, quòd quando à suprà citatis DD. vocatur *necessitas,* loquendo de dispensatione, non intelligitur necessitas celebrandi, quia hæc dispensatione non indiget, ut superius in priori exceptione observatum est; sed intelligitur necessitas, quæ dispensatus celebrandi, vel ad Ecclesiam pergendi, ut missam audiat, impos efficitur, et justa concurrat causa dispensandi.

Nec doctrinæ traditæ obstat decretum *Clementis XI.* quod opponit *P. Mazzotta*, sicuti nec etiam obstant decreta *Pauli V.* et *Urbani VIII.*, in quibus vetatur Episcopis hujusmodi dispensationem concedere, quia decreta intelliguntur juxta Tridentini sanctionem, ut ajunt *Escobar*, *Salm. tr. 5. c. 4. p. 2. n. 58. cum Philiberto. Hurtad. Nav. Quintan. Diana. Fagund.*, scilicet de dispensatione per modum *habitûs*; sed non per modum *actûs* ad tempus pro aliquo casu particulari, quando rationabilis causa dispensandi habeatur. Et quoniam post Tridentini decretum non defuerunt auctores, uti *Sotus* et *Emmanuel Sa.*, qui dixerunt non esse peccatum grave extra Ecclesiam celebrare, si in loco honesto celebretur, imò *Sotus* scripsit (ut refert *P. Suarez in 5. p. t. 3. dec. 81. sect. 5. in princ.*) se nullam in hoc agnoscere culpam, semper ac secretò celebraretur, et scandalum abesset; ideò fortassè memorati Pontifices hoc prohibere Episcopis urgentioribus, clarioribusque decretis judicantur.

Dubitatur deinde, quoties concedi possit hujusmodi dispensatio? *Salm. l. c.* dicunt semel, vel bis; sed alii, ut *Suar. Laymann, Bonac. Escobar, Holzmann et Elbel cum Pasqualigo*, etc. indefinitè loquuntur, et intelligunt concedi posse, durante infirmitate, vel aliâ causâ accidentalî. Et meritò indefinitè loquuntur; nam prohibitio dispensandi est strictæ interpretationis, ac intelligenda est (ut superius vidimus) tantùm pro dispensationibus continuò permanentibus, non verò pro iis, quæ ad tempus conceduntur respectu alicujus causæ transeuntis. Accedit his declaratio, quam refert *Gallebart in Trid. sess. 22. Decr. de obs. etc. num. 6.* ubi dictum fuit: *Permittit Pontifex Ordinariû arbitrio, necessitate personali, et infirmitatis qualitate pensata, ut pro infirmorum commoditate etiam in privato oratorio, vel altari ad hoc deputato facultatem celebrandi concedat.* Idem admittit *Card. Petra t. 4. in Constit. 2. Urb. II. n. 51.* dicens benè licere Episcopo potestatem facere, ut in alicujus insignis viri morbo laborantis domo missæ sacrificium peragatur, ut et sacro ille intersit, et sacrâ reficiatur communione. Accedit etiam, quòd *Honorius III. in cit. c. In his 50. de privil.* verba faciens de licentiis celebrandi, fassus est in hac materia, *benignam potiùs interpretationem faciendam esse.* Atque si hæc licentia concedi potest ab Episcopis pro sæcularibus

infirmis, ne missam audire priventur, ut suprâ dictum est, tantò magis concedi valet sacerdotibus, qui sæpè habent quamdam celebrandi necessitatem, prout colligitur ex *Trid. sess. 25. c. 14.* ubi dicitur: *Curent Episcopi, ut ii* (id est sacerdotes) *saltem diebus dominicis, et festis solemnioribus missam celebrent.* Quapropter nescirem à culpa levi excusare sacerdotem illum, qui quotidie celebrare posset (unâ hebdomadis die exceptâ ob reverentiam) et sine ulla justa causa, sed tantùm ob desidiam à celebrando abstineret; sacerdos enim non solùm pro se celebrat, sed etiam pro bono totius Ecclesiæ, populique christiani, cujus minister et intercessor est constitutus, juxta illud Apostoli: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in vis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis. Hebr. c. 5. §. 1.* Hinc oritur (prout dicebam) quædam necessitas. quam sacerdos habet celebrandi; et ideò faciliùs Episcopi concedere possunt sacerdotibus celebrandi licentiam in ipsorum domibus, durante eorundem infirmitate.

Notandum I. quòd indultum oratorii privati à Papa concessum durat usque ad mortem privilegiati tantùm; nec perit mortuo Papâ, vel Episcopo qui illud designavit, quia gratia semel facta non expirat morte concedentis. *Vide Croix l. 6. p. 2. n. 267.*

Notandum II. quòd si privilegiatus mutet domicilium in aliam dioccesim, non amitti privilegium oratorii, quod cum sit personale, personam sequitur, quamvis requiratur nova approbatio Episcopi, et nova inspectio loci. *Croix n. 269. cum Sylv. Bon. Barb. Pell. Tamb. etc.* Quia inspectio requiritur, etiam dum mutatur habitatio in eodem oppido, ut benè ait *Croix l. c. cum Tamb. contra Dian. et Quintan.* Utrùm autem privilegiatus possit duo oratoria habere, unum in oppido, alterum in villa? Negat *Croix ib.*, sed affirmat *Pasqual. apud ipsum*, cui non dissentio, si privilegiatus non sit ibi per modum transitûs, et locus sit ab Ordinario jam approbatus.

Notandum III. id quod habetur in decreto emanato à *Clemente XI.* die 15 Decembr. 1705. quod in extensum assert *Croix l. 6. p. 2. n. 258.* ubi sic dicitur: *Nonnulli Episcopi, et complures regulares sub prætextu privilegiorum ea sibi licere putant, quæ prohibita sunt. Regulares in quibusdam*

nobilium personarum privatis oratoriis, quæ certis quandoque ex causis à Sede apostolica concedi solent, celebrare audent, vel plures missas, quàm in iis sit indultum, vel absque presentia personarum, quarum contemplatione concessio emanavit, vel extra debitas horas et post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones diœcesanas, aut etiam decreta S. C. Concilii celebrari prohibetur, aut quæ in ipsis indultis apostolicis excipiuntur. Deinde declaratur: In oratoriis privatis, quæ per S. Sedem concessa fuerint, non licere regularibus cujusvis ordinis, aut aliis quibuscumque sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini, aliisque anni festis solemnioribus, ac diebus in indulto exceptis... In reliquis verò diebus prædictis regularibus, et sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis, in præfatis oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica missa, quæ in indulto conceditur, fuerit celebrata: super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, et de eo se optimè informare. Atque illu etiam in casibus permissis celebrari nequeat post meridiem; demandando ulterius in omnibus hujusmodi casibus, personas quas-cumque dictas missas audientes nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfacere, etc.

Ex quo deducitur 1. prohiberi celebratio in oratoriis privatis non solum die Paschatis, Pentecostes, Nat. Christi Domini, ut exprimitur in decreto, sed etiam in die Epiphaniæ, feriæ quintæ in Cœna Domini, Annuntiationis, Ascensionis, Assumptionis B. Mariæ V., festo SS. Petri et Pauli, et omnium Sanctorum, juxta decretum S. C. Rit. editum 17. Nov. 1607. (apud Merati in Indice t. 1. p. 2. n. 74.), ejus meminit Clementis XI. in decr. suprâ citato. Advertendum tamen cum Croix n. 271. 4. quòd ubi tale oratorium concessum est propter infirmitatem, potest omnibus diebus, etiam exceptis, ibi celebrari; et sic decrevit S. C. ut refert P. Zaccharia apud Croix l. 6. p. 2. n. 271. decernens insuper, quòd in die Nativitatis Domini una tantum missa ibi celebratur. Advertendum 2. quòd hoc procedit tantum in oratoriis privatis, non verò publicis de licentia Episcopi benedictis, ut suprâ diximus, in quibus omni die etiam solemniori celebrari potest, ut patet ex decreto S. C. R. 5. Septemb. 1671. apud Merati in Indice n. 592.

Deducitur 2. quòd si in indulto dicatur, una missa quotidie celebretur, nequit sub mortali à quibuscumque sacerdotibus etiam Episcopis et regularibus sub prætextu privilegiorum præter illam missam alia celebrari, ut rectè inquit Ben. XIV. Not. 29. n. 8. et Quarti apud Croix l. 6. p. 2. n. 268. et Tonellius Enchir. p. 53. n. 6. cum communi contra Marchantium Ref. Misc. cas 5. qui censet non vetari plures missas celebrari, nisi dicatur in indulto, unica missa celebretur, vel una tantum: quia, ut ait, to una non est particula taxativa, prout si in fundatione dicatur, volumus, ut quotidie una missa celebretur in tali altari, non ideò plures prohibentur missæ. Hæc tamem opinio videtur omninò improbabilis, nam privilegia, sive concessiones adversus aliquam legem prohibivam strictè sunt accipienda; unde particula una idem importat ac unica, et quod pro una vice conceditur, non potest ad plures vices extendi; prout si quis pro una vice concedat alicui transire per suum agrum, non posset ille pluries transire. Et hoc patet clarè ex citato decreto, ubi reprobantur regulares, qui privatis in oratoriis celebrare audent plures missas quàm in iis sit indultum. Cùm autem in indulto sit una missa expressa, qui plures missas celebrarent, jam auderent celebrare ultra concessionem in indulto expressam. Nec valet paritas adducta fundationis; nam ibi non vetantur aliunde plures missas celebrari, nec fundator prohibere posset; sed in oratoriis privatis non potest celebrari alia missa, nisi quæ in indulto exprimitur, cùm aliunde sit generaliter prohibitum ibi celebrari; unde idem est, cùm in indulto dicitur unica missa, quàm una quæ indulto conceditur, in utraque enim dictione mens Pontificis est, secundam missam non posse celebrari.

Dices: Pluries celebrari non prohibetur respectu celebrantium, sed respectu audientium, qui in aliis missis, primâ concessâ celebratâ, non satisfacerent præcepto. At respondeo, quòd prohibitio est non solum respectu audientium, sed etiam celebrantium: primò quia omnibus vetitum est celebrare in oratoriis cultui divino non destinatis per consecrationem, vel benedictionem Episcopi; secundo quia in decreto præfato Clementis duo quidem se junctim per se prohibentur, et sacerdotibus alias missas præter unam conces-

sam celebrare, et audientibus in iis præcepto satisfacere. Primum habetur ex illis verbis: *Regularibus et sacerdotibus quibuscumque. etiam Episcopis, in præfatis oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica missa, quæ in indulto conceditur, fuerit celebrata.* Alterum: *Demandando ulterius in omnibus hujusmodi casibus personas quascumque dictas missas audientes nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfacere.* Post hæc scripta inveni bullam *N. SS. P. Benedicti XIV. Magno*, die 2. Jun. 1751. qua lis finita est; nam Pontifex declarans ibi, quomodo intelligenda sint hujusmodi indulta, dicit: *Hæc pro lege statuta fuerunt, quemadmodum ex formulis litterarum in forma Brevis, quæ conceduntur, colligere est... Nec plures in die, sed unica tantum missa in oratorio celebretur.* Ergo prohibitio non tantum respicit audientes, sed præcipue celebrantes, cum in privato oratorio pluries celebrari vetetur.

Quæres hic, an liceat in oratoriis privatis ministrari Eucharistia sine licentiâ Episcopi? Certum est Episcopum prohibere posse ministrationem communionis in oratorio privato, ut declaravit *Bened. XIV.* in bulla *Magno*, edita die 2 Jun. 1751. At si non adsit prohibitio, affirmat *Clericat. de Euch. dec. 8. n. 54.*, potitus ratione, quia per Tridentinum optatur, ut in singulis missis fideles adstantes sacramentaliter communicent. Nec dissentit *Portella apud Diana p. 4. tr. 4. r. 14.*, dicens, quod susceptio Eucharistiæ in oratorio privato nullam parocham injuriam infert, quando non fit de præcepto. Negant verò (1) *Diana, Quarti, et Giribaldus apud Benedict. XIV. Notif. 29. n. 11.* qui refert *Innocentium III.* olim Romæ negasse cuidam nobili matronæ licentiam communicandi in oratorio privato, excepto casu infirmitatis. Negant etiam *Pignatell. Cons. 98. nu. 86. Pasq. de Sac. Miss. q. 644. et P. Gattico c. 29. n. 6.*, quia ministratio Eucharistiæ pertinet ad jurisdictionem Ordinarii, cum sit actus pascendi oves; et idè regulares, ut Eucharistiam ministrarent, specialibus indiguerunt privilegiis. Hinc idem Papa *Bened. XIV.* in Encyclica ad Episcopos regni Poloniæ, edita eadem die 2. Jun. 1751., prohibuit dari communionem in privatis oratoriis iis, qui intersunt absque licentiâ Episcopi.

(1) « Communius. » *Hom. Ap. Examen ord. n. 114.*

Quoad Sacramentum autem penitentiae, certum est non esse licitum illud ministrare sine justa causa in oratorio privato, ut habetur in Rituali Romano de *Sacr. Pœnit.* ubi dicitur: *In Ecclesia, non autem in privatis ædibus (sacerdos) confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quæ cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco præstare.* Idque confirmatum fuit in citata bulla *Magno* §. 20. Quinam autem satisfaciant audiendo missam in oratoriis privatis? vide dicta *lib. 4. n. 519.*

560. — « Tertio. Ex privilegio, quale dicuntur habere minores, et qui cum iis participant; quod esse revocatum à *Trid. sess. 22. c. 8.* licet multi velint, negant tamen *Dian. p. 5. t. 2. res. 80. p. 4. t. 4. r. 106. Joan. Solas, Rodriq. etc.* Idque secundum *Card. de Lugo d. 20. s. 2. n. 51.* probabiliter, et *Tamb. de exped. celebr. l. 1. c. 5. §. 5.* probabilius. Vide *Barb. in Trid. l. c.* Item religiosi Societatis Jesu à *Gregorio XIII.* ut possint tum in Missionibus cum facultate superioris in quovis loco decenti, tum in domibus suis in loco honesto, à Provinciali designato, missas dicere; in quo idem licebit aliis. »

Hanc sententiam, nimirum quòd privilegium regularium circa oratoria privata non fuerit revocatum à *Trid.* tenent *Roncaglia de sacrif. c. 3. q. 2. in fine et alii*; sed hæc sententia hodie non est amplius probabilis post decretum *Clementis XI.* editum die 15. Dec. 1703. (apud *Croix lib. 6. p. 2. n. 258.*) ut bene docet *Holz. t. 2. p. 84. in fin. cum Anacl. Elbel, et aliis communiter*; in præfato enim decreto sic declaratur: *Privilegia concessa nonnullis regularibus in c. In his de Privil. et per aliquos Summos Pontifices communicata aliis regularibus utendi dicto altari portatili, in eoque celebrandi sine Ordinariorum licentiâ in locis, in quibus degunt, omninò revocata sunt per idem concilium Tridentinum.* Et idem declaravit *Bened. XIV.* in cit. bulla *Magno* §. 29. Dicit autem *P. Mazzotta t. 3. p. 186.* hoc tantum intelligendum de domibus privatis, non verò de domibus ipsorum religiosorum. Sed hic advertenda Constitutio *Innoc. XIII.* edita 15. Maji 1725. quæ incipit, *Apostolici ministerii* (apud *Merati t. 1. p. 2. in Indice n. 648.*) ubi sic habetur: *Circa missarum celebrationem in privatis oratoriis, juxta Clem. XI. Decretum (suprà relatum), Episcopi debent operam dare, ut omnia*
Tom. VI. 48

ibidem statuta, ubique servantur: additâ etiam prohibitione, ne in privatis regularium cellis, seu cubiculis erigatur altare pro re sacra faciendâ.... remotâ quâcumque in contrarium consuetudine.

561. — « Dixi: non violata; quia in Ecclesia interiùs » violata, nisi priùs reconcilietur, non licebit sub gravi » peccato, ut *Laym. l. 5. t. 5. c. 5. n. 7. ex Nav. Suar. Conc. etc.* nisi in necessitate, cum venia Episcopi (si is » adiri possit, alioquin sine ea, ut habet *Card. de Lugo l. c. n. 65.*) celebrare, aut mortuos sepelire. » (*Ita etiam Salm. tr. 5. c. 4. p. 2. n. 64. cum Lugo, et Philib. Necessitas autem sufficiens censetur, si populus non habet aliam Ecclesiam, ubi missam audiat. Si verò Ecclesia polluat incepto Canone, sacerdos utique missam prosequi debet. Pal. Suar. Conin. Laym. cum Salm. ibid. in fin.*)

Quæritur, an celebrans in Ecclesia polluta incurrat aliquam pœnam? *Sylv. v. Consecratio, 2. q. 9. Azor lib. 10. c. 26. q. 16. et Graff. Nav. etc. ap. Escob. lib. 21. n. 566.* dicunt incurrere suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, ex *c. Episcoporum de Privil. in 6.* ubi celebrantes in locis interdictis (ut ibi dicitur) ingressum Ecclesiæ sibi noverint interdictum. Sed negant probabiliùs *Suar. d. 81. sect. 4. Laym. cap. 5. n. 6. Lugo d. 20. n. 52. Bened. XIV. de Sacr. Miss. l. 5. Salm. cit. n. 64. et Escob. l. c. n. 568.* Ratio, quia textus non loquitur de celebrantibus in templo polluto, sed interdictum pro interdictum generale; differt autem templum esse interdictum, et esse pollutum. Tantò minùs incurret irregularitatem, ut rectè ajunt *Escob. Salm. et Bened. XIV. ll. cc. contra Hostiensem*, quia violatio Ecclesiæ non est censura, per cujus violationem incurratur irregularitas.

562. — « Addo 1. Ecclesia: quia oratoria, etsi deputata » ad cultum divinum, cum tamen benedicta non fuerint, » nisi in ipsis extet altare ad faciendâ divina; ut *Bon. de matr. q. 4. res. ult. n. 9.* non sunt capacia violationum. » Quod etiam consequenter de hospitalibus docent *Nav. Sot. etc.*, sed probabiliùs contrarium docent alii, cum » *Card. de Lugo n. 60.*

« Addo 2. Interiùs: quia, quod fit in turri, sacristia, » supra tectum, vel fornicem, in crypta, sub pavimento

» (nisi sit sepultura, aut singulariter benedicta), non violat » Ecclesiam. » (*Cum Salm. ibid. n. 67. in fine cum Dic. etc.*) » 565. — « Addo 5. Nisi reconcilietur: quod fieri debet ab » Episcopo, vel sacerdote, ex privilegio Papæ, quale superiores regularium pro suis templis habere, ex *Avila* notat » *Diana p. 4. t. 4. r. 91.* si fuit consecrata » (*Modò adhibeatur aqua benedicta ab Episcopo, vel à seipsis, si distet Episcopus duabus dietis, ut ait Roncag. c. 5. q. 6. cum aliis*) » quod præsumendum est, si celebretur festum dedicationis. » Si verò tantum fuerit benedicta, potest fieri reconciliatio » à simplici sacerdote aspersione aquæ benedictæ » (*Debet tamen præcedere Episcopi delegatio, ut notat Palaus p. 8. n. 14. et habetur in Rituali Rom. tit. de Bened. Aqua autem potest benedici ab ipso sacerdote, ut Salm. tr. 5. c. 4. p. 2. n. 66. et Palaus l. c. cum Barb. Henr. Laym. etc. contra Tolet. Imò Bened. XIV. de Synodo l. 3. c. 15. n. 2. in fin. ait: Si (Ecclesia) simpliciter benedicta fuerit, tunc idem Gregorius IX. in cap. Si Ecclesia, de consecr. Eccl. statuit nullâ præobtentâ delegatione, per simplicem sacerdotem, adhibitâ aquâ benedictâ, quam sanctam sive lustralem vocant, posse Ecclesiam pollutam reconciliari.*) » cum facultate » Episcopi, vel sine ea, secundum *Dian. p. 4. t. 4. res. 91.* » Censeri etiam reconciliatam, si sacrificium in ea peractum » fuerit, docet *Tamb. l. c. §. 4. ex Henr. Sa, et Diana esse* » probabile putat: negat autem *Card. de Lugo de Euch. d. 20. s. 2. n. 62.* » (*Et cum de Lugo idem meritò sentiant p. 8. n. 14. cum Azor, quia nullibi habetur celebratio succedere loco reconciliationis. Vide dicenda n. 580.*)

« Porrò Ecclesia, uti et cœmeterium violantur, seu polluantur sequentibus casibus: non tamen, nisi postquam » res evulgata fuerit. *Laym. l. 5. t. 6. c. 5.*

564. — Nisi factum publicè constat, Ecclesia non censetur polluta, etiam respectu ipsius delinquentis. *Salm. ibid. n. 67. et communiter.* Putat autem *Elbel de Sacril. n. 578. et citat Dian. Moya, et Laym. cum aliis*, quòd ad Ecclesiæ pollutionem requiratur non solum notorietas facti, sed etiam juris per sententiam declaratoriam iudicis: sed hanc opinionem non censeo esse tutam, cum sit contra communem, quam tenent ipse *Laym. tr. 5. t. 5. n. 8. Pal. tr. 11. p. 1.*

n. 2. *Salm. de sacr. miss. c. 4. p. 2. n. 67. Mazz. de sacr. miss. c. 5. §. 2. Spor. eod. tit. c. 6. n. 441. Croix l. 6. p. 2. n. 289. Ronc. eod. tit. c. 5. qu. 4.* qui omnes dicunt, sufficere ad pollutionem notorietatem sive juris, sive facti; et hoc patet clarè ex *c. Significasti de adult.* ubi ob notorietatem tantum facti fuit declaratum, Ecclesiam esse reconciliandam. Et ex eodem textu manifestè pariter deducitur, ut dicunt etiam *Less. lib. 4. c. 5. num. 87. et Escob. de missa probl. 71. n. 598. cum Nav. Sanch. Azor, etc.* quòd, cum crimen etiam secretum fuerit, si tamen postea sit publicum, sine nova culpa Ecclesia censetur violata.

« 1. Per factum in ea homicidium mortaliter malum, seu injuriosum, saltem immunitati Ecclesiae, quale etiam est, quod aliàs justum esset per sententiam judicis; nisi tamen reip. perturbator aliter capi non posset. Non est autem tale I. quod fit casu, vel ab amente; II. quod in sui defensionem; III. cujus causa data est extra Ecclesiam: quia requiritur, ut vulnus sive causa physica fiat intra Ecclesiam. *Vide Card. de Lugo d. 20. s. 2. n. 53.*

Quæritur an violetur Ecclesia, si infertur vulnus lethale sine sanguinis effusione intra Ecclesiam, et mors extra eam contingit? Negant *Suar. d. 81. s. 4. Azor l. 10. c. 26. qu. 15. et Diana p. 6. tr. 6. r. 26. cum Præp. et Reg.*, quia in *c. Proposuisti de consec. Eccl.* requiritur, ut dicunt, quòd mors intra Ecclesiam sequatur. Sed probabiliùs affirmant *Lugo d. 20. n. 53. cum communi, Laym. c. 5. n. 8. Salm. ibid. n. 68. et Escob. l. 21. n. 571. cum Nav. Con. et Marchino*; tum quia textus non exprimit requiri mortem intra Ecclesiam, cum ibi dicatur tantum: *Homicidia contingunt fieri; et aliquando vulnera inferuntur*; et tunc requiri reconciliationem: ergò ex textu nequaquam requiritur mors intra Ecclesiam secuta; tum quia sufficit ad violationem Ecclesiae, ut causa mortis physica intra Ecclesiam data sit (dicimus *physica*, nam benè ajunt *Escob. et Lugo l. cc.* non sufficere causam moralem, nempe mandatum, sive consilium homicidii datum in Ecclesia). Et sic etiam violatur Ecclesia, ut dicunt *Lugo num. 53. et Escob. n. 577. cum Suar. Graff. Sylv. Azor, Nav. Tol. Avil. Reg. et Sayr. (contra Dian. p. 6. tract. 6. r. 47. et Persicum apud Escob. n. 575.)* si vulnus fiat intra Ecclesiam, et sanguis fundatur extra; quia Eccle-

sia polluitur non tam per sanguinis effusionem, quam per actionem injuriosam, quà causatur effusio: in textu autem *cap. Si Ecclesia. de consecratione Eccl.* qui mox infra adducitur, ubi dicitur per sanguinis effusionem Ecclesiam violari, non requiritur effusio intra Ecclesiam, unde semper, si adest percussio injuriosa cum sanguinis effusione, violatur Ecclesia. Idem dicendum, si aliquis existens extra Ecclesiam sagitta, vel scelo alterum occidat, ut *Salm. tr. 5. c. 4. p. 2. n. 68.* Secus verò dicendum, ut benè ait *Lugo dict. n. 53.*, si vulnus infligatur extra, et intra Ecclesiam mors eveniat, aut sanguis effundatur, quia tunc abest injuria in Ecclesiam.

565. — « 2. Per mortaliter malam effusionem proprii, vel alterius sanguinis, vel seminis causatam, vel factam in templo, licet non in templum. Unde non violat I. Si pauculae guttae effluant; quia non est effusio. » (*Ut dicunt etiam communiter Bened. XIV. de Miss. t. 9. l. 5. c. 7. Elbel de Sacril. n. 578. cum Fel. Potest. et Salm. ibid. n. 69. cum Dic. Phil. et aliis, idque patet ex c. Si Ecclesia 10. de consec. Eccl. ubi dicitur: Si Ecclesia non consecrata cujuscumque fuerit semine, aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur. Nota to sanguinis effusione quae copiam significat.*) « II. Si ex percussione vel vulnere levi, » v. gr. narium in rixa puerorum, etiamsi copiosus sanguis effluat, » (*Ita etiam Elbel loc. cit. Lugo d. 20. n. 54., quia in hoc communiter non adest peccatum mortale. Imò Sa, v. Ecclesia num. 15. Diana p. 5. tr. 6. r. 24. et Sotus, Vict. Fag. Marchin. ac Graff. ap. Escob. l. 21. n. 572. id extendunt etiam ad adultos, quia sanguis è naribus effluens non dicitur propriè effluere è vulnere cum è naso facile soleat sanguis emanare. Sed probabilis Bon. de matr. d. 9. p. ult. n. 20. et Escob. n. 574. cum Sylvio, Con. et Franc. Lugo putant violari Ecclesiam, si talis effusio accidat cum peccato mortali, quia tunc jam adest effusio graviter in Ecclesiam injuriosa.*) « III. Si fiat ex sectione venæ. IV. Actus conjugalis, quando excusatur à sacrilegio. » (*Vide dicta de hoc l. 4. n. 458.*) « V. Fornicatio facta ab amente. VI. Pollutio inculcata; vide de Lugo d. 20. n. 54. et 55.

566. — « 5. Per sepulturam excommunicati non tolerati, vel infidelis (quo nomine hic non comprehenditur haereticum) docet *Card. de Lugo l. c. n. 57.*, etiam infantis ut ex c.

» *Ecclesiam de Consecr. dist. 1. docet Præp.* Quamvis, si
 » pueri parentes sint fideles, negat *Sayr. Vide Bon. de Euch.*
 » *et matr. d. 4. q. 4. p. ult.*

567. — « 4. Per destructionem Ecclesiæ ex toto, vel ma-
 » jore parte » (*Parietum vel crustæ. Pal. p. 7. num. 18.*
Salm. tr. 5. c. 4. p. 2. n. 74. cum Suar. Laym. et Bus. infra
n. 2.); « quamquam eo casu dicatur potius excerari, quam
 » *pollui; non autem si solum tectum, vel si successivè per*
 » *partes modicas destruat, et reficiatur. » (Etsi Ecclesia*
tota renovetur. Pal. ibid. Salm. l. c. n. 76. cum Nav. Barb.
etc. Notant Salm. ibid. in fine cum Gabr. quod pollutâ
Ecclesiâ, polluitur etiam cæmeterium; sed non contrâ.)

» Neque etiam per desolationem, exercitium hæreticum,
 » spurcitiâ hominum, vel animalium istic stabulatorum,
 » etc., etsi deceat, et praxis habeat. ut per Episcopum, vel
 » saltè sacerdotem cum aliqua cæremonia reconcilietur,
 » et abluatur: quod in simili casu intellige de altari. *Laym.*
 » *l. 5. t. 5. c. 5.*

568. — « Quæres. Quid sit, et quando fiat execratio, seu
 » resecreatio?

» Resp. Execratio dicitur, cum res sacra perdit suam con-
 » secrationem, ita ut de novo consecrari debeat, quod fit,
 » quando ita destruitur, ut formam, et usum suum perdat.

Unde resolves:

— « 1. Pollutâ Ecclesiâ, polluta etiam sunt altaria ejus
 » fixa: non tamen, execratâ Ecclesiâ, execrantur altaria,
 » nec contrâ.

— « 2. Ecclesia execratur, si parietes secundum majorem
 » partem destruantur, vel omnis eorum crusta, aut major
 » saltem pars simul auferatur. Secus autem, si una post
 » alteram. *Vide Lugo d. 20. n. 65. » (Et hoc etiamsi per*
intervalla hebdomadarum vel dierum Ecclesia tota nova fiat,
ut Suar. d. 81. sess. 4. cas. 6. Laym. c. 5. n. 16. et Pal.
p. 8. n. 13. cum Sylvest. Sa, et Barb., quia quæcumque pars
accedens manet consecrata, cum majus dignum trahat ad se
minus dignum. Idque procedit, etiamsi adsit animus totam
Ecclesiam destruendi, ut ait Pal. l. c. cum Nav. Suar. Barb.
etc., quia intentio illa non officit, quin consecratio perdu-

ret.) « Non autem si tectum corruat, quia consecratio est in
 » parietibus. *Vide Laym. l. c.*

569. — « 5. Altare exceratur 1. Si, cum fixum est, lapis
 » consecratus removeatur ab inferiori structura.

Ita ex c. *Ad hæc et c. Ligneis, de consec. Eccl.* Intellige
 hoc de mensa totaliter consecrata, ita ut in qualibet ejus
 parte possit sacrificari. Non exceratur tamen altare, si ali-
 qui tantum lapides structuræ dimoveantur, ut docent *Suar.*
d. 81. sect. 5. Laym. c. 6. n. 6. Pal. p. 11. num. 9. Imò
Vasq. et Suar. apud eundem dicunt non excerari altare, si
tota mensa cum lapidibus, quibus inhæret, alibi transfera-
tur; quia textus non loquuntur de separatione à loco, sed
de separatione à structura. Hæc de altari fixo; sed altare
portatile minimè exceratur, si ara moveatur à lignis, sive
à capsula, ubi ara est inclusa; capsula enim illa non pro
forma, sed ad custodiam et ornatum tantum instituta est,
ut rectè dicunt Suar. l. c. Laym. n. 5. et Pal. cum Sa,
Sylvest. Abb. et Con. contra Palud. et Ang. Textus autem pro-
hibentes separationem loquuntur tantum de altari fixo.

Nota hic autem decretum S. C. Rit. editum die 5. Dec.
 1661. apud *Merati t. 1. p. 2. in Indice n. 595.* ubi sic dictum
 fuit: *Habens indultum à Sede apostolica erigendi oratorum*
privatum in propria domo, si quis voluerit ibi ædificare
altare ligneum, non indiget facultate apostolicâ; dummodò
altare ligneum cum sacro lapide parieti colligatum amovi-
bile non sit, et altaris portatilis imaginem non præ se ferat.
Vide n. 424. 15.

« 2. Si ita frangatur (sive fixum, sive portatile sit), ut
 » in nulla ejus integra parte calix cum patena possit con-
 » sistere » (*Secus si in aliqua parte calix et patena cum hostia*
consistere possit, ut Salm. tr. 5. c. 4. p. 5. n. 79. Lugo, Pal.
etc. item Cont. Tourn. de sacrif. cap. 9. art. 2. sect. 7. quer. 7.
r. 5. ex c. 5. de Consec. Eccl. ubi præcipitur, altaris tabula
denuò consecrari, si enormiter fracta fuerit saltem ex majore
parte, ut ait Tamb. c. 4. §. 1. num. 5. An autem ara possit
fieri ex duobus lapidibus conjunctis? Affirmant Hurt. et Pasq.
apud Croix n. 514. Sed communissimè et rectius negant Salm.
ibid. n. 80. Tourn. p. 804. au. 2. et Tamb. c. 5. §. 1. n. 6.
cum aliis.)

« 3. Si spoliatur sepulchrum : quod tamen quidam negant ,
» ut Lugo , Tamb. l. 1. c. 5.

Dubitatur hic 1. An reliquiae Sanctorum sint necessariae ad consecrationem altaris :

Prima sententia affirmat , quam tenent *Sylv. v. Altare , quæst. 1. Azor t. 1. lib. 10. c. 27. quæst. 8. Habert t. 5. p. 704. quæst. 5. Cont. Tourn. loc. cit. v. Quær. 5. Armilla etc. apud Escob. l. 21. n. 421. Probatur 1. ex c. Placuit de Consecr. dist. 1. ubi præcipitur everti altaria , quæ carent reliquiis : et idem habetur in conc. Carthag. V. c. 14. Probatur 2. can. 7. vel 9 concilii Nicæni II. ubi dicitur nullum templum consecrari sine Sanctorum reliquiis. Probatur 3. ex consuetudine Ecclesiæ , quæ satis indicatur per orationem illam , quæ dicitur in missa : *Oramus te , Domine , per merita Sanctorum tuorum quorum reliquiae hic sunt , etc.**

Secunda sententia verò communior negat reliquias esse necessarias ; et hanc tenent *Suar. d. 81. sect. 5. Laym. c. 6. n. 8. Lugo d. 20. n. 75. Pal. p. 9. nu. 5. cum Panorm. Vasq. et Con. Viva qu. 5. art. 6. n. 9. Elbel p. 145. n. 159. ac Escob. l. 21. n. 422. cum Ang. Host. etc. et probabilem putant Croix l. 6. p. 2. n. 506. et Merati t. 1. p. 2. n. 598. Ratio , quia (ut dicunt) nullibi habetur de reliquiis ponendis expressum præceptum ; illud enim quod extat in *cit. c. Placuit , et can. 14. Carthaginensis* , ajunt non esse alicujus concilii generalis. Illud autem , quod habetur in concilio Nicæno , dicunt intelligi de reliquiis requisitis in Ecclesia , non autem in omni altari ; saltem tale præceptum , ut censent , si unquam adfuit , per contrariam consuetudinem est abrogatum. Ad orationem autem illam missæ , *Quorum reliquiae , etc.* respondent intelligi sub conditione si adsint. His tamen non obstantibus , puto non recedendum à prima sententia , tum propter universalem contrariam consuetudinem , quam non immeritò *Cont. Tourn. ibid.* censet firmatam ex eo quòd (ut advertit cum *Sylvio*) in antiquo Missali præcipiebatur omitti prædicta oratio in missa , si desint reliquiae , at posteriora Missalia hanc exceptionem abstulerunt ; tum propter decreta S. C. Rituum , mox infra adducenda , ubi declaratur execratum altare , à quo remouentur reliquiae , vel frangitur sigillum ; unde satis probatur , reliquias esse necessarias ad altaris consecrationem. Et clariùs hoc declaratum fuit alio decreto 19 Jan. 1614. *ap. Croix l. 6.**

p. 2. nu. 2055. Decr. 143. ubi dictum fuit , permitti altare portatile ligneum , dummodò habeat reliquiarum repositorium.

Dubitatur 2. an altare amittat consecrationem si frangatur sigillum , vel removeatur sepulchrum cum reliquiis ? Nomine *sepulchri* intelligitur locus ille , in quo reliquiae reconduntur : nomine verò *sigilli* intelligitur parvulus ille lapis , quo sepulchrum clauditur.

Prima sententia negat , et hanc tenent *Suar. d. 21. sect. 1. Elbel p. 154. n. 259. cum Anacl. et Escob. lib. 21. n. 426. cum Franc. Lugo , et Aversa , item Soto , Vasq. Con. Tamb. ap. Croix nu. 506. in fine* , qui probabilem putat cum *Laym. c. 6. n. 9. Utuntur eadem ratione quâ supra , nempe quia non constat de præcepto , quòd reliquiae sint necessariae ad consecrationem altaris.*

Secunda sententia tamen communior affirmat , et hanc tenent *Holz. p. 85. n. 371. Spor. p. 147. num. 376. Cont. Tourn. loc. cit. quær. 7. r. 5. An execretur , cum Pontas , Habert t. 5. p. 704. q. 5. Laym. l. c. cum Sylv. Angelo , Durand. Henr. etc. communiter* ut asserit , item *Bon. Sa , etc. ap. Pal. p. 9. nu. 6. Ratio* quia (ut ait *Laym.*) talis est consuetudo Ecclesiarum , ut altaria , fracto sigillo vel amoto sepulchro , iterùm consecrentur. Et hanc sententiam tenendam censeo ex decreto S. C. Rituum , nam die 5 Martii 1605. sic declaravit : *Altare portatile tunc consecrationem amittit , quando frangitur , vel loco movetur repositorium reliquiarum. (apud Pitton. t. 1. de Ritib. num. 184.)* Item die 5 Martii 1625. declaravit : *Celebrari non potest super altare , à quo furtim , non amotâ , vel factâ mensâ , subtractæ fuerint Reliquiae à militibus , nisi altare de novo consecretur ; (apud eumd. Pitton. num. 699.)* Item die 21 Junii 1710. sic respondit : *Si altare fuerit consecratum ad modum altaris portatilis , non execratur in quavis remotione , sed tantum quando frangitur sepulchrum Reliquiarum ; (ap. Pitton. n. 1687.)* Attamen dicunt *Cont. Tourn. ibid. in fin. et Spor.* , quòd urgente necessitate non erit illicitum in tali altari celebrare.

Hic obiter notandum aliud decr. S. C. editum 10 Nov. 1599. (*ap. Pitton. n. 100.*) ubi dictum fuit : *Si sub altari , vel sub ejus gradibus humata sint defunctorum cadavera , non est illic celebranda missa , donec aliò transferantur.* Idem confirmatum fuit die 15 Junii 1655. *ap. Pitton. n. 672.* Notat

tamen *Croix l. 6. p. 2. n. 2067.* quòd si cadavera sint humata profundè in cella aliqua, sub alto fornice constructa, non videtur prohibèri super illam dici missam; tunc enim cadavera videntur satis separata ab altari, neque tunc super ea cadent verba, *quorum reliquæ hic sunt.*

370. — « 4. Calix execratur, si notabiliter frangatur, vel » ita, ut fiat inutilis ad usum sacrificii : v. g. si foramen sit » in fundo, licèt minutissimum. » (*Non verò si foramen sit in loco superiori, ita ut calix benè possit sacras species retinere. Ronc. c. 5. q. 4. cum Diana*) « vel si figura destruat : » non tamen si in tornatili pes separetur à cuppa, quia in » tornatili consecratur sola cuppa. *Bon. d. 4. c. ult. p. 9. ex Suar. etc.* » (*Vide infra hùc Dubitat. 4.*) « Neque execra- » tur, si pereat inauratio. Unde, licèt communiter calix, et » pàtena, post novam inaurationem, quoad eam partem, » qua Christi corpus, vel sanguinem contingunt, denuò con- » secrèntur, id tamen necessarium non esse, docent *Durand.* » *Con. et alii contra Suar. Bon., et alios,* etsi decet, ut » abluantur aquà benedictà. Ita *Dian. t. 1. Misc. res. 3. et Laym. hic, item Lugo. d. 20. n. 94.*

Dubitatur 1. An execratur calix, si pereat inauratio? Affirmant *Az. Palud. etc. ap. Escob. l. 21. n. 468.* quia tollitur subjectum immediatum consecrationis, cùm tota unctio in superficie calicis fiat. Negant verò probabiliùs cum sententia communi *Lugo d. 20. n. 94. Sporer n. 599. Cont. Tourn. cap. 9. art. 2. sect. 8. quer. 6. r. ad 5. cum Suar. Laym. Sylvest. Ang. et aliis passim* ut asserit, et *Escob. n. 470. cum Con. Fill. Arm. etc. communiter* ut ait. Ratio, quia, licèt unctio non fiat nisi in superficie, tamen tota moles calicis consecratur; et patet, quia si calix non sit tornatilis, et ejus pes frangatur, etiamsi cuppa integra maneat, calix erit exècratus, ut omnes communiter dicunt; ergò non in sola superficie consistit consecratio, sed in toto calice.

Dubit. 2. An calix, qui de novo inauratur, novà indiget consecratione? Affirmant *Suar. dub. 81. sect. 5. Az. c. 28. q. 4. Bon. p. 9. n. 19. item Vasq. Sylv. Ang. Tamb. etc. ap. Salm. tr. 5. c. 4. p. 4. n. 90.*, quia calix consecratur propter contactum sanguinis Christi; unde quando illius superficies non est consecrata, necessariò requiritur, ut calix de novo consecratur. Negant verò probabiliùs *Laym. c. 6. n. 7. Lugo d. 20. n. 95.*

Elhel n. 281. Tamb. §. 5. n. 6. Escob. l. 21. n. 475. cum Durando, et Dian. item Conc. Sa. et Gab. ap. Salm. loc. cit. in fin. Et probabile putat *Pal. p. 10. n. 12.* atque valde adhæret *Cont. Tourn. loc. cit. v. Major est. Ratio,* quia cùm sit communis doctrina, ut mox supra vidimus, quòd calix, amittendo inaurationem, non amittat consecrationem; ita pariter consecrationem non amittit, si de novo inauetur, prout si Ecclesia consecrata de novo dealbetur, novà non indiget consecratione; ut communiter DD. sentiunt; aut si corporali lacero aliqua exigua pars assuatur, hæc etiam manet benedicta, ut clarè inferitur ex *c. unico de consecr. Eccles. in 6.* ubi dicitur: majus dignum trahere ad se minus dignum. Objiciunt: licèt calix remaneat consecratus, non est tamen consecrata superficies illa aurea, quæ sola immediatè tangit sanguinem Christi; pari modo si intra cuppam calicis alia subtilior cuppa poneretur, ista non fieret sacra; ita *Suar., et Vasq.* Sed facilè respondetur cum *Lugo*: Superficies illa per conjunctionem ad calicem consecratum, benè fit etiam sacra, sicut dealbatio Ecclesiæ, et pars corporalis fiunt sacre per adjunctionem, ut diximus; item, si oleum non consecratum in minori parte consecrato immisceatur, ex ipsa mixtione consecratur, ut patet ex *c. Quod in dubiis 5. de consecr. Eccl.* ubi dicitur: *Non negamus, quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri.* Alia autem est ratio cuppæ in aliam immixtæ, quæ utique est vas distinctum, ac superficiei aureæ, quæ fit pars ejusdem calicis, et facit unum cum illo.

Omnibus tamen his prædictis non obstantibus, cùm meliùs rem perpenderem, judicavi quòd novà peractà inauratione calicis, denuò ipse est consecrandus; ratio, quia tunc superficies calicis, quæ immediatum contactum habet sanguinis Christi, sine consecratione remanet; tantò magis quòd, ut testantur *Barbos., et alii plurimi,* talis est praxis Ecclesiæ, et recepta consuetudo calices denuò consecrandi, cùm denuò inaurantur. Casu autem quo per longum usum inauratio deperdat, puto probabiliùs dicendum cum *Silvio,* et *Ferraris,* non requiri novam consecrationem ad celebrandum cum hujusmodi calice; quia tunc viget ratio, quòd calix semel consecratus, totus deinde per modum unius consecratus remanet. Cùm verò nova fit inauratio, intervenit aurum

de novo additum, quod non est consecratum, immediatè sanguinem tangens.

Dubitatur 3. An liceat celebrare in calice nunquam deaurato? Affirmat *Tamb. Meth. Miss. etc. cap. 1. §. 1. n. 3.*, quia (ut ait) ita usus obtinuit; sed hæc ratio saltem hodie non videtur subsistere, cum undique hodie usus sit in contrarium. Id autem probabile censet *Croix l. 6. p. 2. n. 346. cum aliis passim* ut asserit, fortè alià ratione ductus, nimirum quia, etsi in Rubrica *tit. 1. de Præpar.* dicatur: *Calix debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, et simul cum patena itidem inaurata*, attamen in alia Rubrica *de defect. tit. 10. n. 1.* sic habetur: *Calicis cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea: non ærea, vel vitrea*, nullà mentione factà de inauratione; ex quo inferitur illius deficientiam non esse inter defectus computandam. Et in prima Rubrica dici posset requiri inaurationem tantum de congruitate, et ad majorem decentiam, cum ibi simul expressè requiratur calix aureus, vel saltem argenteus, et nihilominus, in secunda Rubrica etiam stanneus admittitur. Alii verò, ut *Cont. Tourn. cap. 9. art. 2. sect. 8. v. Quær. 6. et Lugo d. 20. n. 90.* dicunt non eximi à culpa veniali consecrantem in calice non inaurato, nisi paupertas excuset. Et hoc videtur probabilius, cum in prima Rubrica dicatur, quòd calix debet saltem habere cuppam argenteam inauratam, etc. Idque confirmatum est ex communi consuetudine. Nec obstat secunda Rubrica, ubi permittitur calix stanneus; hæc enim intelligi debet juxta textum in *can. Ut calix 43. de Consecr. dist. 1.* ubi permittitur consecrare in calice stanneo, tantum ratione paupertatis; nec putandum est, Rubricam in hoc vobisse textui derogare; unde, ne dicatur Rubricam sibi contradixisse, dicendum est, quòd prima rubrica intelligenda est juxta secundam, nempe requirere calicem argenteum, nisi excuset paupertas: et sub eadem limitatione intelligi debet, cum requirit inaurationem. Hic autem obiter notandum, quòd Rubrica permittit calicem stanneum, sed non æreum: verum dicit *Holz. n. 573.* in hac Rubricà non prohiberi calicem ex ære, vel aurichalco inauratum; nam in cit. textu *Ut calix*, in tantum talis calix vetatur, in quantum hic *ob virtutem vini æruginem parit, quæ vomitum provocat*: sed calix æreus inauratus æruginem

non parit; et ideo ait *Holz.* hoc usitari in Germania pro Ecclesiis pauperibus.

Dubitatur 4. An calix amittat consecrationem si cuppa separaretur à pede? Si cuppa sit fixa pedi, certum est apud omnes amittere consecrationem; si verò pes sit tornatilis, etiam affirmant *S. Antonin. 5. part. tit. 13. §. 5. et Palud. Sylv. etc. ap. Escob. l. 21. n. 474.* quia calix per separationem jam formam amittit. Sed communiter negant *Suarez d. 81. sect. 7. Bon. p. 9. n. 20. Lugo d. 20. n. 95. Ronc. c. 6. q. 4. et Escob. n. 476. cum Fill. Aversa, Hurt. et aliis.* Ratio, quia per talem separationem calix reverà formam non perdit, cum ejus partes sine novo artificio jungi possint.

571. — « 5. Vestes sacræ execrantur, quando ita destruuntur, ut perdant suum usum; ut si cinguli parte te non amplius cingere possis, vel si manica ab alba separatur, etiamsi postea reparatur. Non perditur autem, etsi attritis pars aliqua assuatur; vel cinguli parti aptæ adhuc ad cingendum altera annectatur, quia tunc accessorium sequitur principale. *Lugo, Tamb. de exp. Sacr. l. 1. c. 3. §. 2.* » (Ita etiam dicunt *Cont. Tourn. loc. cit. sect. 8. in fin. v. Dico 5. Salm. tr. 5. c. 4. p. 4. n. 94. cum communi, Tamb. c. 3. §. 2. Elbel n. 282. cum Laym. Gav. et aliis passim. Unde dicunt Suar. d. 82. sect. 2. et 5. Bonac. p. 9. n. 26. Laym. cap. 6. num. 6. Cont. Tourn. ibid. quær. 11. r. 4. et infra v. Dico 5. et Pal. p. 10. n. 12. cum Nav. et Con. quòd corporale tum amittit benedictionem, cum redditur ineptum diminutione vel fractione ad decenter continendum calicem cum patena: alba, cum ab ea manica abscinditur: cingulum, cum ita rumpitur, ut neutra pars cingere possit: stola, cum non potest humeros operire; et idem dicendum, si aliqua ejus pars scinditur, quamvis statim sarciatur, quia jam suam formam amisit). « Similiter, si stola, vel casula duplicata, facili separatur, fiant duæ, quarum utraque apta sit ad sacrificium, non perdit benedictionem. *Tamb. loc. cit.* » (Ita communissimè *DD. cum Suar. d. 82. sect. 2. Salm. cit. n. 94. in sup. et Sa ap. Pal. p. 10. n. 8.*)*

« 6. Partes avulsæ à re consecrata, destructà ejus formà, desinunt esse sacræ, v. g. ligna, et lapides Ecclesiæ dirutæ, vel altaris: ob respectum tamen ad rem sacram cujus sunt reliquiæ, non possunt applicari ad usus profanos, aut di-

Tom. VI.

» vendi, sine licentia Papæ. Statuæ autem sacræ, et imagines
 » templi destructi debent in alio collocari, et in loco Eccle-
 » siæ crux erigi. Lacera etiam paramenta, aut vetustate con-
 » sumpta debent igne absumi, et non adhiberi ad usus pro-
 » fanos, ut habetur in c. *Altaris*, de *Consecr. dist. 1. Vide*
 » *Suar. et Sa, v. Missa, et Laym. loc. cit. c. 6. Tamb. tamen*
 » *l. 1. de exped. Sacrif. c. 2. §. 5. ex Pal., item Dian. p. 5.*
 » *tr. 15. res. 76. docent probabile esse, quòd non sit saltem*
 » *mortale, si mutatâ formâ ad profanos usus applicetur,*
 » *v. g. calix contractus, alba dissoluta, frustula corporalis,*
 » *etc. Vide dicta l. 4. num. 41. Quibus adde id quod*
 » *habetur in cap. Ligna, de Consecr. dist. 1. ubi Hyginus*
 » *Papa sic statuit: Ligna Ecclesiæ dedicatæ non debent ad*
 » *aliud opus jungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni sunt com-*
 » *burnenda, vel ad profectum in monasterio. Advertunt tamen*
 » *Salm. tr. 21. c. 10. p. 11. §. 2. n. 146. cum aliis communiter,*
 » *hujusmodi ligna non debere consumi in religiosorum coquina.*
 » *Præterea dicit Sylv. v. Benedictio q. 7. lapides Ecclesiæ*
 » *dirutæ in religiosorum ædificiis collocandos esse, sed hoc nemo*
 » *dicit eorum quos observavi, nec ullo textu video probatum.*

Quæres hic, an liceat sæcularibus sacerdotibus celebrare
 in Ecclesiis regularium, contra prohibitionem Episcopi? Vi-
 detur ob stare Trident. sess. 22. *Decret. de observand. in ce-*
lebr. missæ, ubi: Singuli (Episcopi) in suis diocesisibus inter-
dicant, ne cui vago et ignoto sacerdoti missas celebrare liceat.
 Sed respondèri potest ibi dici in *diocesisibus suis*; sed Ecclesiæ
 regularium sunt exemptæ à jurisdictione Episcoporum, unde
 quasi loca extra diocesisim sita reputantur, ut probabiliter
 dictum est l. 1. n. 156. in fine. Verumtamen refert *Lezana*
in Summ. q. Regul. t. 1. c. 12. n. 41. v. Ad duodecim, S. C.
concilii sub die 2. Jun. 1620. declarasse, non licere regula-
ribus in suis Ecclesiis ad celebrandum admittere presbyte-
ros sæculares contra prohibitionem Episcopi. An autem hu-
jusmodi declarationes obligent ut leges? Vide dicta l. 1. n. 106.

DUBIUM V.

Quæ sint requisita ad missam?

- 372 Prænotantur quæ sunt præscripta in Rubrica.
 375 I. Requiritur altare consecratum.
 374 II. Mappa triplex.
 375 Dub. 1. an sufficient duæ mappæ, vel una duplicata? Dub. 2.
 An mappæ debeant esse benedictæ? Dub. 3. An tam mappæ
 quàm corporale debeant ex lino confici?
 376 III. Vestes sacræ, et mundæ.
 377 Dub. 1. An sit mortale celebrare sine stola, manipulo, aut
 cingulo? Dub. 2. An ob metum mortis liceat celebrare sine
 ulla veste sacrâ?
 378 Dub. 3. An prælati regulares possint sacras vestes benedicere?
 Dub. 4. An Episcopi possint aliis delegare licentiam bene-
 dicendi vestes? (Vide etiam n. 381.) Dub. 5. An color vestium
 sit de præcepto?
 379 IV. Calix et patena consecrata.
 380 An calices, vestes, etc. remaneant consecrata, vel benedicta,
 si quis in eis celebret?
 381 An abbates possint benedicere calices, paramenta, etc. etiam
 pro Ecclesiis alienis?
 382 Quibus sit licitum tangere vasa sacra, corporalia et vestes?
 385 De pyxide, et materia ejusdem, vel calicis.
 384 Dub. 1. An pyxis debeat consecrari?
 385 Dub. 2. An debeat benedici?
 386 V. Corporale benedictum.
 387 Quibus liceat lavare corporalia? Et an aqua lotionis omnino
 mittenda sit in sacrarium?
 388 VI. Palla lineæ. An sit mortale celebrare sine palla, vel ea non
 benedicta? Et an liceat duas pallas adhibere?
 389 VII. Purificatorium. An hoc debeat esse benedictum?
 390 VIII. Missale. An liceat in necessitate celebrare sine Missali,
 vel cum Missali ritus diversi?
 391 IX. Minister masculus. Dub. 1. Quale peccatum sit celebrare
 sine ministro?
 392 Dub. 2. An peccet graviter sacerdos celebrans ministrante, vel
 respondente femina?
 393 X. Crucifixus. Dub. 1. An sit mortale celebrare sine cruce, aut
 crucifixo? Dub. 2. An manente in altari magnâ imagine
 crucifixi, alia crux requiratur? Et an crux, et aliæ imagi-
 nes Sanctorum debeant esse benedictæ?

- 394 XI. Candelæ ex cera. Dub. 1. An liceat celebrare cum candelis ex sebo, vel oleo? Dub. 2. An cum uno lumine cereo? Et an cum quatuor candelis?
- 395 XII. Antependium, pulvillus, bursa, velum, et manutergium.
- 396 XIII. Capitis nudatio.
- 397 Dub. 1. An sit mortale celebrare capite coöperto? Quid si adsit causa sic celebrandi?
- 398 Dub. 2. An liceat celebrare cum cæsarie facta?
- 399 An Rubricæ Missalis sint directivæ, vel præceptivæ?
- 400 An sit mortale omittere cæremonias leviores in notabili parte? Et quantum temporis sit in celebratione insumendum? Monitum.
- 401 An omnia decreta S. C. Rituum rigorosè obligent?
- 402 An liceat celebrare nudis pedibus, aut cum baculo, etc.?
- 403 De omissione partium missæ; et an repetenda omissa?
- 404 De partibus ordinariis omissis.
- 405 Quæ omissio sit mortalis, et signanter in canone?
- 406 Quæ verò sit tantùm venialis?
- 407 Quæ mutilatio sit mortalis?
- 408 De purificatione calicis facienda.
- 409 De partibus extraordinariis omissis; et signanter de lotionem manuum.
- 410 Dub. 1. Quomodo peccent regulares nominantes in canone nomen Generalis vice Episcopi? Et quinam Episcopus nominandus? dub. 2. An peccet omittens orationes ante vel post missam? dub. 3. An peccet omittens orationes ad vestes? dub. 4. An peccet sacerdos non recitans in missa solemnè, quæ cantantur à choro? dub. 5. Quomodo peccet celebrans voluntariè distractus?
- 411 Quomodo peccet sacerdos addens aliqua in missa?
- 412 An liceat dicere missam ante Matulinum et Laudes? Remissivè ad n. 547.
- 413 De iis, quæ voce altâ, vel submissâ dicenda sunt.
- 414 Dub. 1. An peccet ita submissè celebrans, ut nec seipsum audiat.
- 415 Dub. 2. An peccet recitans submissè, quæ altè dicenda sunt?
- 416 An sit mortale altè dicere, quæ submissè sunt recitanda?
- 417 An et quando liceat mutare missam?
- 418 In quibus diebus prohibentur missæ votivæ?
- 419 In quibus verò permittuntur? Et an tunc pro arbitrio passim dici possint?
- 420 Qu. I. An sit mortale dicere missam votivam in diebus vetitis?
- 421 Qu. II. Ob quas causas in dictis diebus possint dici missæ votivæ? 1. Ob necessitatem publicam. 2. Si in illa Ecclesia

- celebretur festum duplex 3. Si exponatur SS. Sacramentum.
4. Si præsens sit cadaver, vel dicenda sit missa anniversaria.
- 422 Qu. III. An obligatus dicere missam votivam, satisfaciat si dicat diei propriam?
- 423 Qu. IV. Quænam sint advertenda circa modum dicendi missas votivas? Et 1. De numero orationum. 2. De missis habentibus introitum particularem, etc. 3. De missis Beatorum concessis alicui ordini, vel loco. 4. De missa SS. Trinitatis, Angelorum, Spiritûs sancti, beatæ Virgin. Mariæ, et de Requiem, etc.
- 424 Afferuntur aliqua decreta magis notabilia circa missarum celebrationem.
- Quæritur hic obiter, quam ex causa liceat exponere SS. Sacramentum. Deinde queritur, quibus in Ecclesiis possit asservari Sacramentum Eucharistiæ.
572. — ANTE omnia hic refert prænotare Rubricam Missalis, quæ facit ad ea, quæ infra membratim dicenda sunt. In Rubrica p. 1. tit. 20. sic habetur: *Altare, in quo SS. missæ sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum ab Episcopo consecratum, vel saltem ara lapidea similiter ab Episcopo consecrata in eo inserta, quæ tam ampla sit, ut hostiam, et majorem partem calicis capiat. Hoc altare operiatur tribus mappis seu tobaleis mundis ab Episcopo, vel ab alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblongâ, quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel unâ duplicatâ. Pallio quoque ornetur coloris, quoad fieri potest, diei festo vel officio convenientis. Super altare collocetur crux in medio, et candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque ejus latere. Ad crucis pedem ponatur tabella, secretarium appellata: in cornu Epistolæ cussinus supponendus Missali, et ab eadem parte Epistolæ paretur cereus ad elevationem Sacramenti accendendus, parva campanula, ampullæ vitreæ vini, et aquæ cum pelvícula, et manutergio mundo in fenestella, seu in parva mensa ad hæc præparata. Super altare nihil omninò ponatur, quod ad missæ sacrificium, vel ipsius altaris ornatum non pertineat.*
575. — « Resp. Hæc sequentia: I. Et quidem sub gravi » sacrilegio requiritur altare consecratum ab Episcopo, vel » abbate (hunc enim altaria calices, et campanas posse con-

» secrare, etiam ad usum alienarum Ecclesiarum, docet *Dian.*
 » l. 5. tr. 2. res. 15. cum *Barbos. et aliis* 4. ex declaratione
 » *Cardin.* et privilegio *Innoc. III.* vel sacerdote privilegiato,
 » stabile, vel portatile: utrumque tamen ex integro lapide,
 » quantum ad superiorem mensam, quæ consecratur; debet
 » que esse tanta ut possit capere calicem cum patena. Non
 » sufficit autem, hostias esse in ara consecrata, dum conse-
 » crantur, verum etiam debent tam parvæ, quàm magnæ in
 » eadem relinqui tempore sacrificii, et non alibi, licet supra
 » aliud corporale, deponi, v. gr. propter loci angustias: »
 » (*Non igitur licet ante communionem ponere particulas conse-*
 » *cratas extra aram, ut communiter Tamb. lib. 1. cap. 5. §. 1.*
 » *n. 4. Salm. de sacrif. Miss. c. 4. p. 5. n. 79. cum Lugo. Secus*
 » *verò post communionem, ut Croix lib. 6. p. 1. n. 510. cum*
 » *Avers. et communi contra Vasq.*) » quia omnes sunt unica vi-
 » ctima, et per modum unius offeruntur. Quapropter rubri-
 » cæ Missalis eas supra corporale, ante vel post calicem poni
 » volunt. Hinc etiam minus rectè faciunt, qui, consecra-
 » tione factâ, mox hostias minores à se consecratas dant alteri
 » sacerdoti distribuendas populo, quia, sicut sacerdos non
 » debet de sua hostia dare, priusquam ipse sumpserit, sic
 » nec de aliis, cum sint una victima, et hostia, omnesque
 » orationes, oblationes, et benedictiones sequentes non mi-
 » nus spectent ad parvas hostias, quàm ad magnam, neque
 » ante sumptionem sacerdotis perfectè, et integrè sacrificata
 » sit victima. *Card. de Lugo qu. 20. sect. 2. n. 69.* Eum ta-
 » men, qui contrarium fecerit, à peccato saltem mortali,
 » imò si necessitas fuit expediendi communionem populi, ab
 » omni excusatur *Tamb. l. 5. exped. sacrif. cap. 5.*

574. — « II. *Mappa* lineæ triplex; etsi enim secundùm
 » quosdam una duplicata, imò secundùm *Sa, Angel. Azor*
 » c. 28. qu. 8. et *Laym. lib. 5. t. 5. c. 6. num. 17.* una sim-
 » plex sufficiat in necessitate: Missale tamen Romanum,
 » auctoritate *Clem. VIII.* et *Pii V.* editum expressè tres
 » requirit, *tit. de defect. uti et Gavant. Vide Card. de Lugo.*
 » Ut ea benedicta sit, non est omninò necessarium; ut
 » habet *Sylv.* Unde in necessitate vulgaris adhiberi potest,
 » et aliis usibus reddi. *Laym. l. c.*

575. — Repetamus hic ea quæ in Rubrica Missalis, ut
 » supra, circa mappas præscribuntur: *Hoc altare operiatur*

tribus mappis, sive tobaleis mundis, ab Episcopo vel ab
 alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblongâ,
 quæ usque ad terram pertingat (quod tamen hodie non est
 in usu) duabus aliis brevioribus, vel unâ duplicatâ.

Sed dubitatur 1. An sufficiant duæ mappæ, vel una duplicata?
 Affirmant *Suarez dist. 21. sect. 6. Laym. cap. 6. num. 11.*
Holzm. n. 571. Pal. p. 10. n. 1. cum Sa, Azor; item *Bon.*
Henr. et Gob. ap. Croix num. 522. etiamsi hæc duæ mappæ
 totum altare non tegant: ratio, ut dicunt, quia sic usus
 habet. Attamen puto a Rubrica non recedendum, ut sentiunt
Lugo d. 20. n. 6. Cont. Tourn. de sacrif. cap. 9. art. 2. sect.
7. v. Quær. 9. Gav. in dict. Rubr. (ubi ait contrariam opi-
 nionem non esse tutam) *Roncag. c. 6. qu. 5. et Escob. l. 21.*
n. 454. qui cum *Ang. et Avers.* miratur, quomodo aliqui
 DD. hanc obligationem non advertant post præfatam Rubri-
 cam præscriptam à *Clemente VIII.* Tantò magis quòd in
tit. de defect. §. 10. n. 4. Rubrica inter alios hunc enumerat
 defectum: *Si altare non sit tribus mappis ornatum.* Proba-
 biliter tamen ajunt *Escob. et Ronc. cum Pasq.* id culpam
 venialem non excedere. Celebrare autem sine ulla mappa,
 non excusatur à mortali, ut communiter docent DD. *apud*
Ronc. l. c. cum P. Conc. p. 502. n. 19. qui addit è converso
 nullam committi culpam, si adsit gravis necessitas sic cele-
 brandi.

Dubit. 2. An mappæ necessariò debeant esse benedictæ?
 Negant *Suar. Laym. et Pal. cum Sa locis supra cit.* item
Tamb. l. 1. c. 6. §. 2. n. 2. et consentit *Wigandt tract. 15.*
n. 65. dicens, benedictionem fieri tantùm de decentia. Ratio,
 quia (ut ajunt) nullo jure id cavetur, nec consuetudine ob-
 servatur. Hæc sententia non videtur improbabilis propter
 auctoritatem horum AA., præsertim *Suarii,* qui testatur
 consuetudinem esse in contrarium. Hoc tamen non obstante,
 magis adhæreo sententiæ oppositæ, quam tenent *Az. p. 1.*
l. 10. c. 28. q. 8. Bon. p. 9. n. 25. Cont. Tourn. loc. cit. r.
ut 1. et 2. Ronc. cap. 5. q. 5. cum Pasq. Gav. qu. 1. tit. 20.
Escob. cum Sylvest. Aversa, et Gabr. Ratio, quia in Rubricâ
 (ut supra) ita præscribitur, et in *tit. de defect. n. 4.* nume-
 ratur eodem modo pro defectu adhibere vestes non sacras,
 ac mappas non benedictas. Talis verò defectus, ut probabi-
 liter dicunt *Escob. et Roncag. cum Pasq.,* non excedit cul-

pam venialem; unde rectè docent Azor, Bon. Escob. et Cont. Tourn. *ibid.* cum Gav. Sylv. et Quarti *ll. cc.* nullum esse peccatum uti mappis non benedictis in necessitate, putà (ut ait Escob.) si adsit dies festus, et non possint haberi benedictæ; sed minorem causam sentio excusare, cum ad excusandum à veniali sufficiat quævis causa rationabilis.

Dubit. 5. An mappæ, et corporale debeant ex lino confici, vel sufficiat esse ex cannabe? Cont. Tourn. *ibid. r. ad 5. Suar. d. 81. sect. 6. Fill. tr. 5. num. 125.* dicunt omninò debere confici ex lino, et probant ex *can. Consulto 46. de consec. dist. 1.* ubi sic dicitur: *Sacrificium altaris non in serico panno* (scil. corporali, ut explicat Glossa), *aut tincto quisquam celebrare præsumat, sed in puro linteo ab Episcopo consecrato, scil. lino procreato.* Et ex *c. 27. dist. 2. de consec.* ubi mappæ vocantur *linteæ*, nempe ex lino confectæ. Sed probabilius, et communissimè sufficere esse ex cannabe, tehent Bon. *p. 9. n. 24. et Croix n. 555.* cum Gob. item Azor et Quarti apud cit. Cont. *ibi aq. Arm. Tab. et Reg. ap. Escob. n. 446.* Ratio, quia cannabe, et linum juxta communem usum indifferenter sumuntur.

576. — « III. Sub gravi sacrilegio vestes sacræ, hoc est » benedictæ ab Episcopo, vel sacerdote habente privilegium, » ut habent Mendicantium saltem superiores, sive prælati. » Vide Tamb. *l. 1. c. 5. §. 2. exped. sacr.* Quarum tamen » colores non esse præcepti, sed directionis, notat Homob. » apud Dian. *p. 2. t. 14. r. 37.* In gravi autem necessitate, » etsi præstet, si sine scandalo fieri possit, missam, cujus » audiendi, vel faciendi obligatio tunc cessat, omittere, » licè celebrare sine stola, vel manipulo, vel etiam uti » cingulo non benedicto, vel si fractum sit, rursus conne- » tere, vel stolà pro manipulo, et manipulo pro stola, » docent Laym. *l. 5. t. 3. c. 6. Dian. p. 1. r. 37. et 67. contra* » Fill. *t. 1. l. 5. c. 5.* qui tamen concedit in necessitate sine » una, vel altera ex minoribus, v. g. stola, vel cingulo cele- » brare, non esse mortale. Vide Dian. *p. 3. t. 5. r. 62.* ubi » contra Fill. et Hen. et alios sex, docet esse probabile, » quòd ex parvitate materiæ excusari possit à mortali, qui » (secluso scandalo, et contemptu) aliquam harum circa ne- » cessitatem omittit, v. g. qui celebrat cum cingulo non » benedicto, vel ejus loco utitur alià re. Denique metu mor-

» tis, aut gravissimi damni, licè aliquando celebrare sine » sacris vestibus, et altari, dummodo non fiat in contem- » ptum religionis, ex Azor *t. 1. l. 1. c. 11. q. 11.* docent » Escob. *e. 2. c. 2. Nav. Hurt. etc.* Limitat autem Tamb. *de* » *exped. Sacrif. l. 1. c. 5. §. 1.*, ita ut permittat sine aliqua » etiam ex gravioribus, non tamen sine omnibus fieri, ob » scandalum et irreverentiam. Vide Dian. *p. 5. t. 6. r. 48. et* » *p. 5. t. 5. r. 59.* Porrò hujusmodi sacras vestes conficere » ex profanis, v. g. planetam ex veste serica muliebri, non » est prohibitum. Suar. Palau, Tamb. *exped. Sacr. l. 1.* » *c. 2. §. 4.* qui monet *l. c. §. 1.* cavendum esse, ne sint » valde attritæ; ut et ne reliqua supellex sacræ sit valde » immunda, in quo graviter peccari potest. Suar. Laym. » Tamb. *l. c.* » (In *c. Relinqui*, de *cust. Euch.* sic habetur: Præcipimus, ut oratoria, vasa, corporalia, et vestimenta munda et nitida conserventur. Notat autem Tamb. *d. n. 1.* ex Suar. *illud valde, sive enormiter immunda, difficulter evenire. Uti verò corporali et aliis paramentis non enormiter immundis, esse tantum veniale, imò nullum peccatum, si alia haberi non possint, ut Croix n. 556.* cum Suar. et Gob. *Additque Cont. Tourn. de sacrif. cap. 9. art. 2. sect. 8. quer. 11. r. 5.* non peccare, qui uteretur corporali etiam notabiliter immundo, in necessitate, nempe si ipse vel alii deberent aliàs omittere Sacrum de præcepto. Uti vestibus sacris, etiam attritis, ad usus profanos est mortale, ut dicunt Suar. *d. 81. sect. 8. Sporer n. 414. et Wigandl tr. 15. n. 62. ex c. 59. et 45. de Consec. dist. 1.* Vestes tamen sacræ in usibus profanis adhibitæ non amittunt benedictionem. Sporer et Wig. *ll. cc.*)

Consuit Walfridus *c. 24.* primis temporibus missas lectas fuisse à sacerdotibus in communi indumento; et Honorius in *Gemma l. 1. cap. 89.* fert S. Clementem usum sacrarum vestium decrevisse. Sed Baronius, Raynaud. Bona, Waldens. *etc. ap. Bened. XIV. Not. 21. n. 6.* sentiunt etiam apostolos usos fuisse peculiaribus vestibus in sacrificio; atque ex hujusmodi vestibus putant *ib. Calmet, Visconti, etc.* fuisse Penulam, quam memorat D. Paulus *Act. 16.*

577. — Certum est autem apud omnes, mortale peccatum esse celebrare sine ullis vestibus sacris, ex *cap. Vestimenta, de consec. dist. 1.* et præsertim procul dubio sine casula,

vel alba (*vide dicta n. 289.*) Sed dubitatur 1. An peccet mortaliter celebrans sine stola, aut manipulo, aut cingulo? Negant *Palud. Sylv. Henr. ac. Ricch. ap. Escob. l. 21. n. 485.* (qui id probabile vocat) quia censent hanc non esse gravem materiam. Sed loquendo de stola, et manipulo, verius affirmandum cum communi sententia, quam tenent *Suar. Fill. tr. 5. c. 5. n. 147. et 148. Laym. c. 6. n. 17. Bon. p. 9. n. 27. Tamb. l. 1. c. 5. §. 1. n. 5. Diana p. 2. tr. 14. r. 57. et Escob. n. 485. cum Vasq.* Ratio, quia deficiente alterutra istarum vestium, quæ communiter majores aestimantur, deficit cultus sacrificio debitus. Idem dicendum cum eisdem AA. de celebrante cum stola, vel manipulo non benedictis. Probabiliter tamen excusat gravis necessitas, ut docent *Laym. et Fill. ll. cc. Ronc. c. 6. q. 5. Wigandt tr. 15. num. 62. et Elbel p. 260. cum Spor. et Rodr.* Idem quod de stola et manipulo, censent de cingulo *Fill. n. 148. Suar. l. c. Nav. Man. c. 25. n. 84. item Vasq. Villalob. Molf. etc. ap. Dian. p. 2. tr. 14. r. 68.* Sed probabiliter negant esse mortale sine cingulo celebrare, vel non benedicto, *Ronc. c. 6. q. 5. Sylv. v. Missa 1. n. 2. Sa eodem v. num. 10. et probabile putant Lugo d. 20. n. 102. Salm. tr. 5. c. 4. p. 4. n. 92. et Diana p. 2. tr. 14. r. 68. cum Scoto, Palud. Henr. Fag. et Ric.* Et idem sentit *Croix n. 527. cum Pasq.* de celebrante sine amictu, saltem pro eis qui illo non utuntur ad tegendum caput, sed tantum humeros; et consequenter probabile est, ut ait *Tamb. n. 4. cum Diana*, nullum esse peccatum celebrare sine cingulo, vel amictu, si desint, et adsit aliqua rationabilis causa celebrandi, nempe fervor devotionis, vel opportunitas eleemosynæ sacerdoti non diviti.

Dubit. 2. An ob metum mortis liceat celebrare missam sine ulla veste sacra?

Prima sententia affirmat, modò absit contemptus; et hanc præter *Az. Nav. Hurt. etc. ut supra ap. Busemb. tenent Laym. l. 5. tr. 5. c. 6. n. 17. Quarti p. 2. tit. 1. q. 4. dub. 6. Escob. l. 21. n. 489. Sylv. ap. Cont. Tourn. de sacrif. cap. 9. art. 2. sect. 8. in fin. v. Utrum. Diana p. 5. tr. 6. r. 48. cum Val. Vasq. Bec. et Salus, item Salon. Bon. Pasq. Gob. et Spor. ap. Croix l. 6. p. 2. n. 559.* Ratio, quia vestes sacræ requiruntur tantum de Ecclesiæ præcepto, quod non obligat cum tanto dispendio.

Secunda sententia verò, quam sequimur, negat, eamque tenent *Suar. dub. 82. s. 5. v. Secundo, Tamb. Meth. de Miss. l. 1. c. 5. §. 1. num. 6. cum Fag. et Marchino, Cont. Tourn. l. c. cum Merati, Ronc. c. 6. q. 1. r. 5. Conc. p. 501. n. 15. item Cajet. Nugn. Sanch. Pal. Fill. etc. apud Croix loc. cit.* Ratio, tum quia celebrare sine ulla veste sacra vix potest accidere sine contemptu, ut fatentur ipsimet *Laymann et Escob.*; unde ait *Croix cum Aversa*, contrariam sententiam in praxi vix esse probabilem; tum quia id non potest fieri sine scandalo, aut saltem sine magna irreverentia; quapropter hic subintrat præceptum naturale reverentiæ in quocumque casu debitæ sacrificio, à quo præcepto metus mortis non excusat. Utrum autem ob talem metum liceat aliquando celebrare sine aliqua ex vestibus, etiam ex majoribus, putà stola, vel manipulo? Non improbabiler secluso contemptu, affimant *Ronc. et Tamb. cum Fag. ll. cc. favetque Suar. dict. sect. 5.*, quia hæc non videtur esse tanta irreverentia, ut celebratio coonestari non possit ob metum mortis; *vide mox dicta n. 577.*

578. — Dubit. 5. An prælati regulares possint sacras vestes benedicere? Certum est apud omnes posse pro suis Ecclesiis, ex pluribus privilegiis eisdem concessis. Nam (ut refert *Tamb. l. 1. c. 5. §. 2. n. 5.*) *Innoc. VIII.* id concessit vivæ vocis oraculo Congregationi S. Justinæ de Padua, et consequenter aliis communicantibus; item *Leo X.* per bullam hoc privilegium impertivit fratribus Minoribus pro suo usu tantum; illudque confirmavit *Sixtus IV.* exceptis corporalibus; sed *Alex. VII.* die 27 Sept. 1659. (ut refert *Bened. XIV. Not. 21. n. 19.*) per decretum quod incipit, *Sacrorum Rituum*, indefinitè præbuit facultatem abbatibus benedicendi ecclesiasticam suppellectilem, dumtaxat pro suis Ecclesiis. Dubium autem vertit inter DD. an prælati regulares possint etiam benedicere pro alienis Ecclesiis?

Prima sententia negat, et hanc tenent *Cont. Tourn. ibid. v. Porrò, cum Barb. Gav. part. 4. tit. 19. n. 22. Merati, t. 1. part. 2. p. 1525. n. 27. et Bened. XIV. Notif. 21. n. 14. ex decreto S.C. Rit. die 24. Aug. 1609. (apud Gav.)* ubi dictum fuit: *Superiores regularium, neque abbates posse benedicere paramenta Ecclesiarum non sibi subditarum.*

Secunda sententia verò affirmat, eamque tenent *Salm. tr.*

§. c. 4. p. 4. n. 85. *Holz. n. 574. cum Anacl. et Elbel p. 144. n. 261.* ex privilegio enuntiato *Innocentii VIII.* Idemque censet *Tamb. l. c. n. 7. cum Marchino, et Tamb. de Jure abb.* pro omnibus regularibus, ut ait, exceptis tantum superioribus Societatis, et Fratrum Minorum, quibus à *Leone X.* ut supra privilegium restrictum fuit. Nec ob stare ait *Tamb.* decretum S. C., quia constat de privilegio, non verò de ejus revocatione. Sed hoc non obstante, omninò tenenda est prima sententia ex decreto præfato *Alexandri VII.* (quod referunt *Merati, et noster Papa Bened. l. c.*) in quo sic sancitum fuit: *Prælati inferiores Episcopis, qui Pontificalium usu fruuntur, ecclesiasticam suppellectilem pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum vel monasteriorum benedicant.* Pariter ibi declaratum fuit: *Reliqua Pontificalia extra loca ipsis abbatibus subjecta, vel pro servitio alienæ Ecclesiæ, aut in subditos pariter alienos; etiam de licentia Ordinarium exercere non valeant, putà campanarum benedictiones, calicum, et similia, in quibus sacra adhibetur unctio, nec minorum ordinum collationes.* At quia prædicti prælati recurrebant ad privilegia pro benedicendis paramentis etiam aliarum Ecclesiarum, S. C. habita coram eod. *Alex. VII.* die 20. Julii 1660. mandavit, exhiberi indultum authenticum, ac interim abstinere. Sed hoc indultum, ut testatur *Benedictus*, nunquam deinde exhibitum fuit.

Dubitat. 4. An Episcopi possint aliis delegare facultatem benedicendi sacra paramenta? Negant *Tamb. Meth. Miss. l. 1. c. 5. §. 2. num. 4. et Gav. p. 4. tit. 19. n. 25. cum Tabien. ac Ugolin. et Aversa (ap. Croix n. 555.)* assert de hoc de. S. C. R. die 14. Nov. 1615. ubi dictum fuit: *Nec Episcopus potest absque licentia hanc benedictionem aliis delegare.* Ratio, quia hæc benedictio est de potestate ordinis, unde ab Episcopo non potest delegari, sicut delegari potest potestas jurisdictionis. Sed contradicit *Nicol. Luc. c. l. 5. n. 55. de privil. n. 18.* dicens 1. Quòd de hoc decreto non constat authenticè. 2. Quòd tale decretum non est usu receptum, præsertim Romæ, ubi R. D. Vicesgerens passim auctoritate ordinarià quibusvis sacerdotibus hanc delegat facultatem. 3. Quòd hæc benedictio non est ordinis episcopalis, sed sacerdotalis, et idèò benè potest ab Episcopo delegari. Addit *Monacell. t. 4. n. 1. cum Pirhing. in Jus can.*

l. 1. tit. 29. n. 54. Episcopus ritè posse delegare ea quæ ipsis competunt ex privilegio speciali, ratione dignitatis; cum enim facultas officio sit annexa, transit in jurisdictionem ordinariam. His tamen non obstantibus, huic opinioni non acquiesco, cum nullibi audierim Episcopus hujusmodi facultatem aliis delegasse: imò (ut refert *Gav.*) plurimi Episcopi illam à S. C. curarunt obtinere: et *Benedictus XIV.* cum erat Archiepiscopus Bononiæ, hanc facultatem ad quinquennium obtinuit, ut ipse testatur *l. c.*

Dubit. 5. An color vestium sit de præcepto? (In Rubrica *Missalis p. 1. tit. 18. num. 1.* de colore sic habetur: *Paramenta altaris, celebrantis, et ministrorum debent esse coloris convenientis officio, et missæ diei, secundum usum Romanæ Ecclesiæ.*) Negant *Tambur. lib. 1. cap. 5. §. 1. n. 1. Quarti p. 1. tit. 18. dub. 1. Diana p. 2. tr. 14. r. 57. cum Homobono, item Suar. et Aversa ap. Croix num. 540.,* quia (ut dicunt) Rubrica hoc præscribens est tantum directiva. Sed contradicunt *Spor. p. 151. n. 415. et Quarti p. 1. tit. 18. dub. 1.* Et hoc puto probabilius, juxta nostram sententiam adducendam *n. 599.,* nempe quòd omnes Rubricæ tractantes de rebus quæ missam concomitantur, sint præceptivæ. Eò magis, quia Rubrica dicit sic usum esse Ecclesiæ Romanæ. Benè tamen censent *Spor. et Quarti,* hanc Rubricam non obligare sub gravi, nisi scandalum adsit, putà si in die Paschatis (ut ait *Spor.*) vel in quacumque missa festiva, (ut ait *Ronc. c. 6. q. 1. res. 2.*) celebraretur vestibus nigris. Addit *Sporer* satius esse, quocumque die facere Sacrum in quolibet colore, quàm illud omittere; hinc rectè dicit à fortiori excusare omnem rationabilem causam, ut si concursus sacerdotum non sufficerent vestes debiti coloris. Putant autem *Quarti l. c. d. 2. et Merati t. 1. p. 1. p. 269. (contra Turrinum)* quòd color croceus, sive flavus æquivalet omni colori, quia omnes ad illum concurrunt.

579. — « IV. Sub mortali requiritur calix, et patena consecrata: si tamen in nondum consecratis aliquis bonâ, imò » addunt *Bordon. et Tambur.* malâ fide celebrasset, licèt » sic celebrando peccasset mortaliter, probabile esse, quòd » hoc ipso censeantur consecrata, liceatque in iis celebrare, » contra *de Lugo et Laym. docet Diana p. 2. t. 14. r. 69. » p. 5. tr. 13. r. 60. et p. 9. t. 7. r. 18. ex aliis octo.* Idem-
Tom. VI.

» que de sacris vestibus, item de corporali, pyxide, etc.
 » quæ immediatè tangunt species, censet *Tamb. de exp. sac.*
 » l. 1. c. 5. §. 1.

580. — Queritur I. An calices, et alia remaneant benedicta, si quis in illis sacrificet nondum benedictis?

Prima sententia communior negat, quam tenent *Croix l. 6. p. 2. n. 552. et Salm. tr. 3. c. 4. p. 4. n. 96. cum Lugo, Laym. Azor etc.* Et hanc probabilem vocat *Tamb. l. 1. c. 1. §. 4. n. 1.* Ratio (ut ait *Tamb.*) quia, licèt per contactum specierum sacrarum res consecrentur, ut indicat *S. Aug. apud Tamb. Vasa... ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur.* Attamen aliud est rem sacrari, aliud ad sacrificium deputari, quod oportet, quodque tantùm fit per benedictionem.

Secunda sententia verò cum *Diana, Con. Peyr. ac aliis apud Tamb. ib.*, quam ipse pariter vocat probabilem, affirmat illa remanère benedicta, quia per contactum specierum jam æquivalenter, immò eminenter talis deputatio habetur: et hoc evenire ait *Tamb. n. 2. cum Sa*, tam si bonà fide, quàm si malà fide celebretur. Et idem probabile esse etiam pro vestibus sacris, et ornamentis altaris ait *Tamb. n. 4. cum Gav. et Dian.* cum hæc ab ipso ministerio sacro consecrationem recipiant.

His non obstantibus, rectè putant *Salm. tr. 3. c. 4. p. 4. n. 98.* nullo modo recedendum à prima sententia, dum asserit *Lugo d. 20. sect. 2. n. 62.*, contrariam meritò communiter rejici à *Laym. Nav. Azor etc.* Ratio, quia nec etiam est certum, immò omninò negatur, quòd per contactum sacramenti res remaneant consecratæ prout pavementum, si ibi decidat sacramentum, nullo modo remanet sacratum. Quare secunda sententia non satis tuta apparet, ut benè ait *Escob. l. 21. n. 477.* dum saltem videtur esse dubiæ probabilitatis. An verò liceat celebrare cum calice non deaurato? *Vide dicta n. 570. dub. 5.* Et an cum calice ex stanno, vel ære, aut aurichalco? *Vide ibid. d. dub. 5. in fine.*

581. — Dicunt autem *Gav. Aversa, Bon. et Tamb. ap. Croix l. c. n. 555.* quòd abbates exercentes Pontificalia possunt benedicere calices, et indumenta sacra: indumenta pro suis tantùm Ecclesiis, calices verò etiam pro alienis. Sed adverte decretum *Alexandri VII.* allatum *num. 578.* ubi declaratum fuit, abbates tantùm pro suis Ecclesiis, non verò pro alienis, etiam de licentia Ordinariorum, posse benedicere

calices, campanas, etc. quibus adhibetur sacra unctio, necnon vestes sacras. Idque confirmatum fuit per aliud decretum noviter emanatum à nostro *P. Benedicto XIV.* ad instantiam Cardinalis *Spinelli* Archiepiscopi Neapolitani.

582. — Quer. II. Quibus sit licitum tangere vasa sacra, corporalia, aut vestes? Nemo dubitat quin, exceptis sacerdotibus et diaconis, aliis sit mortale tangere vasa sacra, dum continent Eucharistiam, ut communiter dicunt (contra *Ochagaviium, et Gob.*) *Sporer n. 405. Croix n. 560. et Pal. p. 10. n. 15. cum Suar. Fill., et aliis passim, ex c. Non oportet. 26. dist. 23.* Difficultas est, an liceat laicis sacra vasa tangere, dum Eucharistiam non continent? Affirmant *Sotus, Henr. et Fagun. ap. Croix l. 6. p. 2. n. 558.* et perquam fusè id defendit *Tamb. Meth. Miss. l. 1. c. 2. §. 1. n. 12. cum Scoto, Barth. ab Ang. et Sa v. Sacra n. 5.* qui sic ait: *contra tangi à laicis sine contemptu, aut nullum peccatum est, aut levisimum.* Sed communissima et verior sententia negat, quam tenent *Suar. d. 81. sect. 8. §. Tertium, Bon. p. 9. n. 51. Laym. c. 6. n. 19. Cont. Tourn. cap. 9. art. 2. sect. 8. v. Quer. 8. Holzm. p. 86. n. 575. Habert t. 5. p. 709. Salm. tr. 21. c. 10. p. 11. §. 1. n. 127. Antoine p. 495. n. 10. et Pal. p. 10. n. 45. cum Vasq. Sanch. et Con.* Hi docent laicos tangentes sacra vasa peccare (sed non plùs quàm venialiter, cum non reputetur hæc materia gravis: et minimè, si adsit rationabilis causa, secluso scandalo et contemptu) ut probant ex *c. In sancta, de consecr. dist. 1.* ubi dicitur: *Indignum valde est, ut sacra Domini vasa, quæcumque sint, humanis usibus serviant: aut ab aliis (nota) quàm Domino famulantibus, eique dicatis tractentur viris.* Pro hujusmodi autem sacratis viris intelliguntur non solùm diaconi et subdiaconi, sed etiam acolythi, ut ex *c. Non liceat, dist. 25.* ubi: *Non liceat culibet ministeria tangere, nisi subdiacono, aut acolytho in secretario vasa dominica.* Insuper nunc possunt etiam ea tangere tonsurati ex consuetudine introducta, ut dicunt *Suar. l. c. Tamb. n. 9. Croix n. 557. cum Quarti, etc.* et idem docet *Bened. XIV. Notif. 29. n. 18. cum Pasq.* Id quoque concessum est laicis regularibus sacristis, ex privilegio *Callixti III. et Sixti IV. ap. Salm. l. c. n. 150. et 151.* Necnon monialibus sacristis, ex communicatione privilegiorum. *Salm. ibid. n. 152.* Et hodie potest dici ex consuetudine hoc licère etiam

laicis oblati Congregationum sacerdotum sæcularium sacristis, et omnibus qui in habitu clericali Ecclesiam inserviunt; hi enim in Ecclesia muneribus clericorum funguntur: saltem, dico, hos à culpa excusari, quia dum officium sacristæ exercent, semper adest aliqualis necessitas sacra vasa tangendi. Et idem quod dictum est de tactu sacrorum vasorum, dicendum est de tactu corporalium, ut ait *Merati p. 515. cum Quarti, Pasq., et communi.*

Minimè autem peccant laici tangentes vestes sacras, aut alia non immediatè attingentia corpus, et sanguinem Christi, ut *Pal. Suar. Conc. Laym. et alii ut supra ll. cc. ex sententia* (ut benè ait *Pal.*) in praxi recepta. Nec obstat textus in *c. Altaris, et c. Vestimenta, de consecr. dist. 1.* ubi hoc videtur vetitum; nam dicit *Suar.* nullum ibi de hoc esse præceptum, vel saltem, inquit *Suar. cum Gloss. in d. c. Altaris, verb. Vela*, quòd, si ibi aliquod adest præceptum, hoc usu est abrogatum.

583. — « Ac licèt decens sit, ut etiam *pyxis*, sive ciborium, et luna, seu sphæra hierotheæ, et quodcumque vas continens, et immediatè tangens Eucharistiam, ut etiam secundùm *Laym. l. 5. t. 5. c. 6.* vasculum chrisma continens, benedicatur (benedicere autem præter ea, in quibus unctio adhibetur, potest idem, qui cætera ornamenta) cùm in Rit. Romano propria sit *pyxidis* benedictio; id tamen necesse esse, negant *Suar. Hurt. Lugo, Tamb. lib. 1. exped. Sacrif. c. 1. §. 6.* nec esse necesse imponere *pyxidi* vas lineum benedictum benedictione corporalis.

« Porrò calix, et patena confecta esse debent ex auro, argento, vel stanno, saltem quoad cuppam (admittunt etiam aliqui ex plumbo) sed non ex ære, *c. Ut calix, de consecr. d. 1.* » (Vide dicta n. 570. *Dub. 5. in fine*) « quamvis *Tamb. l. 1. exped. Sacrif. c. 1. cum Hurt. Fagn. et Gav.* admittat etiam ex gemma, quæ æquè pretiosa sit, ac aurum, vel argentum, modò species non imbibat, nec sit periculum, ne effringatur. Ac, licèt Rubrica præscribat ut saltem cuppa, et superior pars patenæ sit deaurata; eam tamen non obligare sub mortali *Gran.*, imò nec sub veniali, propter usum contrarium, vult *Tamb. l. c.*

584. — *Dubit. 1.* An *pyxis* debeat consecrari? *Affirmat Trull. ap. Croix n. 548.* Sed veriùs et communiter negant

Laym. tr. 5. c. 6. n. 22. Bon. p. 9. n. 23. Cont. Tourn. loc. cit. v. Quær. 7. Ronc. c. 6. q. 4. et Croix cum Gav. Pasq. et aliis passim. Ratio, quia in Pontificali Rom. tantùm habetur benedictio de *pyxide*, nulla autem ibi mentio fit de unctioe chrisomatis. Item in Rituali Rom. benedictio *pyxidis* annotatur inter eas, quæ non indigent unctioe chrisomatis.

585. — *Dubit. 2.* An *pyxis* debeat saltem benedici de præcepto?

Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Cont. Tourn. ibid. cum Sylvio, Salm. tr. 3. c. 4. p. 4. n. 99. cum Gav. et Reg. item Durand. Barb. March. et Dic. apud Croix n. 548. item Bened. XIV. Notif. 21. n. 12. et Escob. l. 22. n. 419.* qui tamen putat omissionem hujus benedictionis non excedere culpam venialem. Probatur ex Rubrica Missalis *p. 2. tit. 2. n. 5.* ubi dicitur: *Si sacerdos est consecraturus plures hostias pro communione facienda, locet eas super corporale ante calicem, aut in aliquo calice consecrato, vel vase mundo benedicto.* Præterea probatur ratione, quia hoc valde convenit; si enim corporale, in quo sacræ species ad modicum tempus manent, benedici debet, quantò magis benedicendum est vasculum in quo diu noctuque illæ conservantur? Et ideò in Rituali assignatur specialis benedictio pro *tabernaculo* (ut ibi dicitur) seu *vasculo pro sacrosancta Eucharistia.* Accedit doctrina *D. Th. q. 82. ar. 5.* ubi ad probandum, quòd pertineat ad sacerdotem dispensatio Eucharistiæ, dicit: *In reverentiam hujus sacramenti, à nulla re contingitur* (Sacramentum) *nisi consecratè, unde et corporale, et calix consecrantur, et similiter manus sacerdotis.*

Secunda sententia attamen negat, et hanc tenent quamplures graves AA., nempe *Suar. d. 81. s. 7. Azor p. 1. l. 10. c. 27. q. 7. Fill. de Euch. n. 155. Bon. p. 9. n. 25. Sylv. v. Euchar. 5. q. 4. Spor. n. 401. cum Vasq. et Pasq. item Sotus, Coninc. Tab. ac Nugn. ap. Escob. n. 427. et probabiliter putant *Dianu, p. 2. tract. 1. r. 180. ac Lugo d. 20. n. 96. cum Henriq. et Fagnan.* Ratio, quia (ut ajunt) de hoc nullibi habetur expressum præceptum; nec Pontificale certos nos reddit, cùm ibi assignentur benedictiones etiam pro campanis, et thecis reliquiarum, quæ tamen non de præcepto, sed tantùm de congruentia benedicuntur. Hæc secunda sententia non videtur improbabilis, saltem ob tantorum DD.*

auctoritatem; sed primam probabiliorē puto, quia conformior est Rubricæ, et rationi; et ideò in praxi est consulenda, ut rectè dicunt *Suar. Fill. et Bened. ll. cc.* Idem dicendum de circulo, seu lunula, ubi reponitur hostia consecrata, cum exponitur in ostensorio.

586. — « V. Corporale lineum » (Vel ex cannabe, ut probat usus; vide dicta n. 575. Dub. 5.) « saltem quoad eam partem, quâ hostiam, vel calicem tangit, c. *Consulto, de consecr. d. 1.* (nam in extremitatibus potest esse sericum, vel auro elaboratum) et benedictum ab Episcopo, vel privilegiato. Vide *Comp. privil. Soc. Jesu, v. Bened.* Non tamen iterum benedicendum post lotionem, nec nisi notabiliter rumpatur. *S. Th. Sylv. Bon. d. 4. q. ult. p. 9. Lug. d. 20. s. 2. n. 76. et Gav. p. 2. t. 1.* ubi addit ex *Sa.* (et dicit esse communem) peccare mortaliter, qui utitur notabiliter immundo. » (Vide n. 576.).

587. — Notandum I. quòd celebrare sine corporali, aut cum eo non benedicto, nequit excusari à mortali, nisi gravis urgeat necessitas celebrandi, certum est apud omnes. Vide *Suar. d. 81. sect. 6. et Croix n. 555.*

Notandum II. id quod spectat ad lotionem corporalium. In *can. Nemo 40. de Cons. dist. 1. Clemens* Papa duo statuit, primum, ut sacræ pallæ tantum à diaconis laventur; secundum, ut lotio mittatur in sacrarium. Quoad primum pertinet, dicunt *Suar. d. 81. s. 8. Merati t. 1. p. 1. n. 16. et Croix n. 554. cum Bon.* quòd licèt convenientius sit secundam et tertiam lotionem pallarum (id est, ut explicat *Suarez*, corporalium, parvarum pallarum, et purificatoriorum) fieri à persona sacrata, tamen nullum est peccatum, si illæ fiant à laicis; prima autem lotio omninò debet fieri à diaconis, vel subdiaconis, quia hodie horum ordo inter sacros numeratur, et ut comm. DD. ajunt, hoc est peculiare officium subdiaconi; imò probabiliter dicit *Croix loc. c. cum Suar. et Pasq.* posse hanc primam lotionem fieri etiam à clerico tonsurato; dum in dicto *can. Nemo*, dicitur: *Diaconi cum humilibus ministris lavent.* Hodie autem clerici tonsurati jam ex consuetudine inter inferiores clericos numerantur, ex qua eis permittitur sacra vasa tangere. Utrum autem peccaret mortaliter laicus qui hanc primam lotionem faceret? Affirmat *Villal. tr. 8. diff. 29. n. 5.* Sed communis *Croix l. c. ac Quarti,*

Pasq. etc. ap. Merati n. 16. censent id esse tantum veniale, et nullum, si ex justa causa fieret. Quoad secundam verò, putat ex *Croix cum Pasq.* nullum esse peccatum, si aqua lotionis non in sacrarium, sed in locum decentem projiceretur. Sed omninò tenendum est oppositum cum *Merati*, dum in præfato textu *Nemo* expressè dicitur, quòd foràs ejicere lotionem, erit operanti peccatum. Et *Sylv. ap. Suar.* dicit quòd huic nullâ contrariâ consuetudine derogari potest. Id tamen intelligitur tantum pro corporalibus, pallis, et purificatoriis; licèt enim in textu idem dicatur de lotionem albae, et mapparum altaris; attamen rectè ait ibi *Glossa lit. l. Hoc generali consuetudine abrogatum esse.*

588. — « VI. Palla item linea, quâ parte calicem tangit » (superiore enim parte potest auro constare, vel serico); quæ cum habeat communem cum corporali benedictionem, utpote cujus pars antiquitus fuit, pro eodem servire posse, docet idem *Lugo l. c.* si sit satis capax.

Palla debet esse ex lino, ut requiritur in Rubrica p. 2. tit. 1. nu. 1. vel ex cannabe, ut diximus de corporali n. 575. dub. 5. Unde benè advertit *Merati ibid.* non benè agere, qui adhibent pallam de papyro, aut drappo serico. Imò in decreto S. C. die 22. Jan. 1706. (apud *Cont. Tourn. loc. cit. v. Quær. 10.*) dictum fuit: *In sacrificio missæ non adhibenda est palla à parte superiori drappo serico cõperta.* Quamvis *P. Suar. d. 81. s. 6.* putat non esse vetitum adhibere pallam tantum exteriori parte sericam, vel auro elaboratam, corporale verò dicit tantum in extremitatibus posse auro vel serico ornari; et hoc probabile est, cum in Rubrica p. 2. tit. 1. n. 1. dicatur: *Corporale, quod ex lino tantum esse debet, nec serico vel auro in medio (nota) intextum, sed totum album.* Palla autem benedicenda est cum corporali eadem benedictione, ut communiter docent *Gav. in præfata Rubr. tit. 9. Suarez et Cont. Tourn. ut supra cum Quarti, et Vasq.* qui contrariam opinionem improbabilem putant.

An verò sit mortale celebrare sine palla, aut cum ea non benedicta? Affirmant probabiliter *Suar. l. c. Fill. de Euch. n. 125. Cont. Tourn. ibid. ad 5. cum Quarti, et Escob. num. 452. cum Vasq. Reg.* Ratio, quia olim palla erat ipsum corporale, quo calix operiebatur; unde, licèt hodie palla sit ab illo separata tamen est æquè necessaria, et benedicenda ac

corporale; et Ecclesia, separationem permittendo, nihil circa materiam et benedictionem immutavit. Non minus verò probabiliter negat *Sotus in 4. d. 15. qu. 2. art. 5.* item *Manuel, et Moure apud Escob. num. 450. ac Rodriq. ap. Croix n. 552.* Ratio, tametsi Ecclesia eadem benedictione statuerit benedici pallam ac corporale, eò quòd illa moraliter pars corporalis censetur; tamen cum hodie palla sit separata à corporali, non eadem ratio reverentiæ currit pro corporali, quòd immediatè tangit sacras species, quàm pro palla, quæ non tangit.

dicunt autem *Sporer n. 598. et Croix l. c. cum Gob.* quòd si palla desit, aut per quadrantem expectari debet, poterit loco ejus adhiberi aliud corporale, aut hoc deficiente, purificatorium, aut bursa.

Dicit autem *Gav.* quòd illi qui adhibent duas pallas, unam pro calice, alteram pro hostia, non sunt quidem reprehendendi, sed non imitandi sine pontificia facultate; hoc enim esset additio Ritûs, vetita à *S. Pio V.* Et huic opinioni adherent *Quarti, et Megal. apud Merati t. 1. p. 1. p. 510. n. 12.* Unde dicunt sacerdotes hanc facultatem à Pontifice non habentes, non posse has duas pallas adhibere. Sed *Molfes. Pasq. Silos, et Magius ap. Merati l. c.* tenent quòd non solum Teatini, quibus hoc privilegium, sive usus approbatus fuit à *Clemente VII.*, sed omnes sacerdotes exteri possunt illis uti, quia hoc non est additio, sed potiùs quædam accessio ad Romanum Ritum ob majorem decentiam, utque commodiùs fragmenta colligantur. Hinc censet *Merati cum Pasq.* unumquemque posse hanc observantiam sequi; refertque Cardinalem *Baronium* id suasisse alicui ad praxim.

589. — « VII. Purificatorium item lineum, non tamen » necessariò benedictum, ut contra *Laym.* docent *Suar. Gav. et Lugo*; neque ulla reperitur in Ritualibus ejus » benedictio.

Quæritur, an purificatorium sit benedicendum? Affirmat *Laym. c. 6. n. 12.* item *Franc. Lugo, et Fagund. apud Escob. l. 21. n. 454.* qui huic opinioni adheret tanquam tutiori, licèt contrariam etiam tutam vocet. Ratio 1., quia, ut dixit *D. Th. l. c. n. 584.* hoc Sacramentum à nulla re contingi debet, nisi consecrata. Ratio 2. quia Rubrica præcipit benedici mappas altaris; ergò tantò magis benedicendum purificatorium;

quòd fortè potest tangere reliquias sanguinis. Nec obstat quòd in benedictionibus non reperiatu peculiari benedictio quoad purificatoria; nam pro iis sumitur benedictio lintheaminum, mutatà voce *altare in calicem*, si separatim purificatoria benedicantur. Sed communiter, et probabiliùs negant *Gav. part. 2. tit. 1. Suarez d. 81. sect. 8. Pal. n. 2. Salm. tr. 5. c. 4. p. 4. n. 85. Lugo d. 20. num. 76. Croix n. 551. Bonac. part. 9. n. 22. Ronc. c. 6. q. 4. et Cont. Tourn. cap. 9. art. 2. sect. 8. v. Quær. 9. cum Sylvio*, qui dicit, hanc benedictionem fieri tantùm de convenientia. Ratio, quia in Rituali nulla adest benedictio propria de purificatoriis, sicut nec veli, nec bursæ. Grátis autem asseritur eandem benedictionem, quæ adhibetur pro mappis, aptandam esse pro purificatoriis, cum pro his nullo modo possint verificari verba orationis, quæ habentur in Rituali, nempe, *consecrare dignèris hæc lintheamina ad tegendum, involvendumque altare Filii tui.* Hinc non sufficit (ut ajunt contrarii) mutare solam vocem *altare in calicem*, sed etiam oportere mutare verba *tegendum involvendumque in abstergendum*, quòd esset potiùs novam orationem conficere, quàm mutare; dicunt tamen *Salm. l. c.* quòd, licèt non sit obligatio benedicendi purificatorium, tamen ipsum licèt benedici potest. Si autem purificatorium non facilè haberi possit, probabiliter dicunt *Wig. tr. 15. n. 64. ac Suar. Spor. Avers. et Gob. apud Croix n. 551.* licitum esse sine eo celebrare, ejusque loco adhibere posse strophium mundum, quòd postea ad profanum usum non adhibeatur.

590. — « VIII. Sub gravi peccato *Missale*, Canonem sal- » tem continens, ut habent *Bonac. et alii commun.* etsi *Le- » desm. et Laym.* doceant in gravi necessitate licitum esse » celebrare sine libro ei, qui moraliter sit certus se non er- » raturum; et sic *Lugo l. c. cum Dian. etc.* probabiliter excusat » cum qui propter visus debilitatem legere non potest. » (*Tabella autem secretarum non requiritur ex præcepto, sed tantum ad majorem celebrantium commoditatem, ut bene ait Gav. p. 1. tit. 10. n. 20. lit. z.*)

Quæritur, an liceat unquam sacerdotibus celebrare sine Missali?

Prima sententia negat, et hanc tenent *Cont. Tourn. hic cap. 9. art. 2. sect. 9. v. Quær. 2. Habert. t. 5. p. 708.* item *Nav. et Henr. ap. Pal. p. 9. nu. 4. ac Coninch. Fag. ap. Escob.*

l. 21. n. 462., etiamsi aliquis firmiter sciat memoriter, qua dicenda sunt. Ratio, quia in re tam gravi vitandum est omne errandi periculum, quod recitando memoriter semper timèri potest. Idque videtur confirmari ex eo quòd S. C. concilii (ut fert *Benedictus XIV. Notif. 29. n. 5.*) licentiam imperiando alicui sacerdoti cæcutienti celebrandi in festo duplici missam votivam de BB. Virgine, et die feriali missam profunctis, hanc solet clausulam apponere: *Quòd non sit omninò cæcus, et memoriter non recitet.*

Secunda sententia verò communissima, quam tenent *Lugo d. 20. n. 78. Laym. c. 6. n. 17. Pal. l. c. Suar. d. 81. s. 6. Vasq. t. 255. c. 5. in fine, Diana p. 2. tr. 14. r. 46. Escob. n. 464. cum Avers. Spor. t. 5. p. 148. num. 588. Salm. tr. 5. c. 4. p. 4. n. 87. cum Villal. Ledes. et Croix n. 565. cum Vericelli, et Gobat.* probabiliter dicit posse quandoque sacerdotem celebrare sine Missali, si hoc facilè non posset habere, et ob præteritam experientiam abesset morale periculum errandi. Hinc probabiliter inferunt *Lugo, Pal. Vasq. Sal. et Escob.* licitè celebrare sacerdotem, qui ob visus debilitatem memoriter missam recitat, modò discernat calicem et hostiam, quantum sufficit ad evitandam irreverentiam; et modò ad notam effugiendam habeat Missale in altari, vel alium librum loco ipsius, ut ajunt *Croix n. 564. cum Gob. et Salm. l. c. prope fin. cum Lugo, et Pal.* Per clausulam autem, quæ solet à S. C. apponi, ut supra, non satis probatur hanc secundam opinionem tanquam improbabilem rejici: tutius tamen semper erit hanc facultatem à S. C. obtinere. Certum autem est apud omnes, sacerdoti penitus cæco illicitum esse celebrare, quamvis referat *Benedictus l. c. die 25 Augusti 1727 Sacram. C. concilii* hanc licentiam concessisse cuidam parochi pauperi ex speciali gratia, cum assistentia tamen sacerdotis.

Sacerdos autem Ritùs Romani graviter peccaret, si uteretur Missali regularium etiam in eorum Ecclesiis, vel locorum quæ transit, dicendo missam diversi ritùs, ut rectè censet *Croix cum Pasq. Quarti, et Aversa (contra Pal. et Præp.)* ex decreto S. C. 19. Nov. 1622. ap. *Gav. p. 5. tit. 10.* Hoc tamen intelligitur, si talis sacerdos posset ritum suum servare: nam aliàs licitè posset uti peregrinus ritu et Missali illius diœcesis in qua reperitur, ut probabiliter ait idem *Croix n. 568. cum Con. Tamb. et aliis communiter.* Olim Missalia habentia in

canone, pro rege nostro, erant suspensa; sed hodie rectè dicit *Croix n. 569.* cum aliis recentioribus, in hoc non esse faciendum scrupulum ex consuetudine introducta.

Confessarii autem, et capellani monialium, possunt quidem dicere missas Sanctorum, de quibus ipsæ recitant officium, non tamen missas proprias illius ordinis, sed cum Missali Romano, et de communi; et de communi; ita S. C. R. annuente *Clem. XI. die 1 Decemb. 1717. ap. Pitton. de Ritib. n. 1768.*

591. — « IX. Minister, secundum *Nav. Fag. Zerol.* sub » mortali, et quidem masculus; in necessitate tamen gravi, » v. g. diei festi, vel dandi Viaticum, posset quis sibi respon- » dère, inquiunt *Sa, Bon. et Dian. tract. 14. res. 45. ex aliis.* » In quo casu etiam fœminam adhiberi posse docent *Nug.* » art. 6. d. 1. et *Sylv.* idque quibusdam *Belgii* partibus consue- » tudine inductum esse docet *March. Res. past. tr. 4. c. 5. qu. 10.* » contra communem, apud *Laym. Fern. et Dian. l. c. Tamb.* » l. c. et *March. de ord. t. 3. c. 15.* ubi vult id esse mortale. » Ministrante tamen circa altare viro, qui nesciat respondere, » moniales ex choro respondere, non esse prohibitum notant » *Card. de Lugo et Tamb. l. c.* ubi etiam cum *Henriq. et* » *Hurt.* permittunt celebranti missam cœptam prosequi sine » ministro, si hic fortè absit, et aliquantulum expectatus non » revertatur.

Dubitatur 4. quale peccatum sit celebrare sine ministro? Certum est apud omnes esse mortale ex *cap. Proposuit 6. de Fill. Presb.* ubi dicitur: *Non enim solus presbyter missarum solemnia potest sine ministri suffragio celebrare.* Verùm communiter dicunt DD. licitum esse celebrare sine ministro, urgente necessitate ministrandi Viaticum. Ita *Lugo d. 20. n. 103. cum Suar. Laym. Fag. Diana p. 2. tract. 14. r. 45. cum Cler. Villal. et Petig. item Ronc. cap. 6. qu. 6. cum Glossa in c. Quæsit. de verbor. signific. Cont. Tourn. ead. sect. 9. quer. 1. v. Hinc licet, et Sylvius 3. p. q. 85.* Et idem concedunt *Cont. Tournely. Lugo et Diana* cum aliis ab ipsis citatis, ut populus audiat missam de præcepto: celebrantem autem, ut ipse solus missam audiat de præcepto, etiam excusat *Diana l. c.* Et *Cont. Tourn. cum Sylv.* non damnat, licet non approbet.

Probabiliter autem dicunt (præter *Lugo Tamb. Henr. et Hurt. ap. Busemb.) Cont. Tourn. l. c. et Salm. tr. 5. c. 4. p.*

4. n. 101. circa fin. cum Dic. quòd, incceptá missá, maximè si sit facta oblatio, permittitur celebranti pergere sine ministro, si iste abscesserit, et de brevi non revertatur. Probabiliter etiam dicunt *Salm. l. c. in fin.* quòd celebrans non faciat scrupulum, si minister malè pronuntiet, nec facilè corrigat errores, ne turbet seipsum, vel circumstantes, vel ordinem missæ; quamvis moneat *Croix cum Gobat.* quòd celebrans suppleat omnia à ministro. Dicit autem n. 590. cum *Quarti*, Rubricas circa ritum à ministro servandum, esse tantum directivas, et non obligare ad culpam; sed huic non acquiesco. Rationabiliter verò advertit *Lugo d. 20. n. 505.* minorem necessitatem sufficere ad celebrandum cum ministro nesciente respondere, quam sine ministro.

Illud autem quod habetur in *c. Hoc quoque 61. de Consecr. dist. 1.* ubi Soter Papa sic ait: *Hoc quoque statutum est, ut nullus presbyterorum missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, ipse tertius habeatur; quia, cum pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum, et, Orate pro me, aptissimè convenit, ut ipsius respondeatur salutationi.* Explicant *D. Thom. qu. 85. art. 3. ad 12. et Bellarm. Laym. Soto, et alii communiter ap. Escob. nu. 640.* hoc intelligi de missa solemnè. In missis tamen privatis (ait *D. Thomas*) sufficit unum habere ministrum, qui gerit personam totius populi catholici, ex cujus persona sacerdoti pluraliter respondet.

592. — Dubitatur 2. An sacerdos celebrans, respondente muliere, peccet graviter? Affirmant *Nugnus ap. Dianam p. 2. tract. 14. r. 44.* Sed communiter negant *Laym. c. 6. n. 15. Suar. d. 87. sect. 1. Cont. Tourn. ibid. v. Hinc in casu et Diana l. c. cum Molf. Homob. Zanardo, Fern. etc.* Hinc dicunt *Wigandtr. 15. nu. 69. Cont. Tourn. cum Lugo, et Laym. cum Palud. et Hurt.* benè permitti, ut feminae quandoque respondeant à longè, maximè si sint sanetimoniales, modò non immediatè ministrent in altari, porrigendo urceolos, etc.; id enim non posse excusari à mortali, ex *c. 1. Inhibendum de Cohab. Cler.* ubi fæminis omninò interdicitur celebranti ministrare. Et ideò benè advertit *Laym. l. c.* quòd urgente necessitate satius esset celebrare sine ministro, quam cum femina ministrante.

595. — « X. Crucifixus; nisi sit expositum Venerabile

» Sacramentum, non tamen sub obligatione gravi; idem est » de velo. *Lugo d. 20. sect. 2. n. 79. Gav.*

In Rubrica Missalis *p. 1. tit. 20.* hoc tantum habetur: *Super altare collocetur crux inter candelabra.* Sed à S. C. Rituum in decreto edito die 14 Maji 1707. (apud *Merati t. 1. p. 2. in Indice n. 604.*) dictum fuit: *Super altare, in quo SS. Sacramentum expositum est, crux de more collocari debet, cum imagine crucifixi apposita.* Quod tamen intelligendum est, ut ait *Merati t. 1. p. 1. p. 695. v. Super,* tantum dum missa celebratur. Item in Cæremoniali Episcoporum *l. 2. c. 12.* sic præscribitur: *Cruce parva cum imagine crucifixi super tabernaculum, in quo asservatur SS. Sacramentum in altari, non est sufficiens in missa, sed poni debet alia crux in medio candelabrorum.* Idque confirmatum fuit à S. C. die 16 Junii 1665. apud *Merati in dict. Ind. n. 400.*

Sed dubitatur 1. An sit mortale celebrare sine cruce? Affirmant *Renzi c. 4. q. 15. et Aversa qu. 11. sect. 5.* quia res est gravis, cum in sacrificio altaris representetur sacrificium crucis: negant verè communissimè *Suar. d. 81. sect. 5. Laym. c. 6. n. 17. Cont. Tourn. cap. 9. art. 2. sect. 7. v. Quær. 10. in fin. Bon. p. 9. nu. 50. Fill. n. 125. Merati t. 1. p. 1. p. 297. et Escob. n. 461. cum Vasq. et aliis pluribus,* quibus consentit *Habert t. 5. p. 708. et Conc. p. 505. n. 19.* qui dicit crucem non esse tantæ necessitatis, ut sine ea non posset celebrari cum rationabili causâ. Cæterum nullo modo excusari potest saltem à veniali sacerdos, qui celebrat sine cruce, ex decret. *Bened. XIV.* edito an. 1746. ubi dicitur: *Ut nullo modo fiat Sacrificium, nisi crucifixus inter candelabra ita promineat, ut sacerdos ac populus eundem crucifixum facile et commodè intueri possit: et imago non sit ita tenuis et exigua, ut ipsius sacerdotis et populi oculos penè effugiat.* Idemque præscribitur in Cæremoniali Episcoporum. Et S. C. Rituum decrevit etiam in altari, ubi expositum est Ven. Sacramentum, collocandam esse crucem cum imagine Crucifixi, ut habetur apud *Meratum, et La-Croix l. 6. p. 2. n. 521. (1).* Crucifixus autem in altari non requiritur cum

(1) Laudatum decretum fuit 14 Maji 1707 editum, ast decreto 12 Sept. 1741 S. R. C. relinquit, quando est expositum SS. Sacramentum, unumquemque in suo usu apponendi crucem vel non.

tanto rigore, quo requiritur crux, nam per solam crucem jam habetur sacrificii cruenti representatio; ita Bissus apud Merati p. 295. et Suar. Vasq. Dic. etc. apud Croix n. 518.

Dubitat 2. An quando in altari est statua Crucifixi, requiratur alia crux? Affirmant Gav. p. 1. tit. 20. lit. ult. et Wig. tr. 75. n. 55., quia ex Rubrica requiritur, ut crux inter candelabra collocetur. Sed negandum requiri in Cæremoniali Episcoporum l. c. ubi dicitur: *At in altari, in quo adest magna statua SS. Crucifixi, non est necesse, ut ponatur alia crux, dum celebratur missa.* Idque confirmatum fuit per decretum S. C. Rit. 16 Junii 1665. apud Merat. in Ind. nu. 400. Et idem dicendum esse de imagine Crucifixi depicta, scribunt Pasqualig. Quarti, et Giribaldus ex decreto S. C. ut refert Ben. XIV. in Constit. Accepimus sub die 16 Julii 1746. in Bullario.

Crux autem non debet esse de præcepto benedicta, juxta decr. S. C. 12 Julii 1704. apud Merat. dict. p. 297. Et idem docet Pign. t. 9. consult. 89. de omnibus imaginibus, in altari collocandis, dicens eas posse, sed non debere necessariò benedici.

594. — « XI. *Candela accensa duplex, ex cera, et quidem* » secundum *Fag. Reg. Vasq. et alios, sub mortali, contra* » *Nugn. et March.* In necessitate tamen, præciso scandalo, » sufficit una, etiam ex sebo, vel lucerna, aut lampas ex » oleo. *Vide Dian. l. c. Laym. c. 6. num. 17. Azor c. 28. q. 15.* » Sine omni autem lumine celebrare nunquam licet; *Lugo.* » *d. 50. sect. 2. n. 77.,* adeò ut, si extingueretur ante con- » secrationem, et aliud haberi non posset, missam esse re- » linquendam, etiam in necessitate consecrandi pro mori- » bundo Viaticum, dicant *Fagund. p. 22. c. 22. et Quint. t. 2.* » *sect. 4.*

In Rubrica p. 1. t. 20. sic habetur: *Super altare collocen- tur candelabra saltem duo candelis accensis hinc et inde in utroque latere.* Certum est apud omnes esse mortale, celebrare sine ullo lumine, ex c. *Litteras ult. de celebrat. Miss.,* ubi graviter culpatur sacerdos, qui sine igne, id est sine lumine, celebrat. Et hoc etiamsi urgeat necessitas ministrandi Viatici, ut dicunt communiter *Ronc. c. 6. q. 5. Cont. Tourn. ead. sect. 7. v. Quær. 11. cum Bell. item Lugo, Quarti, etc. ap. Renzi c. 4. q. 17. et idem sentit Croix n. 592. (contra Pasq.*

cujus tamen opinionem ipse Croix probabilem putat). Unde rectè censent *Ronc. Cont. Tourn. ll. cc. ac Tamb. c. 5. §. 4. Renzi c. 4. q. 17. (contra Croix n. 592. cum Gob. et Leand. Lugo autem d. 20. nu. 77. et Sporer nu. 581. quos ipse citat, id minimè dicunt, imò potiùs oppositæ sententiæ adhærent)* quòd si ante consecrationem deficiat lumen, omninò desistendum est à celebrando; secùs si post consecrationem. Quo casu, si candelæ statim possint reaccendi, dicit *Pasq. apud Croix n. 594. melius esse pergere, quia continuatio missæ pertinet ad unitatem sacrificii, et idem dicendum ait ibid. Quintanad.* si candelæ non possint ita facile reaccendi, ut expectandum sit ad quadrantem, ob eandem rationem. Recitare autem Evangelium S. Joannis extinctis candelis, nullum esse peccatum dicit *Quarti, cum Croix n. 597.,* quia tale Evangelium non est pars missæ, nam dicitur post *Ite missa est.* Sed probabiliùs dicit *Gav. p. 2. tit. 12. lit. f. cum Merati ibid.* candelas non debere extinguì nisi post Evangelium, ut reverà præscribit Rubrica, licèt enim hoc Evangelium olim ex arbitrio dicebatur, hodie tamen, ut advertit *Butrius* cum aliis communiter, dicitur ex obligatione, ob mandatum S. *Pi V.* Non debet autem angi sacerdos, si, dum legit Evangelium, minister candelas extinguit. Item probabiliter ait *Croix n. 598. cum Sporer,* nullam esse obligationem accendendi tertiam candelam post *Sunctus;* sic enim hodie communis usus habet.

Dubitat 1. An liceat celebrare cum candelis ex sebo, vel oleo? Affirmat *Toletus cap. 2. n. 14.* Sed communiter DD, docent id esse mortale, quia talis usus est indecentissimus, et prorsùs alienus ab universali Ecclesiæ consuetudine. Et hoc etiam in necessitate, ut sentiunt *Suar. d. 81. sect. 6.* (loquens hic de candelis sebaceis), et *Escob. l. 21. n. 457. cum Villal. et Fag.* Verùm communiter, et probabiliter *Azor t. 1. l. 10. c. 28. quæst. 15. Wigandt tr. 15. n. 65. Cont. Tourn. loc. cit. Sporer n. 585. cum Tanner et Tamb. Fill. n. 126. et Bon. part. 9. n. 51. cum Vasq. Reg. Nugn. Gruff.* dicunt licitum esse celebrare cum oleo, vel sebo in necessitate: et probabile putat *Escob. num. 458. modò, ut benè advertit, scandalum absit.* Non approbo autem id quod dicunt *Pasq. Gob. et alii.* (quibus consentit *Suarez* loquendo de lumine ex oleo), nempe non esse illicitum celebrare cum candelis ex oleo, vel sebo, etiam ex sola devotione, si aliæ haberi non possint; nam

hæc non videtur causa gravis sufficiens ad excusandum à mortali, ut suprâ dictum est.

Dubitatur 2. An liceat celebrare cum uno lumine cereo? *Fagundez ap. Ronc. c. 6. q. 5.* negat, et dicit hoc esse mortale. E converso *Fill. n. 126. Azor c. 28. q. 15. et Bon. p. 9. n. 51. cum Suar. Vasq. Con. Reg. etc.* censent nullum esse peccatum, præciso scandalo. Sed probabilius et communiùs puto cum *Cont. Tourn. ibid. R. ad 5. Tol. c. 2. n. 14. et Escob. n. 455.* qui citat *Franc. Lugo*, id esse tantùm veniale; à quo puto perinde quæcumque causam rationabilem, adhuc solæ devotionis, secluso scandalo, excusare.

Advertendum autem hic non esse licitum cuiumque nec etiam Vicariis generalibus, celebrare cum quatuor candelis ut declaravit S. C. die 7. Aug. 1627. *apud Gav. p. 1. tit. 20. num. 20. lit. y.* Et sic pariter id vetitum est aliis sacerdotibus, nisi sint Cardinales, Episcopi, et abbates usum Pontificalium habentes, tùm solùm tamen, cùm in ipsis celebrant; ex decreto 9 Febr. 1673. *apud Bened. XIV. Notif. 29. n. 16.*

595. — « XII. Requiritur etiam antependium, pulvillus, candelabra, bursa, velum, manutergium; sed non benedicta: et si quid ex his desit, ex profanis congruenter mundis mutuò accipi, et deinde priori usui reddi potest. » *Tamb. l. 1. cap. 5. §. 5.*

Rectè dicit *Busemb.* ista non benedici, quia ipsa requiruntur tantùm ad decentiam. Celebrare sine antependio putat *Pasq. qu. 715.* nullum esse peccatum, maxime si ob paupertatem omittatur; sed *Quarti apud Croix n. 526.* dicit esse veniale, et hoc puto probabilius, cùm antependium requiritur ex Rubrica tit. 19. n. 20. ubi dicitur: *Altare pallio quoque ornatur, coloris quoad fieri potest diei festo, vel officio convenientis.* Excipienda tamen sunt altaria ex marmore, vel illa quæ vulgò dicuntur *alla paolina*, quorum usus communissimè hodie invaluit.

Requiritur etiam *pulvillus* ex eadem Rubrica: *In cornu Epistolæ* (collocetur) *cussinus supponendus Missali.* Benè verò pro cussino licitè subrogatur legile, vulgò *lettorino*: item *manutergium* cum pelvula: *Parentur ampullæ vitree vini, et aquæ cum pelvula, et manutergio mundo.* De velo et bursa dicitur in Rubrica *tit. 1. n. 1. Tegit* (sacerdos ho-

stiam) *parvâ pallâ lined, tùm velo serico. Super velo ponit bursam coloris paramentorum intus habentem corporale plicatum.* Unde non benè agunt qui extra bursam deferunt corporale, ut rectè ait *Gavant. in dict. Rubr.* ubi refert *S. Pium V.* dispensasse cum Hispanis, ut corporale extra bursam ferre possint. Dicit autem *Croix n. 550.* quòd celebrare sine velo, quando nullum habetur, non est peccatum, nam velum, manutergium, pulvillum ait requiri tantùm ob decentiam: et idem censet de bursa cum *Sporer.*

596. — « XIII. Operto capite celebrare non licet, etiam in infirmitate, sine licentia, ut docent *Fagund. Laym. Dian. r. 58.*, et quidem Summi Pontificis, ut ex declaratione Cardinalium notant *Gav. et Tamb. de exped. sacr. loc. cit.* licet *Laym. et Scot.* Episcopis, et cum regularibus eorum prælatis permittant. Quod *Tamb. l. c.* rectè limitat ad casum necessitatis, in quo ad Papam difficilis sit recursus. Qui tamen sine venia faceret, eum non peccare mortaliter, secluso contemptu, et scandalo, volunt *Ledesm. et Tamb. loc. cit.* Quod *Dian. p. 2. t. 14. r. 58.*, censet probabile, si tempus canonis excipiat.

597. — Dub. 4. An sit licitum celebrare capite cõoperto? Certum est hoc non licere ex *c. Nullus, de Cons. dist. 1.* ubi dicitur: *Nullus Episcopus, presbyter, aut diaconus præsumat velato capite altari Dei assistere.* Accedit præceptum *Urbani VIII.* in Missali Rom. appositum, in quo præscribitur: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione missæ, sine expressa licentia Sedis apostolicæ, non obstante quacumque contrariâ consuetudine.* Benè verò notat *Croix n. 400.*, hoc præcepto non obligari Chinesenses, apud quos tegere caput est signum honoris, et detegere est irreverentiæ. An autem sit mortale facere Sacrum cum pileolo, vulgò dicto *berrettino*? *Affirmant Angel. v. Missa, et Armilla eod. verb.*, quia hanc reputant materiam gravem, cùm graviter repugnet reverentiæ Sacramenti. Negat verò *Ledesma*, et probabile id putant *Dian. et Spor. ap. Croix n. 400.* Sed non probabiliter *Quarti p. 2. t. 2. dub. 3. Pasq. qu. 826. et Escob. n. 495. cum Villal. et Franc. Lugo*, præter *Tamb. et alios ap. Busemb. ut sup.* distinguunt, et dicunt esse mortale celebrare totam missam cõoperto capite, secus si usque ad canonem, secluso contemptu, et scandalo; et consequenter probabile

est id quod dicit *Pal. p. 10. num. 10. cum Sa, Vasq. Azor et Laym. c. 6. n. 16. cum Nav. Sylv. et Henr. ac Croix loc. cit. cum Gob. et Dic.*, nempe non esse illicitum sine dispensatione celebrare cum pileolo (excepto canone, et præciso scandalo) ex rationabili causa, si celebretur in loco privato, vel si causa ita celebrandi adstantibus sit manifesta, puta ob senectutem sacerdotis, vel loci frigus, ita ut quis non posset celebrare capite nudo sine notabili incommodo. Hinc ajunt *Cont. Tourn. de sacrif. cap. 9. art. 2. sect. 9. v. Quær. 5. in fin. Parisiis, et Vasq. ap. Croix, Coloniae tempore hiemali esse in usu celebrare cum pileolo usque ad secretas. Idque approbat Benedictus XIV. de Sacrific. Miss. t. 9. l. 1. c. 7. et 9.*, saltem pro eo qui graviori laboraret morbo; neque ob stare dicit statutum *Urbani VIII.* non enim censendum, ait, *Sedem apostolicam in casu extremo, et in morbo minimè diuturno rem hanc illicitam declarare.*

Dicunt autem *Suar. d. 82. sect. 5. Bon. p. 9. num. 29. Laym. cum Azor et Sa, item Spor. Fill. Rodrig. et alii ap. Croix d. n. 400.*, quòd, accedente causà, v. gr. infirmitatis, potest Episcopus, vel prælatus ordinis dare licentiam celebrandi capite aperto amictu, vel pileolo. Sed id negandum cum *Gavant. et Aversa apud eundem Croix*, ex decreto allato *Urbani VIII.* ubi expressè omnibus prohibetur sacrificare cum pileolo sine dispensatione apostolica. Idque confirmatum fuit à decreto *S. C. Rit. die 24 Aprilis 1626.* ubi dictum fuit: *Facultas concedendi usum pileoli in missa spectat ad Papam.* Item hic obiter notandum aliud decretum ejusdem *S. C. 15 Aug. 1695.* ubi: *Parochis ministraturis SS. Sacramentum infirmis non est licitum de die, neque de nocte uti parvo pileolo sub prætextu infirmitatis, absque speciali S. Sedis licentia.*

598. — Dubitatur 2. An liceat celebrare cum capillitio ficto, vulgò dicto *perrucca*? Adest decretum *S. C. Rit. editum 5 Aug. 1652.* ubi dictum fuit: *Missæ non potest celebrari cum cæsarie ficta.* Dicit verò *Pasq.* licère ex rationabili causa celebrare cum illa. Sed advertit *Croix num. 401.* hoc etiam hodie vetitum esse per decretum *Innocentii XI.* promulgatum in diœcesi Coloniensi die 21 Martii 1689. ubi sancitum fuit, *non posse Episcopos, et Nuntios apostolicos concedere licentiam sacerdotibus ejusmodi comas in actu celebra-*

tionis gestandi, omnibus et singulis præscribens ob reverentiam tanto Sacrificio debitam, *ut altari Dei non nisi detecto, ac nudato capite assistere præsumant*; idque sub *pœna suspensionis à divinis officiis.*

« Plura de his omnibus vide apud *Auct. cit. Gavant. Dian. Laym. Bonac. Card. de Lugo d. 20. sect. 4. Esc. ex. 11.* » ubi notat, etsi gravis sit obligatio servandi ritum celebrandi præscriptum in Rubricis Missalis, ideòque grave » sit omittere, v. gr. oblationem hostiæ, vel calicis, vel » infusionem modicæ aquæ (*Tamb. de expel. sacrif. l. 2. c. 5.*) nihilominùs levitatem materiæ sæpè excusare à culpa mortali omissionem, etiam intra canonem, monet » *Escob. l. c.*

599. — Quæritur, an Rubricæ Missalis sint tantum directivæ, sive de consilio ad instruendum, vel sint præceptivæ obligantes ad culpam? Ante omnia in hoc puncto prænotandum id quod habetur in bulla *S. Pii V.* apposita in fronte Missalis. ubi sic dicitur: *Mandantes et districtè omnibus et singulis præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ, ut cæteris omnibus rationibus, et ritibus ex aliis Missalibus in posterum penitus omissis, missam juxta ritum, modum, ac normam, quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur decantent, ac legant. Neque in missæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quàm quæ in hoc Missali continentur, addere vel recitare præsumant.*

Ad quæsitum autem quatuor adsunt sententiæ Doctorum, qui in hoc puncto valdè confusè loquuntur.

Prima sententia, quam tenent *Fagund. et Henno Cont. apud Tourn. loc. cit. sect. 8. v. Sub initio*, dicit omnes Rubricas esse directivas, cum ipsæ non præcipiant, sed tantum consulant, vel instruant. Sed hanc sententiam meritò rejiciunt *Quarti qu. proamial. sect. 2. p. 1. et Victor. in Memor. Cler. 2. p. 9.*

Secunda sententia, quam tenent *Suar. d. 85. sect. 5. Azor t. 1. l. 10. c. 29. q. 6. Bon. d. 4. qu. ult. p. 7. §. 5. n. 3. cum Possev. item Cou. Avers. Lez. et Molf. apud Merati t. 1. p. 2. n. 786.* dicit omnes Rubricas esse præceptivas ex præfata bulla *S. Pii*; unde censent omnes Rubricas obligare sub gravi de genere suo, et tantum ratione levis materiæ posse committi veniale.

Tertia sententia verò, quam tenent *Gavant. p. 3. tit. 21. n. 1. et 7. Lugo d. 20. n. 105. v. Secundo. Conc. p. 509. n. 1. Sporer num. 425. Holz. p. 86. n. 576. Elbel n. 268. Diana p. 2. tr. 14. r. 70. Renzi c. 9. q. 14. Tamb. de Sac. Miss. c. 3. §. 1. n. 1. cum March.* et probabilem putat *Quarti art. 7. n. 1.* censet alias Rubricas esse præceptivas, alias directivas: dicunt enim esse præceptivas Rubricas illas, in quibus apponitur verbum *graviter peccat*, vel quæ aliunde sunt præscriptæ à jure, vel à consuetudine, prout sunt Rubricæ circa integritatem sacrificii, materiam et formam, jejunium, vasa, vestes, etc. Directivas autem esse, v. g. orare ante vel post missam, numerum collectarum, lotionem manuum, genuflexiones, cruceas, etc. Ex auctoribus verò hujus sententiæ alii, ut *Concina, Tamb. et Sporer*, dicunt præceptivas obligare sub gravi, directivas autem sub levi. Sed pace ipsorum hæc doctrina non sibi congruit; repugnat enim dicere Rubricas esse tantum directivas, et obligare ad culpam; quia, si obligant, reverà potius præceptivæ, quàm directivæ dici debent. Melius igitur dicunt alii, ut *Gavant. Lugo, Holzmann, et Elbel*, Rubricas præceptivas obligare quidem ad culpam, non verò directivas, cum hæ sint tantum materia instructionis, et directionis, non præcepti.

Quarta sententia verò quam sequor, et tenent *Merali, Cont. Tourn. ibid. et Quarti d. qu. proæm. sect. 2. p. 2.* distinguit Rubricas in eas quæ servantur intra missam, sive in actu celebrationis, et in eas quæ servantur extra missam. Dicimus igitur Rubricas intra missam tantum esse præceptivas, et has tantum obligare, et quidem sub gravi, nisi levitas materiæ excuset. Probatur 1. ex Tridentino *sess. 7. can. 15.* ubi dicitur: *Si quis dixerit... approbatos Ecclesiæ ritus in solemnibus sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris prohibito omitti, aut in novos alios... mutari posse, anathema sit.* Certum est, quòd celebratio missæ etiam ad sacramenti Eucharistiæ administrationem pertinet. Probatur 2. et expressius ex-enuntiata bulla *S. Pii*, ubi ita dictum fuit: *Mandantes et omnibus districtè præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ, ut missam juxta ritum, modum, et normam in Missali præscriptam, decantent ac legant.* Deinde additur: *Neque in missæ celebratione alias cæremonias, vel preces ad-*

dere vel recitare præsumant. Ex quo patet falsam esse primam sententiam, necnon opinionem *Pellizarii, et Renzii* dicentium hanc bullam non obligare sub gravi, eò quòd in ipsa tantum vetetur inductio novi ritus, non autem mutatio, aut variatio cæremoniarum vel precum: nam bulla duplex quidem præceptum continet, et utique grave (cum præcipiat *districtè, et in virtute sanctæ obedientiæ*), unum de non addendis aliis cæremoniis, et aliis precibus non recitandis, præter præscriptas in Missali: alterum de celebrando juxta *ritum, modum (nota) et normam Missalis.* Ad modum et normam quidem spectat. ne varientur cæremoniæ in Missali præscriptæ.

400. — Unde rectè ait *Croix n. 422. cum Pasq.* non excusari à veniali sacerdotem qui omittit benedictiones, inclinationes, genuflexiones, etc. uti præscribuntur in Rubrica. Et idem sentio cum *Conc. p. 509. n. 2.* de eo qui advertenter non genuflectit usque ad terram, vel tantum signat deosculari altare, vel perturbat benedictiones contra Rubricæ præscriptum. Item dicit *Croix ibid. cum Pasq.* esse veniale facere ea nimis celeriter, vel nimis prolixè. Præterea rationabiliter addunt *Conc. ibid. Wig. tract. 15. n. 75. Croix l. c. et Ronc. c. 5. qu. 4. in fine,* posse esse etiam mortale, si quis has cæremonias, esto ex gravioribus, omitteret in notabili parte. Hinc probabiliter asserunt *Roncaglia, Quarti p. 1. tit. 16. p. 6. diff. 5. et Pasq. q. 29. n. 7.* non excusari à mortali sacerdotem absolventem Sacrum infra quadrantem, à quo non videtur dissentire *Gobat. cap. 25. n. 814.* dicens non posse intra quadrantem perfici missam sine multis imperfectionibus. Unde meritò ait *Roncaglia cum Quarti, et Pasq.* Episcopos et prælatos regularium, tenèri sub gravi turpem hanc et scandalosam celeritatem extirpare. Et ab hoc reatu non excusari, rectè consequenter ait *Conc. p. 509. num. 1.* qui ex crassa negligentia non curat cæremonias addiscere. Optimè hinc docet *Benedict. XIV. Notif. 54. nu. 50. cum Quarti, Gob. Cotton. Bisso, Clericat. Ronc. et communi,* missam non brevioris triente, nec longioris dimidiâ horâ debere esse; quia breviori spatio non possunt omnia debito decore peragi, et longiori, tædio esset adstantibus.

Hinc dicimus difficulter posse excusari à mortali sacerdotem, qui infra quadrantem missam solveret, etiamsi missa sit ex brevioribus, vel de S. Maria in Sabbato; quia in tam

brevi spatio necessariò committere debet duos graves defectus; alterum gravis irreverentiæ erga Sacramentum, alterum gravis scandali erga populum. Et ne sine fundamento loqui videamur, ad trutinam utrumque vocemus, rem à suis principiis assumendo. Nequit negari, quòd Rubricæ, in quantum pertinent ad cæremonias intra missam servandas, omnes sint præceptivæ, ut probavimus num. 399. cum Cont. Tourn. *Quarti. et Merati, ex Trident. sess. 7. can. 15. et ex bulla S. Pii V. ubi præcipitur, districtè in virtute sanctæ obedientiæ, juxta ritum, modum, et normam in Missali præscriptam missam decantari ac legi.* Ex quibus verbis, districtè, et in virtute, etc. non dubitandum, quin tale præceptum circa missæ cæremonias sit quidem grave. Quamobrem, sicut qui omittit cæremonias in materia levi, non excusatur à levi culpa, ita qui in materia gravi, à gravi culpa non excusabitur, ut diximus mox suprâ cum *Croix, Ronc. Wigandt, et Conc.* Impossibile autem est missam perfici infra quadrantem, quin omittantur aut verba, aut cæremoniæ: vel saltem quin notabiliter imminuatur decencia et gravitas tanto sacrificio debita. Hoc sedulò animadvertendum: quis enim fortè dicet, quòd ipse benè pronuntiat integra Missalis verba, et benè adimplet cunctas missæ cæremonias. Verùm, licèt detur aliquis ita linguâ et motu expeditus, ut infra tale tempus satisfaceret omnibus Missalis verbis, et cæremoniis; attamen saltem est moraliter impossibile, quòd iste celebret, quin notabiliter detrahat ex una parte reverentiæ ab eo præstandæ erga sacrificium, et ex alia quin ipse sit causa, ut populus assistens non deficiat in veneratione quæ eidem sacrificio debetur.

Porrò loquendo in primis de reverentia ab ipso celebrante erga missam exhibenda, Tridentinum sess. 22. ita nos instruit: *Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum missæ sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facillè existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris Litteris eum vocari qui facit opus Dei negligenter. Quòd si necessariò fatemur, nullum aliud opus adeò sanctum ac divinum à Christi fidelibus tractari posse, quàm hoc ipsum tremendum mysterium.... satis etiam apparet omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quantâ maximâ fieri potest interiori cordis munditiâ et puritate, atque exteriori*

devotionis ac pietatis specie peragatur. Proinde addit: Cùm igitur multa jam sive temporum vitio, sive hominum incuria et improbitate irrepsisse videantur, quæ à tanti sacrificii dignitate aliena sunt, ut ei debitus honor et cultus ad Dei gloriam, et fidelis populi ædificationem restituatur, decernit sancta Synodus; ut ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere, atque è medio tollere sedulò curent, ac teneantur, quæ vel avaritia (idolorum servitus), vel irreverentia quæ ab impietate (nota) vix sejuncta esse potest, vel superstitio (veræ pietatis falsa imitatrix) induxit. Primò igitur concilium declarat maledictionem à Jeremia 48. prolatam in negligenter exequentes functiones cultui divino addictas, intelligi præcisè ac gravitate, subdens hujusmodi negligentiam eam invehere irreverentiam quæ ab impietate, vix sejuncta esse potest. Si autem cæremoniæ in missa ad eum quippe finem ab Ecclesia præscribuntur, ut debita præstetur reverentia erga tam venerabile Mysterium, ipsas exhibendo cum eo decore et gravitate, quæ majestati tanti sacrificii conveaiunt; quomodo unquam levis censeri poterit irreverentia missæ irrogata ab eo celebrante qui tam celeriter illam solvendo, non poterit quidem celebrare absque plurimis defectibus, nimirum quin verba, benedictiones, et genuflexiones mutilet, quin indecenter se moveat et convertat, et quod magis dedecet, quin verba cum cæremoniis complicit, aut ipsa contra Rubricarum præscriptum anticipet vel postponat? Quæ sic agendo non poterit non notabiliter detrahare intrinsecæ decentiæ debitæ sacrificio, quod ex postulat, ut non tantum cæremoniæ persolvantur, sed persolvantur cum gravitate convenienti quæ intra spatium tam breve sanè adhiberi non potest.

Hoc quoad reverentiam ab ipso celebrante præstandam. Respectu autem ad venerationem ingerendam adstantibus erga missam, attende id quod tradit idem Trident. sess. 22. c. 5. de Sacrif. Miss. ibi: *Cùmque natura hominum ea sit, ut non facillè queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationum sustolli; propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam instituit; cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, etc. ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad*

rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur. Ergò, sicut concilium docet, ad hoc sacræ cæremoniæ institutæ sunt, ut per talia visibilia signa fideles sacrificii majestatem et mysteriorum in eo contentorum sublimitatem animadvertant. Sed cum hujusmodi cæremoniæ exhibentur nimis festinanter, sicut quidem oportet eas persolvere intra tempus tam breve, tunc ipsæ non tantum minimè ingerunt debitam venerationem erga missam, sed insuper sunt causa, ut in populo veneratio deficiat. Ideòque, cum graviter lædatur finis cæremoniarum, sacerdos ita celebrans non valet excusari à gravi culpa propter grave scandalum quod populo præbet. Ac propterea appositè concilium Turonense anno 1585. præcepit, ut sacerdotes benè instruantur in missæ cæremoniis, ne populum (verba concilii) sibi commissum à devotione potius revocent, quàm ad sacrorum et tremendorum mysteriorum meditationem, et debitam eis impendendam venerationem invitent. Qui autem cum excessiva festinatione, et consequenter sine convenienti decencia missam persolvit, non solum non invitat assistentes ad contemplanda mysteria, nec ad exhibendam eis debitam venerationem, sed potius invitat ad venerationem abjiciendam; imò potius adstantium mentibus tentationes adversus fidem ingerit, auferendo, aut saltem imminuendo credulitatem, quòd ibi Christus Dominus realiter adsit, dum spectant, eum tam irreverenter à celebrante recognitum. Et hoc quidem est illud scandalum et nocumentum, quod à gravi culpa nequit excusari.

Ita res se habet, sed heu quot sunt superiores isti, et quot sacerdotes, qui de hoc sibi scrupulum injiciunt! Exclamant concionatores, exclamant scriptores rectè docentes, quòd ingens divexatio cæremoniarum, et consequenter quòd missæ absolutio infra quadrantem non potest excusari à culpa gravi; sed quot sunt ii qui curam habent hæc vitandi? Hujusmodi corruptela non quidem calamo, sed lacrymis esset persequenda, dum quotidie cernimus, non solum maximam partem sacerdotum sæcularium hoc tremendum sacrificium peragere pejùs, quàm tractant res temporales levioris momenti, ita oscitanter, ut nullam de tanto mysterio fidem habère videantur, sed quod deplorabilius, etiam religiosi, adhuc arietioris observantiæ, qui in aliis rebus spiritualibus agendis

magnam dici partem insumunt, missam verò, quæ omnium est divinissimum, non dubitant brevissimo tempore perficere. nec ipsi ab hoc detestabili abusu se abstinere, nec prælati eos corripere curant. En quomodo de hoc conqueritur venerabilis Card. Bellarm., relatus in bulla, *Annus qui, etc. N. SS. Bened. XIV. Aliud est etiam lacrymis uberrimis dignum, quòd ob nonnullorum sacerdotum incuriam, aut impietatem sacrosancta mysteria tam indecorè tractentur, ut qui illa tractant, videantur non credere Majestatem Domini esse presentem. Sic enim aliqui sine spiritu, sine affectu, sine timore, et tremore, festinatione incredibili sacrum perficiunt, quasi fide Christum Dominum non viderent, aut ab eo se vidèri non crederent.*

401. — Dicit autem *Merati* p. 788. n. 5. præter Rubricas Missalis, quæ considerantur tanquam regula proxima sacrorum Rituum, adesse etiam decreta S. C. Rituum, quæ censèri debent pariter ut regula proxima, cum hæc S. C. facultatem habeat declarandi omnia dubia. quæ circa ritus insurgunt, prout colligitur ex *Constitutione 74. Sixti V.* et ideò ejus resolutiones habentur tanquam Pontificis oracula. Notat verò non omnes ejus declarationes dici decreta rigorosè sumpta, sed tantum ea, quæ emanant in forma rigorosa decreti, vel saltem in fine habent aliquam decreti clausulam, putà, *ab omnibus servetur: servari ab omnibus mandavit, etc.* Si verò sunt declarationes tantum dubiorum, tunc juxta nonnullorum opinionem censentur dumtaxat directivæ, reputantur enim sapientissimorum virorum responsa. Verùm ait *Ursaja* hujusmodi resolutiones præferendas esse aliorum doctorum opinionibus. Hucusque *Merati*. Idem sentit *Euseb. Amor. t. 5. de sacr. Ord. §. 25. q. 9.* In sequenti autem *q. 10.* quærit, quid agendum, si in aliqua diœcesi, vel ordine religioso vigeat consuetudo contraria Rubricis? Et sic respondet: *S. C. Rituum constanter tolerat consuetudinem, saltem immemoriam contrariam Rubricis. Itaque tutà conscientiâ licet se conformare consuetudini diœcesanæ, præsertim in rebus levioris momenti, quæ non cedunt in deformitatem cultus publici.* Idque eruit ex pluribus decretis S. C. apud *Merat.* ubi ait apparère non rejici consuetudines, nisi contineant positivam indecentiam, quæ nequeat decenter tolerari.

402. — Præscribit autem Rubrica celebrantem debère esse calcatum. Ad hoc tamen sufficit, ut sit indutus crepidis,
Tom. VI.

vulgò dictis *pianelle*, seu *pantofole*, ut rectè ait *Croix* n. 599. et communis usus habet. Commune autem est, quòd celebrare sine causa nudis pedibus, secluso contemptu, non excedit veniale, ita *Suar. d.* 82. sect. 5. *Laym. c.* 6. n. 16. *Croix l. c. Lugo d.* 20. n. 402. *Pal. p.* 10. n. 9. *Ronc. c.* 5. q. 3. r. 1. *Bon. p.* 9. n. 29. et *Salm. tr.* 5. c. 4. p. 4. n. 100. cum *Vasq. Sa. Conc. et aliis passim*, contra *Sylo*. Diximus sine causa, nam ex necessitate, aut rationabili causa, dicunt *Croix ibid. cum Sp. et Pasq. item Laym. et Phil. ap. Salm. l. c.* nullum esse peccatum.

Dicit etiam *Croix num.* 402. cum *Vasq. Dic. et Gob.* eum, qui non posset celebrare sine baculo, licèt posse illo uti. Additque *ibid. Gob.* quòd si quis nequiret celebrare nisi utroque brachio super altari innixò, licèt sic celebraret privatim non autem publicè, nisi hoc faceret ex necessitate. Hoc tamen puto non excedere veniale, à quo videtur excusari posse, qui ob infirmitatem nequiret rectus stare, et ex sua devotione vellet celebrare, modò vitetur populi admiratio. Dicunt etiam *Croix n.* 427. et *P. Concina p.* 510. num. 4. quòd si quis non possit elevare hostiam, sed potest reliqua, potest celebrare privatim, et etiam publicè, si adsit necessitas, et populus moneatur, sed puto satis esse populum tantùm monère, si quis ex devotione celebret.

403. — « Unde veniale tantùm erit: 1. Omittere orationes » dici solitas, dum sacerdos se induit, ut contra *Nav. Sylo.* » et *Azor* docent *Laym. Fag. Dian. r.* 21. etc. Lotionem » autem manuum ante, vel post missam, etsi facilè omitti » non debeat, non vidèri sufficientem materiam rigorosi præ- » cepti, tenent *Suar. et Tamb. §.* 6.
 « 2. Omittere *Gloria*, vel *Credo*, vel in canone nomen » alicujus Sancti, vel ea, quæ tempore paschali interponun- » tur inter Communicantes, aut Infra actionem. *Diana p.* 2. » t. 14. r. 49. et 89. ex *Fill. Quintan. etc.* In missa autem, » quæ canitur, non legere Evangelium submissà voce, *Dian.* » l. c. res. 4. negat esse peccatum, ex *Sanch. et aliis* 10. » quòd rubrica sit tantùm directiva. Si quis autem in missa » advertat aliquid à se omissum, regulariter non esse repe- » tendum, ait *Suar. Tamb. de exped. Sacrif. l.* 2. c. 5. Dicit » regulariter, quia 1. si sit de substantia, v. g. aliquid per- » tinens ad consecrationem, certum est debère repeti. 2. Si » dum secretò orat, post pauca verba certò advertat se ali-

» quid notabile omisisse, v. g. die Paschæ, Communicantes, » paululùm regrediendum esse, et repetendum censet *Tamb.* » l. c. Ita *Fill. Dian. res.* 59. *Escob.* » (Ita communiter omnes cum *Spor. num.* 445. qui rectè infert cum aliis, nullo modo esse repetenda *Gloria*, aut *Credo*, aut præfationem, sive Communicantes. Hanc igitur, propria, si omisa fuerint, vel evangelium aut epistolam, si dicta est una pro alia.)

404. — Quoad omissionem partium missæ, oportet distinguere partes ordinarias ab extraordinariis. Partes ordinariæ sunt illæ, quæ semper dicuntur, vel aguntur; et has omittere de se est peccatum grave, nisi levitas materiæ excuset. Hinc communiter DD. dicunt esse mortale, omittere confessionem cum aliis in principio missæ, epistolam, evangelium, collectas principales, offertorium, fractionem hostiæ, et illius mixtionem in sanguinem. Ita *Suar. d.* 85. sect. 5. *Cont. Tourn. de sacrif. c.* 9. art. 2. sect. 8. *Sporer n.* 45. *Conc. p.* 510. *Mazz. t.* 5. p. 209. *Ronc. c.* 5. q. 4. *Viva q.* 5 a. 7. *Tamb. c.* 5. §. 2. et aliis passim; licèt non omnia hæc reperias apud omnes hos AA. Idem dicendum cum *Cont. Tourn. l. c.* de omissione præfationis.

405. — In canone autem mortale est omittere quamlibet orationem, vel ejus verba ita mutare, ut sensus varietur, vel aliquod verbum omittere, quo sublato, reliqua verba sensum non faciunt. *Conc. l. c. et Croix n.* 418. cum *Dian. Filliuc. et Aversa.* Idem dicendum de omissione *Pater noster*, vel *Agnus Dei* cum *Mazzot. Pasq. Conc., et Cont. Tourn.*; licèt *Croix n.* 419. id vocet satis rigidum, sed immeritò. Idem cum *Cont. Tourn. de Libera nos, Domine non sum dignus*, et *Quid retribuam*, idem dicendum de purificatione patenæ, et calicis, post sumptionem. *Pasq. q.* 208. et *Cont. Tourn. ibid.* Idem dicendum, si quis omitteret decem, vel octo nomina Sanctorum, ut veriùs censent *Salm. tr.* 5. c. 4. p. 4. n. 418. et *Diana p.* 10. tr. 16. r. 56. (contra *Bernal et Pasq.*) Putant autem *Conc. et Nugnus ap. Renzi c.* 4. q. 16. esse etiam mortale omittere unius vel alterius Sancti nomen, sed rectiùs et communiter id negant *Cont. Tourn. Ronc. c.* 5. q. 4. *Salm. l. c. Croix n.* 418. cum *Fill. Aversa, et Diana, Elb. n.* 285. *Spor. n.* 425. *Renzi l. c. cum Suar. et Granada.* Et probabiliter *Quarti sect.* 5. p. 5. *Cont. Tourn., et Ronc.*, excusant à culpa gravi, omittere tria vel quatuor nomina Sanctorum.

406. — Veniale autem est omittere *Kyrie eleison*, ut *Ronc.*

q. 4. r. 2. *Dian. part. 2. tr. 14. r. 59. Wig. tr. 15. n. 75. et Elbel n. 280.* Idem dicunt *Mazzot. p. 209, Lugo dist. 20. n. 104. et Tamb. c. 5. §. 2. n. 5.*, de Evangelio S. Joannis, contra *Ronc. q. 4. r. 1.* qui non improbabiler ait cum *Suar.* hujus omissionem esse mortale, saltem dico, si adsit scandalum. Veniale est omittere unam vel alteram crucem super oblata, vel tursionem pectoris, aut lavationem manuum. *Ronc. q. 4. r. 5. et Dian. part. 3. tr. 5. r. 45.* Idem ait *Croix n. 147. cum Quarti*, de omissionem psalmi *Judica*, signi crucis super aquam, ablutionis digitorum in missa, et similium. Veniale etiam est omittere unam ex tribus collectis principalibus, ut communiter dicunt *Cont. Tourn. ibid. Conc. p. 510. n. 5. Elbel n. 285. et Croix n. 421. cum Quarti*; imò *Tamb. c. 5. §. 2. num. 5.*, putat nec etiam esse mortale, omittere duas ex his orationibus; sed alii rectius contradicunt, ut *Suar. dist. 85. sect. 5. Pal. p. 11. n. 1. Conc. l. c. Salm. tr. 5. c. 4. p. 4. n. 112. et Spor. n. 455.*, qui addit, quòd si ommissa sit prima oratio, ipsa cum secreta est recitanda, non verò postea. Ita de collecta propria, nam aliæ orationes, quæ præter eam adduntur in missa, non erit mortale eas omittere, ut *Pal. et Conc. ll. cc.*

Si autem in Missali verba canonis sint detrita, et non possit aliud Missale haberi, nisi post longum tempus, illa omittere, cum memoria non tenentur, nullum est peccatum. *Mazzotta p. 210. et Croix n. 418. cum Pasq. et Verric.* Id tamen intelligendum, si sacerdos hoc prius non adverterit.

407. — Mutilare autem verba, aut syncope intermediare, salvo sensu, et secluso scandalo, non est plus quam veniale, *Croix n. 442. cum Pasq. et Quarti, ac Mazz. p. 112.*, qui probabiliter addit nullum esse peccatum, si id ex naturali defectu fiat.

408. — Peccaret quidem sacerdos, si in purificatione calicis solâ aquâ uteretur, *cap. Ex parte 5. de cel. Miss.* ubi dicitur: *Semper sacerdos vino perfundere debet postquam totum acceperit Eucharistiae sacramentum.* Sed hoc non erit plus quam veniale, ut communiter dicunt *Conc. p. 510. n. 5. Pasq. q. 209. n. 8. et Croix n. 425. Tamb.*, qui id etiam à veniali excusat, si sacerdos sit abstemius, contra *Gavant.* In ablutione autem digitorum dicunt *Pasq. l. c. Quarti, in qu. proæm. p. 6. Gobat. ap. Croix, et Bissus apud Merati p. 594.*, nullum esse peccatum, solam aquam adhibere; sed

melius dicunt *Conc. l. c. ac Bonamic. Cosettus, et Arnaud. apud Mer. l. c. n. 21.*, id non excusari à veniali, si fiat sine dispensatione Pontificis: excusabitur tamen, ut dicunt, si adsit rationabilis causa, pro qua puto quidem sufficere aliquem esse abstemium, vel vinum esse rubeum, quo purificatoria evaderent indecenter maculata. Hic obiter advertendum decentius esse, ut sanguis sumatur unico haustu, prout communiter docetur; permittunt verò *Baudd. Cabrinus, Arnaud. et alii apud Merati p. 595.*, posse calicem secundâ et tertiâ vice ad os admovèri, ut reliquiæ sanguinis absumantur; sed melius dicunt *Tonnell. Castald. et Crassus ibid.* semel calicem ori admovendum, aliquantulum immorando, ut reliquiæ omnes (quantum fieri potest) attrahantur. Monuit autem *S. Pius V.* in quadam Epist. apud *Gav. part. 2. tit. 10.* ut in calicem infundatur eadem vini quantitas, in qua fuerunt species sanguinis, et sumatur per eandem partem quâ sumptus sit sanguis.

409. — Hæc hætenus quoad partes ordinarias: quoad verò partes *extraordinarias*, scilicet quæ non in omni missa dicuntur, eas omittere non est nisi veniale; ita communiter omnes, nisi tot partes omittantur, quæ simul sumptæ notabilem materiam constituerent, ut bene advertunt *Conc. p. 510. n. 5. et Wig. tr. 15. n. 75.*, quidquid dicant *Quarti, et Pasq. apud Croix n. 420. Vide dicta n. 400.* Veniale autem tantum erit omittere *Gloria*, aut *Credo*, sequentiam, collectas (præter propriam missæ), tractum, præfationem, vel *Communicantes*, aut Hanc igitur, specialia. Ita comm. *Conc. et Wig. ll. cc. Pal. p. 11. n. 11. Ronc. q. 4. r. 2. Mazz. p. 209. Ell. n. 284. cum Henno, et Croix n. 420. cum Lugo, Dian. et Filliuc.*

Lotio manuum ante missam debet fieri saltem sub veniali, et sub gravi, si manus sint valde immundæ, propter reverentiam sacrificii, ut rectè dicunt *Ronc. q. 1. r. 2. Cont. Tourn. cap. 9. art. 2. sect. 8. v. Quer. 4. cum Quarti et aliis.* Omittere verò lotionem post missam nullum erit peccatum, ut rectè ait *Croix n. 415. cum Quarti.*

410. — Dubitatur 1. An peccent mortaliter regulares, qui in canone nominant nomen sui Generalis vice Episcopi? Affirmant *Viva art. 7. nu. 1. Renzi c. 4. qu. 16. et Diana p. 2. tr. 14. r. 50.* ex quadam declar. *S. C. ap. Rodr. et Vill.* Sed negant *Spor. Rodr. Tamb. et Bordon. ap. Croix n. 456.*, quia, ut dicunt, hæc non videtur gravis materia, et de tali

declar. authenticè non constat. Notandum autem, quòd in canone debet nominari Episcopus non celebrantis (ut putat *Croix* n. 562.), sed loci, ut universalis usus habet (saltem apud nos), et cum communi sententia tenent *Merati* p. 457. et *Gavant. Gob. etc. ap. Croix* l. c. ex declar. S. C. Et probatur clarè ex Rubrica p. 2. tit. 8. n. 2. ubi dicitur, quòd si Episcopus loci sit vità functus, omittitur nominari Episcopus.

Dubatur 2. An sit veniale omittere orationes ante vel post missam? Affirmant *Salm. tr. 5. c. 4. p. 4. n. 95. cum Fag. et Leand.* loquendo tamen de illis, quæ post missam assignantur. Sed communiter negant *Gav. p. 2. tit. 1. n. 1. Cont. Tourn. loc. cit. v. Quær. 5. Antoine* p. 492. n. 2. *Holz. n. 576. Pal. p. 4. n. 2. Tamb. c. 7. §. 1. n. 1. Elbel nu. 267. et Ronc. q. 1. r. 2.*, quia in Rubrica non adest de illis præceptum, sed tantum insinuatio, cum ibi in præparatione missæ solummodò dicatur: *Orationes pro temporis opportunitate* (hoc est commoditate) *dicendæ.* Qua de re *Gavant.* ait: *Inde patet nullum esse peccatum, si celebraturus eas omittat, et communis... à sacerdotibus omittuntur.* Hoc tamen non obstante, sacerdos, qui sine ulla alia præparatione, saltem domi facta, ad sacrificandum accederet, puto ab aliqua culpa non excusandum.

Dubatur 5. An omittere orationes induendo vestes sit peccatum? Negant *Suarez d. 82. sub initio, et Buchardus ap. Gav. n. 6. E converso Azor lib. 10. c. 29. q. 5. Nav. Man. c. 25. n. 75. et Sylvest. apud Escob. n. 505.* censent esse mortale, quia, ut dicunt (sed non satis probabiliter), sicut est mortale celebrare sine vestibus, ita sine orationibus ad vestes. Tenendum igitur cum communi sententia hanc omissionem esse culpabilem, sed non plus quam venialem, ut putant *Lugo dist. 20. n. 106. Bon. p. 9. n. 52. Laym. c. 6. n. 12. Cont. Tourn. ibid. post Quær. 11. v. Dico 4. Salm. tr. 5. c. 4. p. 4. nu. 95. Pal. part. 10. n. 8. cum Henr. et Petig. et Escob. n. 507. cum Fag. Aversa, Man. Vega, etc.* Aliter autem quidem sunt necessariæ vestes sacræ ad reverentiam sacrificii, aliter orationes ad vestes.

Dubatur 4. An peccet sacerdos, si in missa solemnè non recitet, quæ cantantur à choro? Negant *Wig. tr. 15. n. 75. Nav. c. 10. n. 54. Diana p. 1. tr. 14. r. 42. item Led. Vill. Vega ap. Escob. num. 511. ac Peliz. Tamb. et Quarti ap. Mazzotta p. 209.* Ii dicunt sufficere, quòd sacerdos attendat

ad ea quæ cantantur; ea enim quæ ex utraque parte dicuntur, ad invicem communicantur, ut fit in horis canonicis. Alii verò, ut *Conc. p. 510. n. 3. et Pasq. apud Mazzotta,* dicunt tenèri sub mortali juxta quantitatem materiæ, quia id jam præscribitur in Rubrica tit. 4. n. 7. et tit. 5. n. 4. et 5. Alii tandem, ut *Lugo d. 20. n. 107. et Aversa, q. 11. sect. 12.* non improbabiliiter dicunt tenèri tantum sub veniali. Ratio, quia tunc reverà non omittitur epistola vel evangelium in missa, siquidem illa jam cantatur solemniter à ministris ad instructionem populi, pro quo altè ea legi vel cantari instituta sunt; unde lectio illa submissa magis videtur præscribi privatim pro ipso sacerdote, quam pro populo: potest ergò eadem materia omissa in se gravis fieri levis, si non à sacerdote, sed tantum à ministris dicatur, cum sacerdos et ministri in celebranda illa missa faciant unum.

Dub. 5. An sit mortale celebrare missam cum notabili voluntaria distractione? Negat *Croix n. 445. cum Diana, et Bardi,* ac probabile putat *Mazzotta t. 5. p. 212.* Et hoc, etiamsi distractio esset sub consecratione, aut sumptione; quia (ut dicunt) attentio interna in oratione non præcipitur sub gravi, juxta opinionem plurium DD. relatam l. 5. n. 177. Affirmant verò *Conc. p. 515. n. 15. Ronc. c. 5. q. 2. r. 5. et consentit Tamb. cap. 5. n. 8. et 9.* quoad ea quæ recitantur in canone, et signanter sub consecratione, et communionem. Huic sententiæ potius ego adhæreo: ratio, quia (præmissâ quæstione an attentio interna sit vel ne de essentia orationis, de qua dicto n. 177. satis locuti sumus) sacrificium, præter rationem orationis, habet insuper rationem cultus excellentissimi religionis, cui gravem videtur ille irrogare irreverentiam, qui dum profiteretur actu religioso Deum colere, voluntariè se distrahit.

411. — « 5. Ex devotione leve aliquid in missa, etiam dum » secretò orat, addere, v. g. orationem Dominicam, vel » psalmum aliquem; vel in canone nominibus Sanctorum » nomen patroni loci, *Tamb. lib. 5. exped. sacrif. c. 5.* Dixi » leve: quia notabiliter addere, esse mortale vult idem *Tamb. loc. cit. ex Bonac. art. 4. quæst. ult.*

Certum est apud omnes, esse mortale addere aliqua in missa, animo introducendi novum Ritu. Vide *Suarez d. 85. sect. 1. Pal. p. 11. n. 1. et alios passim.* Hinc rectè *P. Conc. p. 510. n. 5.* dicit peccare graviter qui adderet in missa novas

publicas preces. Si verò ex importuna devotione addantur plures collectæ ex eodem Missali, vel *Credo*, aut *Gloria*, *Pater*, *Ave*, vel quid simile, id non excedit culpam venialem; ita communiter *Conc. l. c. Sporer n. 428. Pal. d. n. 4. cum Conc. et Mazzotta t. 5. p. 210. cum Suar. et Gob. Rationabiliter tamen censet Aversa apud Croix n. 429. esse mortale addere Gloria, et Credo in missa de requiem, quia hæc videtur satis gravis inordinatio.*

Probabiliter autem dicunt *Concina n. 5. et Croix n. 429. cum Pasq.* quòd, licèt satius sit servare Rubricam, non tamen est vetitum ex aliqua causa, vel ex devotione addere unam collectam; adduntque *Gobat. et Piscara apud Croix ib.* hoc fieri posse etiam in festo secundæ classis, si adsit peculiaris causa. Collecta autem pro publica necessitate potest esse tertia ad libitum, vel addi pro quarta, *Croix l. c.*; communior verò opinio est, *ibid.* quòd omittenda sit in festo 1. et 2. classis. Notandum hic ex decreto S. C. Rit. ap. *Croix n. 432.* quòd cum expositum est SS. Sacramentum, adhuc in missa duplici, potest de eo fieri commemoratio; tunc tamen præfatio debet esse communis, vel propria illius missæ, ut ex aliis decretis ejusdem S. C. apud *Pitton. n. 4214. et n. 4647.* In missis autem votivis pro re gravi, et causa publica, semper dicitur *Gloria*; *Croix n. 464.* Et in missa solemnī pro re gravi, aut causa publica, v. g. 40 horarum, dicitur etiam *Credo*, *Croix n. 466.* In oratione *A cunctis* non vetatur nominari quivis Sanctus canonizatus, et etiam duo, sed non plures; *Croix n. 462.* Vetitum est verò addere in confessione, et tantò magis in canone nomen alicujus Saneti, ut benè advertit *Tamb. c. 5. §. 5. n. 9.* Et ita etiam vetitum est addere nomen aliorum Sanctorum in litanis publicis coram populo, ex decreto S. C. 22. Martii 1671. ap. *Gav. Man. Episc. v. Litanie. n. 5. (1).*

412. — « 4. Celebrare ante dictum Matutinum, ut contra » *Azor et Regin. docent Sylvest. Valent. Suar. Vasq. Less.*

(1) Orationes missæ extraordinariæ, quæ in certis circumstantiis injunguntur, semper dicendæ sunt post ordinarias orationes assignatas de die vel de tempore, nullà ex his omissà, ne illà quidem, quæ ad libitum dicitur; ita S. R. C. 17 Aug. 1709. Ad orationes extraordinarias pertinent :

a) Oratio ab Episcopo vel superiore præscripta, quæ in festis dupl. I cl. omittitur; in festis verò dupl. II cl. dici aut omitti poterit in missa privata, sed in solemnī omittenda. S. R. C. 15 Maj. 1819. In Dominicis I

» *Fagund. Laym. etc.* quorum plerique tamen cum *Palao* » dicunt esse veniale si fiat sine causa: licèt et hoc *Tamb.* » *l. 1. art. 7. §. 1. de exped. sacrif. in dubium vocet.* » (De hac questione, an liceat celebrare ante dictum Matutinum et Laudes, vide dicta num. 547.)

415. — « 5. Quæ altà voce dicenda præscribuntur, adeò » submissà dicere, ut adstantes audire non possint. *Tamb.* » *de exped. sacrif. lib. 1. c. 9.* quidquid dicat *Navar. apud* » *Sa v. Missa.* Imò notat idem *Tamb. ex Conc. de Lugo. d. 24.* » *sect. 2.* à timoratis passim sine scrupulo voce pressà legi.

Ante omnia hic notandum id quod habetur in Rubrica *part. 1. tit. 16.* ubi dicitur: *Sacerdos autem maxime curare debet, ut quæ clarà voce dicenda sunt, distinctè et appositè proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit quæ legit; nec nimis morosè (notent qui in missa indiscretam devotionem protrahunt), ne audientes tædio afficiat: neque etiam voce nimis elatà (et in hoc plures errant), ne perturbet alios, qui fortassè in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant, neque tam submissà, ut à circumstantibus audiri non possit, sed mediocri et gravi, quæ devotionem moveat, et audientibus ita sit accommodata, ut quæ leguntur intelligant, quæ verò secretò dicenda sunt, ita pronuntiet ut ipsemet se audiat, et à circumstantibus non audiantur.*

414. — Dubitatur 1. An peccet qui ita submissè pronuntiat verba, ut ne seipsum quidem audire possit? *Tamb. c. 9. §. 5. n. 2. ex Nav.* dicit hunc non peccare, quia ut oratio sit vocalis, sufficit, ut exterius proferatur. Alii verò, ut

et II cl. non omittenda, exceptis Dom. Palmarum et Dom. IV Advent., si in eam Vigil. Nativitatis cadit. S. R. C. 20 April. 1822. —

b) Oratio de SS. Sacramento, quæ è S. R. C. 25 Jun. 1756 dicenda est in missa cantata, durante expositione, sub unìcà conclusionè; si duæ tantum sint orationes; si plures sint, unienda est in fine aliarum commemorationum; item in missis privatis, si expositio fit pro publica causa, etiamsi in pixide. S. R. C. 7 Maj. 1746; sed in festis I et II cl. omittenda est. S. R. C. 2 Dec. 1684.

Notandum. In oratione *A cunctis* ad litt. N. exprimi debet Titularis ecclesie, in qua celebratur; quòd si jam in oratione occurrit, alius Sanctus nominari vel penitus omitti poterit. Si Titul. sit angelus, S. Joan. Baptistista, S. Joseph, horum nomina præponenda sunt SS. Apostolis. Ex concessione *Pii VII.* 17 Sept. 1815. sic dici potest pro S. Josepho... *Maria cum B. Josepho, ejus sponso et cum B. Apostolis, etc.*

Croix num. 458. Gav. p. 1. tr. 16. lit. g. Conc. p. 511. n. 6. Pal. de hor. can. d. 2. p. 3. n. 6. Suar. de rel. l. 4. c. 7. n. 6. et alii dicunt hunc peccare mortaliter, quia verba, quæ non audiuntur, vocalem orationem non constituunt. Attamen probabiliter sentit Cont. Tourn. hic cap. 9. art. 2. sect. 9. ante Quær. 6. v. Verim, id non esse mortale, cum satis sit probabilis opinio enuntiata (nempe ad orationem externam non esse necessarium, ut orans se audiat), quam tenent Laym. Azor, Sylvius, Salm., et alii plures quos adduximus l. 5. num. 163. cum Cont. Tourn. loc. cit. qui hanc asserit esse communem; et hoc facit id quod habetur in lib. 1. Regum c. 1. ubi dicitur: Anna.... oravit ad Dominum..., dicens Domine, etc. En oratio vocalis: deinde additur: Porrò Anna loquebatur in corde suo, tantum labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur. Sed rectè idem Cont. ait in missa hoc non excusari à culpa veniali, cum in Rubrica suprâ allata expressè præcipiatur, ut celebrans ita pronuntiet, ut ipsemet se audiat. Benè verò dicit Quarti p. 1. t. 16. dub. 1. non excusari à mortali, qui sic proferret verba consecrationis. Ratio, quia cum opposita sententia Palat, et aliorum, ut suprâ, sit etiam probabilis, exponeretur sacramentum periculo nullitatis, quod certè illicitum est ex prop. 1. damnata ab Innoc. XI.

415. — Dubitatur 2. An peccet qui recitat submissè, quæ altâ voce recitanda præcipiuntur? Videtur omninò negare Tamb. c. 9. §. 1. num. 1. dum asserit à viris timoratis voce omninò depressâ missam sine scrupulo recitari. E converso Nav. et Cajet. ap. Cont. Tourn. l. c. dicunt esse mortale. Sed melius sentio dicendum cum Cont. Tourn. ibid. id non esse mortale, cum non videatur gravis materia; sed minimè posse excusari à veniali, cum oppositum expressè in Rubrica præcipiatur. Dicunt autem Ronc. c. 3. q. 2. r. 1. Croix n. 459. Mazz. t. 3. p. 211. et Wigandt tr. 13. n. 76. non peccare quæ altè dicenda submissè recitat, si excedat modum secretæ recitationis: sed hoc nec mihi satisfacit, nam juxta Rubricam non semper sufficit excedere modum secretæ orationis; præter enim ea quæ in missa submissè dicenda sunt, alia recitanda sunt voce altâ, et alia voce medioeri, et omnia hæc ita clarè recitari debent, ut à circumstantibus audiantur; quamvis benè censeat P. Conc. p. 511. n. 6. non jam oportere, ut omnis po-

pulus vocem audiat, sed sufficere ut adstantes attenti, nempe qui propè sunt ad altare, percipere valeant quæ leguntur.

416. — Dubitatur 3. An sit mortale altè recitare, quæ submissè dicenda sunt? Communiter dicunt DD. nullum esse peccatum, si verba à solis ministris audiantur; ita P. Conc. p. 501. n. 7. Gav. p. 1. tit. 6. lit. g. et Croix n. 440. cum Gob. E converso putant Gav. l. c. et Quarti p. 1. tit. 16. dub. 1. peccare mortaliter, qui legit elatâ voce totum canonem, vel ut addit Quarti notabilem partem ejus, aut aliarum precum quæ submissè recitari debent. Ratio (ut dicunt), tum quia hæc sacrosancta verba assiduitate aurium vilescerent; tum quia sacerdos sic verba proferens videretur velle novum ritum inducere, ideòque facilè ex hoc contemptu scandalum oriretur. Et consentit Croix quoad verba consecrationis, quia populus (ut ait), sciendo verba illa, postmodum temerè, et ad jocos eisdem uteretur. Deinde asserit communem esse sententiam, esse tantum veniale, si præfata verba consecrationis audiantur tantum ad 6 vel 8 passus; mortale verò, si ad 40. Sed ipse censet esse mortale etiam ad 10 passus, si intra tale spatium magna pars populi adest; quod tamen P. Conc. non audet approbare. Dicam circa hæc quod sentio: Nullum dubium non posse excusari à veniali, qui altè in missa profert quæ submissè dicenda sunt, cum sit contra Rubricam, quæ ut suprâ præscribit, ut sacerdos se audiat, et à circumstantibus non audiat. Facilè insuper assentirem posse peccare mortaliter, qui verba consecrationis vel canonis in magna parte tam altè proferret, ut audiri possent ad 40 passus; hic enim tunc deberet toto conatu vocem elevare, ut ad 500 ferè palmos audiat et hoc videretur grave scandalum, sapiens reverà aliquem contemptum verborum et ritus. Sed quis nisi mente captus hoc facturus est? Extra autem hunc casum, agnoscere non valeo in hoc grave peccatum, cum rationes allatæ minimè convincant: non enim video unde oriri possit in hoc grave scandalum, præsertim si celebrans devotè verba proferat: nec moveor ex eo, quia verba illa vilescerent, aut audientes temerè iis uterentur, nam si hoc esset, etiam evangelium S. Joannis, quod dicitur quotidie, ne vilesceret, secretò dici deberet.

417. — « 6. Mutare missam, et die dominico, vel festo » duplici, v. g. vel iis diebus, quibus prohibetur fieri de

» festo duplici, v. g. infra octavas Epiphaniæ, Paschatis, etc.
 » Feriâ IV. Cinerum, infra hebdomadam majorem, vigiliâ
 » Nativitatis Domini, sine gravi causa legere votivam, vel
 » pro defunctis, vel de alio Sancto in numerum Sanctorum
 » relato. *Suar. Dian. Lugo l. c. Escob. contra Quint. qui t.*
 » 7. s. 40. putat in hebdomada sancta licere legere votivam,
 » quod refutant *Gav. Dian. p. 9. t. 8. r. 55. ex declar. Card.*
 » « Dixi 1. *Sine gravi causa*: talis autem censetur, 1. quæ
 » spectat ad bonum reipublicæ, vel principis, v. g. necessitas
 » pluriæ, ingruentis belli, vel pestis, vel similis mali uni-
 » versalis: » (*Ita etiam Sporer n. 450. et Tamb. c. 6. §. 1.*
 » *n. 4.*) « Item solemnitas gratiarum actio, solemnitas expositio
 » Eucharistiæ, v. g. diebus antecinerariis. » (*Vide de hoc*
 » *dicenda n. 421. infra n. III.*) « 2. Quando cadaver præsens
 » est in Ecclesia, ubi usus obtinuit. *Gav. p. 1. t. 5. 5.* Si quis
 » celebret in Ecclesia, in qua agitur dies festus loci pro-
 » prius: hunc enim non tantum posse, sed debere ex con-
 » gruitate conformare se loco, notat *Gav. Vide Tamb. l. 2.*
 » *c. 6. qui §. 2. et 4.* addit, etiamsi sacerdos accepto stipen-
 » dio, homini promiserit votivam, vel pro defunctis, etiam
 » in altari privilegiato, non solum posse, sed debere cele-
 » brare missam currentem diebus, quibus istæ prohibentur; »
 » (*Hoc intelligendum, quando missa pro illa die promissa est.*
 » *Certum autem est hodie, post decretum allatum num. 559.*
 » *v. Quær. 1. quod indulgentiæ altaris privilegiati bene etiam*
 » *percipiuntur, quando dicitur missa duplex diei currentis.*
 » *Hic quoque notandum quod, cum multæ missæ votivæ sint*
 » *acceptæ, et non sufficiant dies non impediti, possunt ap-*
 » *plicari missæ currentes, ut declaravit S. C. 19. Maji 1614.*
 » *ex gratia speciali Pontificis apud Merati p. 116.*) « imò etsi
 » Deo per votum tales missas promiserit, non tamen ad eas
 » obligari istis diebus, eò quod votum non obliget quando
 » impedit bonum majus, quale esse dicit conformitatem
 » officii cum missa: secus diebus aliis.
 » « Dixi 2. *in numerum Sanctorum relato*: quia si sit beati-
 » ficatus tantum, de quo certis sacerdotibus v. g. quorum
 » ordinis fuit, concessum sit missam legere, docent *Gran.*
 » 2. 2. cont. 1. c. 7. d. 4. s. 2. et *Escob. contra Palaum*, non
 » licere aliis sacerdotibus, etsi nullum aliud sit festum, de
 » eo legere: eò quod sic expressè determinarit. sacra Rituum

» Congregat. apud *Gav. Vide Escob. n. 41. et Tamb. l. c.*
 » *cap. 6.* ubi *Palaum* sequens dicit contrarium esse pro-
 » babilius, ac magis pium. Imò de Sanctis Societatis certum
 » esse, si celebrent in templis ejusdem Societ. ex concessione
 » Pontificum. Idem tenet *Quint. t. 7. sing. l. c.*
 » « 7. Si quis violet rubricam spectantem ad essentiam, vel
 » quasi essentiam missæ, vel si nullam planè servet, peccat
 » mortaliter. *Escob. ex Fagund. p. 2. lib. 5. c. 21. n. 9.*
 » 418. — Sermo hic de *missis votivis*, nempe quando dici
 » possint. Ex Rubrica *tit. 4. n. 5.* missæ votivæ prohibentur in
 » Dominicis, et in omni festo duplici. Item intra octavas Epi-
 » phaniæ, Paschatis, Pentecostes, in die Cinerum, Hebdomada
 » majori, et in vigiliis Nativitatis Domini, et Pentecostes, ex
 » decr. S. C. Rit. 28. Aug. 1627. *ap. Gavant. p. 1. tit. 4. n. 5.*
 » Item infra octavam Corporis Christi, ex decreto ejusdem
 » S. C. 21. Jun. 1670. approbato à *Clem. X. ap. Croix l. 6. p.*
 » *2. n. 498. item 2055. Decr. 19.* Idem tantò magis dicendum
 » de missis defunctorum, quæ insuper nec dici possunt in
 » expositione SS. Sacramenti 40 Horarum, et in Ecclesia ubi
 » celebratur de festo duplici, etiamsi illæ ex præscripto testa-
 » torum essent celebrandæ, ut in decr. 27. Aprilis 1698. *ap.*
 » *Merati in Indice n. 511.*

» 419. — Exceptis autem his diebus, semper dici possunt
 » missæ votivæ, vel de *requiem*. Advertendum verò 1. id quod
 » habetur in Rubrica *tit. 4. n. 5.* ubi dicitur: *Missæ votivæ*
 » *in missis privatis dici possunt pro arbitrio sacerdotum,*
 » *quæcumque die officium non est duplex, aut Dominica... Id*
 » *verò passim non fiat, nisi rationabili de causa, et quoad*
 » *feri potest missa cum officio conveniat.* Nota to nisi *ratio-*
 » *nabili de causa*: unde ait *Merati p. 116. n. 5.* non sufficere
 » pro causa ad passim missas votivas celebrandas, ut sacerdos
 » citò se expediat, vel alia similis levis occasio. Verum sine
 » dubio petitio facta à dante eleemosynam alicujus missæ voti-
 » væ, erit justa causa illam celebrandi. Ne non probabiliter
 » etiam censet *Tamb. l. 2. c. 2. §. 1. n. 5.* sufficientem esse
 » causam specialem devotionem erga aliquod mysterium, vel
 » Sanctum, hoc enim (ut ait) faciunt viri timorati sine scrupulo.
 » Imò *Ronc. c. 4. q. 2. r. 1. ex Gav. p. 1. tit. 4. lit. p.*
 » *in fin.* putat præfatam Rubricam esse tantum de consilio, et
 » nullo modo obligare, ita ut etiam ad passim missas votivas
 » Tom. VI.

dicendas nulla causa requiratur; nam aliàs, fortè dicit, videatur Rubrica sibi contradicere, cum antea dixerit missas votivas celebrari posse *pro arbitrio sacerdotum*, arbitrium autem non limitatur ad causam; huic tamen opinioni non acquiesco, si quis passim vellet sine ulla causa missas votivas recitare; Rubrica enim per illa verba, *id verò passim non fiat*, restringit arbitrium, ita ut ipsæ passim nequeant celebrari, nisi adsit rationabilis causa. Advertendum 2. quòd missæ conventuales omninò semper debent concordare cum officio diei ex decretis S. C. 16 Maji 1626. et 16 Jan. 1627. *ap. Merati in Ind. n. 198. et 204.* Aliàs canonici non lucrantur distributiones, ex decr. 25 Junii 1611. et 28 Jan. 1612. *ap. Gavant. p. 1. tr. 4. n. 5.*

420. — Quæritur I. An sit mortale celebrare missam votivam, vel de *requiem*, in præfatis diebus vetitis? Affirmant *Angel. v. Missa num. 53. et Barth. ab Ang. §. 466.*, sed communiter negant, secluso scandalo et contemptu *Suar. d. 85. sect. 5. Bonac. p. 7. §. 5. n. 2. et 5. Lugo d. 20. nu. 105. Fill. de Euch. n. 156. Ronc. c. 4. q. 2. r. 2. Sporer n. 429. cum Laym. et Tamb. Salm. tr. 5. c. 4. p. 4. n. 114. cum Hurt. Gran. Dian. Vill. Miranda, etc. ac Escob. l. 21. n. 512. cum Soto, Sylvest. Henr. Med. et Reg. Ratio*, quia non videtur in hoc adesse notabilis perversio ritus. Verùm *Escob.* in festis solemnibus (licèt oppositum etiam putet probabile ob DD. auctoritatem) id censet mortale; et idem sentit *Roncag. l. c.* saltem in missa publica dicerem hoc difficulter posse excusari à gravi scandalo. Item ait *Ronc. l. c. r. 5.* non excusari à mortali dicere missas de *requiem* in diebus vetitis, quia hoc districtè prohibetur in decreto S. C. 5. Aug. 1662. (*ap. Merati Ind. n. 596.*) approbato ab *Alex. VII.* ubi dicitur: *Districtè præcipitur, ut missas privatas de requiem in duplicibus nullatenus celebrare audeant... Et curent Ecclesiarum rectores, etc. ut hujusmodi decretum inviolatè servetur.* Cæterum omnes conveniunt posse celebrari missas votivas, vel de *requiem* ob causas graves. Quænam autem hæc sint, vide in sequenti quæsito.

421. — Quæres II. Quænam sint causæ, ob quas possunt dici missæ votivæ, vel pro defunctis etiam in diebus vetitis? Resp. I. Si urgeat publica necessitas, ut suprà dictum est *ap. Busemb. II.* Si in aliqua Ecclesia celebretur festum duplex,

quod facilè accidere potest in Ecclesiis regularium; ibi enim debet sacerdos missam festo conformem celebrare; ut rectè notant *Gav. p. 3. tit. 10. n. 16. v. Non tamen, et Tamb. c. 6. §. 1. num. 14.* Et de hoc adest decretum S. C. 19. Novemb. 1622. *ap. Croix n. 2055. Decr. 265.* Declaravit autem eadem S. C. 24. Julii 1685. *apud Merati Ind. n. 117.* professionem religiosorum, aut monialium numerari non posse sub gravi, ita ut cantari possit missa votiva solemnitas de Spiritu sancto; et consuetudinem in contrarium abusum dixit. III. Si fit expositio SS. Sacramenti in Oratione 40 horarum. In illa autem servandum est id quod statuit *Clemens XII.* in con. 9. edita 1 Sept. an. 1750. (*ap. Merati p. 686. n. 10.*). Ibi Pontifex præscribit quòd in altari, ubi fit expositio Eucharistiæ, celebretur missa votiva solemnitas de SS. Sacramento cum *Gloria*, et *Credo*, prout celebrantur missæ pro re gravi; exceptis tamen Dominicis, et festis 1 et 2 classis, nec non feriâ 5 Cincrum, et feriis 2. 3 et 4 Hebdomadæ majoris, diebus infra octavas Paschatis, et Pentecostes, vigiliis Nativitatis Domini, et Pentecostes, et octavæ Epiphaniæ; in his enim diebus statuit cantandam esse missam communem cum oratione SS. Sacramenti sub una conclusione; quam commemorationem voluit fieri etiam in missis privatis; quæ si celebrantur de SS. Sacramento in diebus permissis, erunt votivæ sine *Gloria*, et *Credo*. IV. In die obitus præsentis cadavere (etiamsi alicubi non esset usus, contra *Gavant. ap. Busemb. ut suprà*) potest dici missa de *requiem*, adhuc Dominicis et festis duplicibus ex decreto S. C. 25 Maji 1605. *ap. Merati. Ind. n. 16.* exceptis verò festis 1 classis ex decreto 5 Julii 1698. *ib. n. 325.* Cum autem primùm habetur notitia de obitu alicujus personæ procul defunctæ, potest cantari missa de die obitus, etiam in festo duplici, non tamen de præcepto; tunc enim differenda est ad sequentem diem, ex decr. 4 Maji 1686. *ap. Croix l. 6. p. 2. n. 2055. decr. 82.* Hæc autem omnia decreta intelligenda sunt de missis solemnibus, non privatis, ex decr. 10. Jan. 1695. *ap. Merati in Ind. n. 505.*, contra id quod dicit *Wig. tr. 15. n. 68.* Decreto verò, quod affert *Gav. p. 1. tit. 5. num. 2.* die 1 Sept. 1607. ubi dictum fuit, *posse tolerari missas de requiem in duplici festo, quod non est de præcepto, ut testatorum voluntates adimpleantur*, dicit *Merati p. 149.* derogat-

tum esse aliis decretis, et præsertim decreto edito 5 Aug. 1662. in *Ind. n.* 596. Insuper alio decr. 2 Novemb. 1662. in *Ind. n.* 422., dictum fuit in festo duplici etiam majori non de præcepto posse dici missas anniversarias solemnes relictas ex dispositione testatorum, ut quotannis dicantur in die ipsorum obitus. Idem dicitur de die tertio, septimo, et trigesimo: missas verò privatas dicendas esse de die, et non differendas. Item eadem S. C. Rit. 19 Junii 1700. apud *Merati in Ind. n.* 547. declaravit posse dici missas cantatas *de requiem* in festo duplici minori, si parochiani sæpius petant per annum pro aliquo defuncto, dummodò hoc fiat in die anniversaria obitus. Quòd si accidat anniversarium, vel dies tertius, septimus, et trigesimus in festo de præcepto, debet transferri in sequentem diem, ex decr. 25 Maji 1605. in *cit. Ind. n.* 20. Anniversarium autem tunc potest etiam anticipari, et tunc dicitur missa prout in anniversario, decr. 5 Julii 1698. in *cit. Ind. n.* 529.

422. — Quæritur III. An obligatus dicere missam votivam de B. Virgine Maria, vel *de requiem*, ratione eleëmodynæ, vel capellanæ, in diebus permissis celebrari, satisfaciatur celebrando missam currentem? Negant *Laym. c. 1. q. 5. et Tamb. l. 2. c. 2. §. 2. n. 6.*, quia sacerdos tenetur exequi voluntatem rationabilem præstantis stipendium. Sed affirmant communissimè, et etiam probabiliter *Suar. dist. 85. sect. 5. Azor p. 1. l. 10. c. 52. q. 5. Bon. p. 7. §. 5. n. 4. Croix n. 571. Pal. p. 14. n. 10. cum Nav. Henr. Barb. etc. ac Salm. tr. 5. c. 4. p. 4. nu. 125. cum Sa, Garzia, Dic. etc.* Ratio, quia, licèt tunc Ecclesia permittat missas votivas, decentius tamen est se conformari universali ejus præscripto, tunc enim preces missæ votivæ satis compensantur ab Ecclesia eo die precibus præscriptis, et voluntas dantis eleëmodynâ compensatur executione voluntatis Ecclesiæ (quam semper decet præferri) præscribentis missam assignatam; et ideò Rubrica loquens de missis votivis, eas permittit, sed in fine subdit: *Quoad fieri potest, missa officio conveniat.* Necnon hoc valè dicunt *Salm. tr. 5. c. 4. p. 4. n. 125. in fin. cum Ant. à Sp. S.* etiamsi sacerdos expressè missam promisisset; et etiamsi (addunt *Croix nu. 571. et iidem Salm. ibid. n. 127. cum Panorm. Suar. et Garzia*) sacerdos vovisset illâ die missam legere votivam, cum tale votum non sit de meliori bono. Omnino tamen excepiendum est, si missa dicenda

sit in altari privilegiato quæ in diebus permissis necessariò celebranda est *de requiem*, ut diximus *n. 539. v. Quæres 1.*

425. — Quæritur IV. Quenam sint advertenda circa modum celebrandi missas votivas? Advertendum I. quòd in missis votivis non est opus dicere orationes impares numero, ut ait *Merati p. 155. num. 42.* Omnino tamen dicendæ sunt tres orationes in missa privata, sed in solemnè dicitur una tantum. *Merati num. 44.* Advertendum II. quòd non debent dici missæ votivæ, seu collectæ missarum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Assumptionis beatæ Mariæ, et omnium similium festorum, etiam Sanctorum, quæ proprios habent introitus et collectas, ut declaravit *Paulus V. apud Mer. p. 121. n. 17.* In aliis verò missis votivis, in quibus veritas et ritus verborum non violatur, nihil prohibet quin ipsæ dici possint, licèt melius sit dicere missam votivam quæ habetur in Missali; ita *Merati ib. qui p. 122. cum Gav. Guyeto, etc.* addit, quòd si possit omitti verbum *hodie* ubi reperitur, vel mutari in oratione verba *Natalitia, Festivitas, etc.* dicendo *Commemoratio, aut Memoria*, tunc missa illa benè posset recitari.

Advertendum III. quòd benè possunt dici missæ votivæ de quocumque Sancto, modò de ejus canonizatione constet ex Martyrologio, vel aliunde; vide *Merati p. 119. n. 15. ex Gav. Bellarm. etc.* Non verò de iis, qui non coluntur publico et universali Ecclesiæ cultu. Unde missæ de Beatis concessæ alicui religioni, aut loco, non possunt celebrari ab aliis personis, Ecclesiis, et diebus, quàm conceduntur in diplomate, ut contra *Pal. et Vasq. rectè tenent Escob. l. 21. n. 555. cum Molf. Aversa, Gran. et Diana, ac Merati p. 119. n. 16. cum Quarti, Bisso, Guyeto, et communi*, ex decreto S. C. edito die 10. Septemb. 1652. et alio apud *Croix n. 2055. Decr. 227.*

Advertendum IV. id quod præscribitur in Rubrica circa missas votivas particulares; et 1. in missa votiva de SS. *Trinitate*, quando dicitur pro gratiarum actione, cum prima oratione, dicitur alia oratio tantum, *Deus cujus misericordie, etc.* sub una conclusione: hoc tamen procedit in missa solemnè pro re gravi, vel publica causa Ecclesiæ, non verò in privatis, in quibus secunda oratio erit dici, et tertia de gratiarum actione: ita *Merati p. 125. n. 24. cum Gav. Bisso, Guyeto, etc. 2.* In missa de *Angelis* dicitur semper *Gloria*, quæcumque die celebretur, secunda oratio erit dici, et tertia

illa, quæ alioquin esset secunda in missa currente. Si autem petatur missa votiva sancti Michaëlis Archangeli, poterit dici missa ejus Dedicationis in die 29 Septembris, et sic etiam missa de Angelis custodibus in die 2 Octobris, ita *Merati*.
 5. In missa de *Spiritu S.* secunda oratio erit de die, tertia *A cunctis*, vel *Concede* pro temporum varietate. *Merati* p. 127. n. 28. cum *Quarti*, et *Tonnel*. Et sic etiam dicuntur missa de SS. Sacramento (*Merati* ib. n. 29.) missa de *Passione*, et de *Apostolis*. 4. In missa de *B. Maria Virgine* secunda oratio erit de die, tertia de *Spiritu S.* et in ferialibus secunda de *Spiritu S.* tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa. Hic notandum, quod missa votiva solemnitas de *B. Maria* potest celebrari cum *Gloria* et *Credo* ob publicam causam ratione concursus populi, ex decr. S. C. 8. Junii 1658. ap. *Mer.* p. 117. Item notandum, quod si dicas missam votivam de *B. Virgine* in festo alicujus Sancti semiduplici infra aliquam octavam *B. Virginis*, tunc non est dicenda missa votiva communis de *B. V.*, sed de ejus octava, sine tamen *Gloria*, et *Credo*, ex decreto apud *Croix* lib. 6. p. 2. n. 505. et apud *Mer. Ind.* n. 474. Si autem petitur missa de SS. Rosario, vel de Monte Carmelo, non potest dici missa concessa Dominicanis, vel Carmelitis, ex decretis apud *Mer. in Ind.* n. 189. et 229., sed bene potest dici missa de die festo. *Merati* p. 129. n. 50. 5. In missa pro defunctis non dicitur psalmus *Judica*; celebrans cum incipit introitum non signat se cruce, sed librum, non dicit, *Jube Domine benedicere*, non osculatur librum post evangelium, non benedicit aquam, nec dicit *Gloria Patri* in psalmo *Lavabo*; ad *Agnus Dei* non dicit *Miserere*, sed *Dona eis requiem*; non dicitur oratio pro pace, nec *Ite Missa est*, nec *Benedicamus Domino*, sed *Requiescant in pace*, nec datur benedictio.

424. — Hic autem ultimo loco operæ pretium est adnotare aliqua decreta S. C. Rit. majoris momenti ad celebrationem missæ pertinentia, excerpta ex plurimis, quæ affert *Croix* l. 6. p. 2. n. 2055.

1. Missa conventualis canenda est quotidie in collegiatis, quarum clerus est numerosus, et redditus non tenues. 14 Januarii 1605.

2. Tenentur omnino canonici ad cantandam missam de die, ut lucentur distributiones. 28 Januarii 1612.

5. Sacerdos, qui celebrat missam conventualem, in qua

chorus tenetur cantare Symbolum, non potest illam prosequi tempore, quo à choro cantatur Symbolum prædictum. 17 Dec. 1695.

4. Missæ, ad satisfaciendum eleemosynis alicui Ecclesiæ traditis, non sunt celebrandæ per exteros, ubi commodè potest iis satisfieri per sacerdotes ejusdem Ecclesiæ. 28 Jan. 1606.

5. Inferiores Episcopo non debent sumere de altari paramenta pro missa. 7. Jul. 1712. *Hoc tamen intelligendum, ut advertit Gavant. ne ponantur paramenta in medio altaris more Episcoporum; nam si ponantur in angulo, id permittit ipsa Rubrica p. 2. tit. 12. n. 6. ubi dicit: Si verò (sacerdos) dimissurus sit paramenta apud altare ubi celebravit, finito evangelio ibidem illis se exiit. Saltem, ait Croix n. 2072. hoc permittendum, ubi non est commoditas ea alibi deponendi.*

6. Altare portatile ligneum cum ara lapidea permitti debet, non obstante constitutione synodali, dummodò habeat solitum reliquiarum repositorium. 19 Januarii 1614.

7. Solus Episcopus potest habere fenestras in Ecclesia, per quas in eam prospectus haberi possit. 19 Januarii 1614.

8. Non licet in Ecclesiis, in quibus non asservatur SS. Sacramentum, celebratio missæ in Cœna Domini; nec ejus asservatio in sepulchro. 24 Junii 1659.

9. Non permittitur ad altare majus celebratio missæ, dum dicuntur in choro Matutinum, et Horæ. 15 Sept. 1664.

10. Potest fieri commemoratio de SS. Sacramento, si expositum sit, etiam in missa de festo duplici, quod non sit 4 vel 2 classis. 2 Decemb. 1684.

11. Si in die commemorationis omnium defunctorum occurrerit Dominica, officium cum missa defunctorum transferantur in sequentem diem etiam festo duplici impeditum. 5 Octob. 1688.

12. Sacerdos in sacrificio missæ congruentius utitur cingulo lineo, quam serico. 22 Jan. 1701.

13. Habens indultum à Sede apostolica erigendi oratorium privatum in propria domo, si quis voluerit ibi ædificare altare ligneum, non indiget facultate apostolicâ, dummodò altare ligneum cum sacro lapide parietis colligatum amovibile non sit, et altaris portatilis imaginem non præ se ferat. 5. Dec. 1661. apud *Merati Ind.* 595. eo autem colligatum latè videtur intelligendum, ita ut altare parietis adhæreat, et nullum inter

ipsum et parietem intercedat spatium; sic enim verificatur quòd altare non pro se fert imaginem altaris portatilis, idque saltem sic usus interpretatus est.

14. Non potest prohiberi celebratio missæ in oratorio ruri ædificato per laicum, antequam celebretur missa parochialis. 51 Martii 1629. (ap. Merati Ind. n. 242.)

15. S. C. sæpius censuit constitutiones synodales disponentes, ut diebus festis missæ celebrari non debeant in aliis Ecclesiis, nisi celebratâ missâ in Ecclesia parochiali, esse observandas; ita tamen ut missa in Ecclesia parochiali horâ opportuna celebretur. 25 Maji 1652. (ap. Bened. XIV. Notif. 44. n. 12.)

16. De rigore juris non posse prohiberi (scilicet à parochio) ut missæ non celebrentur ante missam à parochio non celebratam. 27. Junii 1641. (ap. eumd. Bened. l. c.)

Refert hic ultimo loco aliqua obiter adjicere circa Eucharistiæ expositionis usum, quem doctissimus *Christianus Lupus* p. 1. t. 11. ex cap. 9. jamdiu in Ecclesia fuisse probat; magnoperè ipse promovet, dicens ex frequenti hujusmodi Sacramenti expositione populum retrahi à vanis oblectamentis, concursum Ecclesiarum augeri, et fideles magis ad devotionem excitari. Verumtamen *S. Carolus Borromæus* in sua Synodo XI. diœcesana hæc præscripsit: *Ne quâvis causâ Eucharistia palàm.... proponatur, sed publicâ tantum, atque gravi; aliis verò de causis orationem licebit instituere, sed non Sacramento apertè exposito.* Item *Benedictus XIV.* (in sua Notif. 50. num. 11.) refert S. C. concilii die 17. Aug. 1650. in una Neapolitana sic præscripsisse: *S. C. censuit non licere regularibus, etiam in eorum propriis Ecclesiis, SS. Eucharistiæ Sacramentum publicè adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab Ordinario; ex causa autem privata posse, dummodò SS. Sacramentum è tabernaculo non extrahatur, et si sit velatum, ita ut ipsa sacra hostia videri non possit.* Idque confirmatum fuit à nostro *P. Bened. XIV.* per aliud decretum datum 16. Aprilis 1746. (Vide in suo Bullar.) ubi dicitur: *Non licere exponi publicè divinam Eucharistiam, nisi causa publica, et Episcopi facultas intervenerit.* Ex his igitur omnibus decretis certum videtur non licere exponere SS. Sacramentum ob litis victoriam, ob valetudinem alicujus (nisi sit persona

publica, cujus salus communitatis bono sit expediens), et sic pro aliis privatis causis. Num autem id licet ob specialem devotionem alicujus particularis? Dubitat *P. Concina*. Ego dicam quid sentiam: Dico 1. quòd si quis privatus hanc expositionem fieri procurat ad publicam devotionem promovendam, tunc ista potius publica, quàm privata causa esse videtur. Dico 2. cum *Concin.* in hoc spectandum, an in illis locis, in quibus fit expositio, devotio et cultus Sacramenti magis augeatur, vel minuatur, et juxta hanc regulam censeo expositionem faciendam vel omittendam; ubi enim viget devotio et cultus augetur, debitâ semper obtentâ Ordinarii licentiâ, nescio, præsertim juxta præsentem nostrarum regionum frequentem usum, cur potius non sit laudanda quàm improbanda hujusmodi SS. Sacramenti expositio; modò (exciperem) non sit nimis frequens, nimia enim frequentia esset quidem causa, ut reverentia erga tantum Sacramentum minueretur.

Hic insuper notandum, quòd etiam respectu Ecclesiarum sæcularium adest decret. S. C. Episcop. et regul. prohibens extrahi pyxidem à tabernaculo, cum illa ob privatam causam exponitur, his verbis: *Si quâncumque privata ex causa sacrosancta Eucharistia exponenda videbitur, à tabernaculo nunquam extrahatur, sed pyxide velatâ in aperto ejusdem tabernaculi ostiolo, cum assistentia alicujus sacerdotis, stolâ et superpelliceo induti, et cum sex saltem luminibus cereis collocetur. Quod idem in Ecclesiis sæcularium servari mandamus.* Die 9 Dec. 1602. Ita apud *Card. Lambert. Notif. 50. n. 27. Benedict.* autem XIV. in sua bulla, *Cum ut rectè nosti mentionem faciens de præfatis decretis, dicit quòd pro causa privata nunquam potest extrahi pyxis, nec etiam ad populum benedicendum: Si autem...* (sunt ejus verba) *non debet à tabernaculo educi, facile intelligitur in designatis casibus non esse illud afferendum ad Ecclesiæ januam, nec cum eodem benedictionem impertiendam.* Hic verò obiter advertendum id quod in prædicta bulla idem Pontifex subdit: *Neque enim fas cuique esse debet privatâ auctoritate novum ritum inducere.* Profertque ibi ad hoc canonem 15. Tridentini sess. 7. ubi vetitum fuit immutari consuetos ritus circa administrationem sacramentorum, et declarat canonem illum procedere etiam quoad cultum SS. Eucharistiæ. Loquens autem de ritibus alicubi jam introductis, sic inquit:

Et quoties aliquem ritum ejusmodi induci contingit, etsi nihil continentem pietati oppositum. Apostolica Sedes eumdem interdixit non dubitavit ex quibusdam extrinsecis circumstantiis nullatenus prævisis, vel neglectis ab eo qui ritum invenit.

Notandum etiam, quod ex decreto Innocentii XI. 1. Septembr. 1680 (relato apud Merati p. 681.) prohibentur apponi statuæ, reliquiæ Sanctorum, ac imagines animarum purgatorii in altari ubi fit expositio. Ad illud autem: *Panem de celo*, etc. non est addendum *alleluja*, ex decreto S. C. apud Merati in Indice Decret. 525.

Hic ultimo loco operæ pretium est quærere et vidêre, quibus in Ecclesiis asservari possit Eucharistiæ Sacramentum? Docet Cardinalis Petra in suis Commentariis t. 5. ad Constit. 1. Urbani IV. n. 15. et 29. cum Barbosa, Riccio, Gemensi, etc. ac pluribus decisionibus S. C. certum esse tantum in Ecclesiis parochialibus retinêri posse, quia in hoc tantum Sedes apostolica dispensare potest, non autem Ordinarii: asservatur etiam in cathedralibus, quia ipsæ primæ dicuntur parochiæ, verum ibi non est asservandum in altari majori, sed in alia capella, propter functiones pontificales necessariò peragendas ab Episcopo retrorsum ad altare majus. Permittitur etiam asservari Sacramentum in Ecclesiis regularium, propter necessitatem præbendi ibidem communionem infirmis, ut dicunt Pelliz. Man. Reg. tr. 5. c. 6. n. 1. et 6. Petra l. c. n. 18. cum Glossa in c. Permittimus, de sentent. excomm. Idem permittitur in Ecclesiis monialium viventium in clausura, decreto S. C. concilii in Ulyssiponensi anno 1585. apud Petr. n. 19. Censuit etiam eadem S. C. in Mexicana 15 Maji 1700. concedendum patribus Oratorii indultum asservandi Eucharistiam intra claustra pro quatuor anni temporibus in quibus fiunt exercitia ab ordinandis. Non permittitur autem in collegiis solius Ordinarii auctoritate constitutis, ut sunt conservatoria, quæ non approbantur, sed tantum à Sede apostolica tolerantur, et in quibus jura parochialia præservantur parochio, ut decrevit S. C. concilii in Salernitana 19 Aug. 1702. et in Neapolitana 4 Julii 1707. ubi specialiter declaratum fuit asservationem Eucharistiæ non licere conservatoriis absque apostolica auctoritate; vide Petr. n. 21. Idem decrevit S. C. respectu ad Grancias regularium; ibi n. 25. Idem respectu ad Ecclesias

collegiatis, nisi asservatio Eucharistiæ ibi esset pro servitio suarum parochiarum, n. 24. Idem quoad Ecclesias confraternitatum, et hospitalium, n. 50. Idem quoad Ecclesias rurales, aut alias intra fines parochiæ, n. 50. et 51., nisi esset aliqua Ecclesia filialis parochiæ, et adesset ibi consuetudo asservandi Sacramentum, ac necessitas ad consulendum salutem animarum, ut ait et probat Petra n. 28. Tandem declaravit Bened. XIV. in bulla, *Quamvis justo*, etc. data 30 Aprilis 1749. §. 24. jus retinendi Eucharistiam privativè pertinere ad Pontificem, ut canonica (ait) docet disciplina, juxta quam Eucharistia in Ecclesiis, quæ parochiales non sunt, retinêri non potest absque apostolico indulto, vel consuetudine immemorabili (seu centenaria, non verò quadragenaria, ut probat Petra n. 55.), quæ hujusmodi indulti præsumptionem inducit. Advertit autem Petra n. 52. quod licet adsit immemorabilis consuetudo in aliqua Ecclesia asservandi Sacramentum, ipsa tamen non suffragatur, si constet ab initio fuisse asservatum ex sola licentia Ordinarii: possessio enim illa minimè valet, cum proveniat ex titulo infecto; et ita decrevit S. C. concilii in Neapolitana 28 Julii 1708. Insuper sciendum, quod à Sede apostolica hujusmodi licentia nunquam conceditur pro oratoriis privatis, et pro capellis ruralibus, nisi esset alicubi populi concursus, et distantia à parochia; ita Petra n. 57. et 58. Qui demum advertit, jus retinendi claves tabernaculi privativè spectare ad parochum; idque non permittendum monialibus, neque laicis, etiam in feria quinta Cœnæ Domini, nisi adsit in aliquo loco immemorabilis consuetudo, quam tolerandam esse censet Pignatellus, et testatur sic servari in Hispania, et in regno Siciliæ, ac etiam Neapolitano; vide Petr. ib. n. 59. ad 44.

Insuper notandum ex decreto S. C. Rituum sub die 15 Septemb. 1737. apud Merat. quod in communi ministranda monialibus non est danda benedictio cum pyxide è fenestella, sed tantum cum dextera manu, etiamsi ibi sit præsens Sacramentum. Item quod sacerdos, descendendo ab altari cum pyxide, non per laterales gradus, sed anteriores descendere debet. Præterea advertendum, quod Pontifex Clemens XIII. præcepit omnibus Dominicis in missa dicendam præfationem de SS. Trinitate, modò non adsit præfatio propria illius diei.

TRACTATUS IV.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

CAPUT I.

DE ESSENTIA HUIUS SACRAMENTI.

DUBIUM I.

Quæ sit ejus materia, et forma?

- 423 De materia, et forma hujus sacramenti.
426 Monitum ad confessarios.
427 De materia remota, Dub. 1. An mortalia commissa in susceptione baptismi sint materia hujus sacramenti? Dub. 2. An peccata aliis confessa sint materia sufficiens hujus sacramenti?
428 De forma. Qu. I. An forma hujus sacramenti consistat in verbis, et possit proferri in absentem?
429 Et quænam præsentia morales poenitentis requiratur?
450 Qu. II. Quænam forma in hoc sacramento sit proferenda? Dub. 1. in quibus verbis consistat essentia formæ? Et an necessarium sit verbum te? Dub. 2. An verba, à peccatis tuis? Dub. 3. An verba in nomine Patris, etc.? Et an preces

adjunctæ? Dub. 4. An per verba te absolvo possit sacerdos absolvere simul à peccatis, et à censuris?

- 431 Qu. III. An possit validè, et licitè dari absolutio sub conditione?
432 Cause justæ absolvendi sub conditione.

425. — **RESP. 1.** materia remota et necessaria, est omne
» peccatum mortale, post baptismum commissum, et non
» confessum. (Dicitur verò commissum post baptismum,
» contra prop. 19. inter damnatas ab Alexand. VIII. quæ pro
» peccato originali perpetuam agendam poenitentiam asserebat.)
» Materia sufficiens, etsi non necessaria, est omne veniale
» post baptismum commissum, vel etiam mortale, aliàs ritè
» confessum. Materia proxima sunt actus poenitentis, contri-
» tio, confessio, et satisfactio, quarum ultima est integralis
» tantum, ut patet in infirmo, qui si ratione destitueret,
» solet absolvi absque satisfactione: duæ priores sunt essen-
» tiales, ut communiter docetur contra Scotum, qui totam
» essentiam ponit in absolute. Porro peccata sunt tantum
» materia, circa quam, actus verò poenitentis, materia ex
» qua. *Laym. l. 5. t. 6. c. 5. ex communi.*

Unde resolves:

- « 1. Etsi peccatum mortale remissum quomocumque
» sit, tenèris tamen confitèri, si non fecisti. *Trident.*
» sess. 14. c. 5.
« 2. Omitti possunt venialia, vel omnia, vel aliqua; item
» mortalia semel ritè confessa, v. g. in confessione generali,
» ut docent *Dian. p. 5. t. 4. res. 56. Card. de Lugo d. 16.*
» n. 56. contra *Vict. Ledesm. et alios.* In qua etiam non esse
» necessarium addere peccato mortali, quòd post ultimam
» confessionem sit commissum, docent *Bonac. d. 5. q. 5.*
» sect. 2. p. 2. *Dian. t. 2. tr. 4. res. 62. et t. 5. res. 65. Card.*
» de *Lugo d. 16. sect. 2. n. 47. ex Sanch. et Con.* quod est
» probabile: nisi circumstantia aliqua, v. g. speciem mutans,
» vel reservatio casus, vel proxima peccandi occasio aliud
» requirat, et poenitentia sufficiens imponatur. *Card. de Lug.*
» *Tamb. de exped. conf. lib. 2. c. 1.* Tutius tamen est nova
» ab antiquis scernere.
« 5. Ponenda semper est materia certa; qualem esse ne-
Tom. VI. 24

» gat *Sancius in sel. d. 7. apud Dian. p. 3. t. 4. res. 52.*
 » quòd quis non responderit divinis inspirationibus, non
 » fecerit bonum quod potuit, et similes imperfectiones. In
 » quibus tamen exponendis non tenetur confessarius impe-
 » dire pœnitentem, ut docet *Card. de Lugo l. c. n. 105.*,
 » contra *Sancium*. Quòd si haberi certa non possit, pro ra-
 » tione dubii danda est absolutio; ut sub dubio, si materia
 » prorsus dubia sit: vel absoluta, si certa videatur. Ita *Suar.*
 » *Laym. l. 5. t. 6. c. 3. et alii commun.*

« Resp. 2. Forma sacramenti pœnitentiæ sunt verba abso-
 » lutionis. *Ego te absolvo à peccatis tuis etc.*; ubi, licèt de
 » essentia tantùm sit, *absolvo te*, debent tamen addi reli-
 » qua, præsertim in articulo mortis, secundùm quosdam
 » sub mortali, secundùm alios sub veniali, ut *vide Gran.*
 » voce prolata in præsentem; absentem enim *Clem. VIII.*
 » absolvi prohibuit, sub pœna excommunicationis.

Unde resolves:

- 1. Invalidum est absolvere nutu, signo, aut scripto,
 » item absolvere absentem; quod docuit *Alensis, Medin. et*
 » *alii*, sed vetitum nunc, ut modò dictum.
- « 2. Valida est absolutio, si reverentiæ causâ dicas: ab-
 » solvo dominationem, excellentiam, vel majestatem ve-
 » stram, etc. quia non mutatur essentialiter, et sunt verba
 » æquivalentia. *Aversa. Vide suprâ tract. 1. c. 1. d. 2.* Non
 » valet autem, si dicas: absolvat te Deus, vel absolvat te
 » Christus. *Avers. q. 12. sect. 2.*
- « 3. Orationes præviæ, et subsequentes formam, ut *Mise-*
 » *reatur tui, etc.* et *Passio Domini, etc.* quæ secundùm *Tri-*
 » *dent.* laudabiliter adduntur, non sunt necessitatis, et ex
 » causa rationabili omitti possunt, v. g. si breves sint con-
 » fessiones, vel multi confitentes, ut *vide Dian. p. 3. t. 4.*
 » *r. 97.* tunc enim sufficit dicere: *Absolvo te à peccatis tuis*
 » *in nomine, etc.*, vel si timeatur censura, *Absolvo te à vin-*
 » *culo excommunicationis; deinde à peccatis tuis, etc. Vide*
 » *Sa, v. Absolutio.*
- « 4. Elevatio manûs, ejusque impositio in caput, item
 » formatio crucis est libera, etsi debeat servari consuetudo.
 » Ita *Laym. cap. 5.*, ubi idem dicit de apertione capitis.

» Forma autem *Clem. VIII.* ut tradit *Sa*, et *Rituale Roma-*
 » num, est hæc: quâ ut omnes utantur, suadet *Paulus V.*
 » idèoque omnibus tenenda memoriter: *Misereatur tui omni-*
 » *potens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducatur te ad vi-*
 » *tam æternam, Amen.* deinde elevatâ manu pergit: *Indul-*
 » *gentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuo-*
 » *rum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus,*
 » *Amen. Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego*
 » *auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommuni-*
 » *cationis, suspensionis (quæ vox circa laicos omittitur), et*
 » *interdicti, in quantum possum, et tu indiges: deinde ego*
 » *te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et*
 » *Spiritus sancti, Amen. Passio Domini nostri Jesu Christi,*
 » *merita B. Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni*
 » *feceris et mali sustinueris, sit tibi in remissionem pecca-*
 » *torum, augmentum gratiæ, et præmium vitæ æternæ. Amen.*

426. — Acturi de hoc pœnitentiæ sacramento, quod Chri-
 stus Dominus ad humanæ imbecillitatis remedium instituit,
 ante omnia monitum velim confessarium, ut suas agnoscat
 partes, nempe judicis, patris, et medici, ad munus suum
 æqua lance exercendum; sicut enim nimia benignitas iniqui-
 tatum fomentum est, sic nimia severitas fit pluribus via ad
 desperationem. Hinc Christus Dominus declaravit non esse
 spiritus sui eos, qui nimis rigidè cum peccatoribus agunt.
 Et SS. patres non solùm invehunt in eos qui falsâ pietate
 ducti indebitè peccatoribus indulgent, sed etiam in eos qui
 indiscretum rigorem cum pœnitentibus adhibent, ut conque-
 ritur *S. Ambrosius* in *Psalmo 118.* dicens: *Sunt etiam*
in nobis, qui timorem Domini habent, sed non secundùm
scientiam, statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana
conditio sustinere. Qua de re sapienter advertit *S. Bonaventura:*
Cavenda est conscientia nimis larga, et nimis stricta; nam
prima generat præsumptionem, secunda desperationem; pri-
ma sæpè salvat damnandum, secunda contra damnat salvan-
dum. Imò *Honorius III.* in *c. Ex parte de transact.* dixit,
 cæteris paribus, magis inclinandum in rebus dubiis ad beni-
 gnitatem, quàm ad rigorem; eùm enim ibi ageretur de modo
 procedendi contra quosdam, quorum aliqui celebrabant in
 Ecclesiis interdictis, alii furtivè Sacris initiabantur, etc. sic
 inquit: *In his verò, super quibus jus non invenitur expres-*

sum, procedens (œquitate servatâ) semper in humaniorem partem, declinando secundum quod personas et causas, loca, et tempora vederis postulare.

Non dubito quin majori quidem detrimento semper in Ecclesia fuerint confessarii nimis indulgentes, cum major hominum pars ad vitia proni sint; sed non modicè etiam animarum saluti obsunt, qui per nimiam austeritatem penitentes ita deterrent, ut ipsi vel peccata sua reticeant, aut sic arctati jugum disciplinæ abjiciant, laxisque habenis in vitiorum cœnum miserabiliter deinde se immergant.

Aggrediamur opus ad hunc tractatum de sacramento pœnitentiæ exponendum, cui utique omni studio præ cæteris materiis sedulo incumbendum, cum in ipso totius theologiæ moralis summa, et questiones magis ad praxim spectantes contineantur; et ideò ego labori non peperci, ut desiderio lectorum satisfacerem, utque ipsi omnia scitu necessaria hic reperiant.

427. — In hoc dubio primo loco agatur de materia remota, et forma hujus sacramenti. Quoad materiam pertinet, ad ea quæ suprâ dixit *Busebaum*, duo tantum dubia addere occurrit.

Dubitatur 1. An mortalia commissa in ipsa susceptione baptismi sint materia hujus sacramenti? Affirmant communissimè *Suar. dub. 28. concl. 4. Holz. n. 454. Escob. l. 14. n. 18. cum Vasq. et Henr. Salm. de sacram. pœnit. c. 4. p. 1. n. 15. ac Elbel n. 8. cum S. Bonav. Scoto, Mastr. etc. ex D. Th. 5. p. q. 69. ar. 10. et ex S. Augustino relato in can. Tunc valere 42. de consecr. dist. 5. ubi ait: Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recessit. Ratio, quia hæc peccata, licet sint tempore simul cum baptismo, naturâ tamen sunt ipso posteriora. Ita AA. præfati, sed ratio quam adducunt, videtur non convincere, saltem solummodò probare videtur pro peccatis quæ baptismum suscipiens post baptismum patrare vellet, sed non pro peccato fictionis, nempe si ille susciperet baptismum existens in mortali sine dolore. Nec *D. Th. l. c.* dicit peccatum fictionis esse materiam sacramenti pœnitentiæ, sed tantum ait quòd illud per pœnitentiam removetur: per pœnitentiam autem ibi *S. Doctor* profectò non intelligit confessionem, sed dolorem de peccato. Nec obstat textus *D. Augustini*, nam ut*

explicat *Glossa v. Ad salutem*, per illud *veraci confessione intelligit cordis contritionem.*

Dubitatur 2. An sint materia sufficiens hujus sacramenti peccata aliàs confessa? Dubium posset fieri ex eo quòd videtur non posse esse materia sacramenti pœnitentiæ peccatum jam remissum, cum culpa deleta non possit ampliùs delèri. Sed sententia affirmativa est certa apud omnes, prout docet *D. Th. in 4. dist. 17. q. 5. art. 5. et dist. 18. q. 1. art. 5.* quem communiter sequuntur *Suar. 5. p. d. 18. sect. 4. Palaus tr. 25. d. un. p. 6. n. 5. cum Laym. et Salm. ibid. p. 2. n. 22. cum Con. Fill. et alii passim.* Et clarè patet ex *Extrav. 1. de privil. Inter cunctas. §. Verum, in fin. ubi Bened. XI. dicit: Licet de necessitate non sit iterum eadem confitèri peccata, tamen, ut eorundem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre.* Idque confirmatur ex communi praxi fidelium. Nec obstat dicere peccatum deletum non esse ampliùs peccatum; peccatum enim, etsi remissum, semper peccatum est commissum; sufficit autem, ut sacramentum habeat effectum in actu primo, nempe quòd præbeat gratiam deletivam peccati, quamvis per accidens in actu secundo peccatum non deletat.

428. — Quoad formam verò hujus sacramenti, plures hic quæstiones discutere oportet. Quæritur I. An forma hujus sacramenti essentialiter in verbis consistat? Respond. Affirmativè, cum forma non aliter quàm voce, non autem scripturâ aut aliis signis, exprimi possit: ita commune et certum est apud omnes cum *D. Thom. 5. part. qu. 84. art. 5. ad 5.* quem sequuntur *Laym. tract. 6. c. 5. Lugo d. 15. sect. 6. Bonac. qu. 5. p. 6. Elbel n. 27. et Salm. tr. 6. c. 5. p. 5. n. 50. cum Cajet. Con. Suar. Val. et alii passim.* Hinc *Clemens VIII.* in Const. edita die 20 Junii 1602. proscripsit propositionem hanc, ut falsam et temerariam: *Licere per litteras, seu internuntium confessario absenti sacramentaliter confitèri, et ab eodem absente absolutionem obtinere: præcepitque sub excommunicatione sibi reservata, et ipso facto incurrenda, ne hæc prop. unquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quoquo modo deducatur.* Ex quibus verbis rectè inferunt *Salm. ibid. p. 4. n. 25.* quòd absolutio absenti in quocumque casu non solum datur illicitè, sed etiam invalidè; nam si Pontifex tantum illicitè

tam eam intendisset declarare, ipsa aliquando, urgente necessitate, validè et licitè dari posset, cùm leges ecclesiasticæ non possint obligare cum gravissimo damno, et tantò magis si illud est spirituale. Unde, si Pontifex voluit hujusmodi absolutionem in nullo casu esse licitam, consequenter declaravit in nullo casu esse validam. *Paulus V.* autem die 14 Julii 1605. insuper damnavit interpretationem aliquorum in præfatum decretum, dicentium posse absolutionem absenti conferri, modò confessio in præsentia præcessisset: explicavit enim bullam *Clementis* esse disjunctivè, non copulativè, intelligendam.

429. — Requiritur igitur, ut forma à confessario voce proferatur, et ut pœnitens ibi tunc moraliter sit præsens. Hæc autem moralis præsentia reputatur illa, intra quam homines communi voce, quamvis altiori, loqui possent et solent, ut dicunt *Sporer n. 610. Tambur. lib. 5. de sac. pœnit. cap. 2. n. 11. Holzm. num. 575. v. Dixi, Elbel num. 29.* qui cum *Sporer*, et aliis addit talem præsentiam posse extendi ad 20 circiter passus, præsertim ubi pœnitens nondùm est egressus ab aspectu confessarii. Rectè verò advertit *Sporer n. 615. cum Reg. Gob. etc.* revocandum esse pœnitentem, quando commodè revocari potest. Cæterùm censet *cum Gob. et Bonac.* sine scrupulo absolvi pœnitentem qui recessit è confessionali, si certò scitur esse adhuc intra paucos passus. Meritò autem *Tamb.* non approbat *Leandrum*, qui dicit satis esse ad præsentiam moralem, si sacerdos videat pœnitentem, aut alio sensu percipiat; præsentia enim pro absolutione majorem propinquitatem requirit, quàm pro audienda concione, vel missa. Unde censet *Tamb. nu. 15.* quòd si quis aliquando non posset nisi à longè absolvi, putà si rueret è tecto, tunc absolutio sub conditione danda esset. Ait *Holzm. ibid.* quòd si confessarius ob periculum infectionis, vel ob aliam causam non posset intrare in cubiculum ubi est infirmus, potest à janua eum absolvere. Rectè autem advertunt *Sporer n. 610. Croix n. 1201. Elbel l. c. cum Stoz* non esse opus, ut pœnitens verba absolutionis audiat, et tantò minùs ut eadem intelligat, sufficit enim, ut sacerdos illa verè proferat. Quinimò sapienter dicit *Croix*, consultum esse ut in præsentia aliorum pœnitentium præfata verba submissè dicantur, ne si aliquis dimittatur sine absolutione, id alii percipiant. Addit

Tambur. benè posse absolvi pœnitentem, qui antea sua peccata in scripto legenda dederit, et deinde præsentem confessario dicat, *de his me accuso.* Quod tamen advertunt *Salm. de pœnit. c. 7. p. 2. n. 11. cum Cano, Pal. Pasq. Con. et aliis* non permittendum, nisi ex gravi causa, nempe si quis ob angorem gutturis, impedimentum linguæ, aut si puella supra modum verecunda in explicando voce sua peccata, valde gravem difficultatem sentiat. Rationem adducunt *Holzm. n. 558. et Sporer n. 488*, quia licèt confessio nullo jure præcepta sit fieri vocaliter, tamen, cùm communi Ecclesiæ usu sit receptus modus sic confitendi, hic nunc obtinet vim præcepti, et proinde sine gravi causa foret illicita confessio aliter facta.

450. — Quæritur II. Quænam forma in hoc sacramento proferenda sit? Plures graves auctores tenent, quòd olim Ecclesia usa fuerit formà deprecatorià (*Absolvat te Deus*) usque ad medium sæculum XIII. et quòd etiam hodie hæc sit in usu apud Græcos; ita *Tourn. Prælat. theol. de pœnit. qu. 9. art. 1. concl. 3. Martene, Vitass. apud Concin. de pœnit. t. 9. p. 579.* Sed id negat *Baronius, Gonet, et Nicol. ap. eund. Concin.* Imò communissimè nostri theologo morales, *Suarez, Soto, Lugo, Cajet. Vasq. Val. et alii plurimi cum Salm. de pœnit. c. 5. p. 2. n. 17. et Croix lib. 6. p. 2. n. 659.* censent formam deprecatoriam esse invalidam, ex eo quòd Christus Dominus, hoc sacramentum instituens (*Joan. 20.*), expressit sententiam proferendam esse à sacerdote uti iudice, dicens: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Unde comperitum videtur necessarium esse, ut peccata ab ipsis sacerdotibus tamquam Christi vicariis remittantur, nec sufficere, quòd ipsi Deum, ut remittat, deprecantur. Sed quidquid sit de hoc, hodie certum est, et de fide, debitam formam esse formam indicativam, ut declaravit Tridentinum *sess. 14. cap. 5.* his verbis: *Docet S. Synodus sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis ministris verbis positam esse, Ego te absolvo, etc. quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur.* At super hæc forma plura occurrunt dubia.

Dubitatur 4. In quibus verbis hæc forma consistat? Certum est apud omnes, verba *Te absolvo* ad essentiam formæ pertinere. Sed sentiunt *Lugo de pœnit. d. 15. n. 26. Wig. tr. 15.*

q. 5. res. 2. quòd si dicatur, *Absolvo à peccatis tuis*, non est necessarium ad valorem formæ verbum *te*, cùm hoc satis exprimat in verbo *tuis*. Attamen communissimè huic opinioni contradicunt *Suar. de pœnit. d. 19. sect. 1. n. 17. Bon. q. 4. p. 1. nu. 1. Holzm. n. 482. Concina t. 9. p. 580. n. 5. et Pal. tr. 25. d. un. p. 5. n. 2. cum Vasq.* Prima opinio, speculativè loquendo, spectatà ratione, probabilior videtur; sed quia hæc secunda est etiam probabilis, saltem ob auctoritatem doctorum, in praxi hæc omninò sequenda est, ex prop. 1. damnata ab *Innoc. XI.*

Dubitarur 2. An dicendo, *Ego te absolvo*, requirantur verba *à peccatis tuis*? Negant communissimè *P. Milante in prop. I. Innoc. XI. Con. p. 580. n. 5. Holzm. n. 482. Ronc. de pœnit. c. 2. q. 5. Sporer eodem tit. p. 244. n. 544. Pal. p. 5. n. 2. et Lugo d. 15. num. 17. cum S. Anton. Sylv. Caj. Nav. etc. ex D. Th. 5. p. q. 84. art. 5. et Catech. Rom. p. 2. n. 14. ubi dicitur: est autem forma: Ego te absolvo, et nihil aliud ibi additur. Omnes tamen hi AA. dicunt, quòd licèt tò *à peccatis tuis*, non sit necessarium ad essentiam formæ; esse tamen mortale hæc verba omittere, cùm sit contra consuetudinem Ecclesiæ. Alii verò tenent ipsa pertinere ad essentiam, eò quod cùm Christus dixerit: *Quorum remisistis peccata, etc.* sicut quia dixit *quorum*, explicandum est *te*, ita quia dixit *peccata*, explicandum est *à peccatis*; sic *Croix n. 653. cum Major. et Pasq. ac Mazzotta de pœnit. t. 5. p. 561. cum Gabr. Aversa, Gorm. etc. item Palud. P. Soto, et Gabr. ap. Salm. de pœnit. c. 5. p. 1. n. 1.* Nec obstare dicunt, quòd ex circumstantiis satis determinentur verba, *Ego te absolvo*, ad significandam etiam absolutionem à peccatis; nam si hoc valeret, posset adhuc reticèri verbum *te*, quod ex circumstantiis satis etiam percipitur. Prima opinio est probabilior, sed in praxi nec recedendum à secunda, cùm etiam sit probabilis, ut benè advertunt *Elbel de pœnit. n. 25. Salm. ibid. n. 2. Holzm. et Roncagl. ll. cc.**

Dubitarur 3. An verba, *In nomine Patris, etc.* sint de essentia? Affirmant *Durand. Major etc. ap. Lug. d. 15. n. 41.* Sed communis et vera sententia negat, cùm in institutione hujus sacramenti nullam mentionem Christus fecerit de hæc invocatione SS. Trinitatis, sicut fecit in sacramento baptismi: ita *Lugo num. 12.* (qui dicit oppositam ab omnibus

rejici) *Roncag. c. 2. q. 5. Bon. p. 1. n. 2. cum Con. Vasq. Suar. etc. Croix n. 629. cum Arriaga, et Bosco, ac Salm. ibid. n. 5. cum Soto. Nav. et Cajet.* Hanc autem omissionem putant *Ronc. et Gran. ap. Croix n. 657.* esse mortalem: alii verò, ut *Sotus, Val. ap. Bon. l. c.* censent nullum esse peccatum, secluso scandalo et contemptu; sed hæc opinio non videtur satis probabilis, cùm talis invocatio sit juxta consuetudinem Ecclesiæ. Hinc meliùs alii ferè communiter dicunt esse tantùm veniale, ut *Bon. l. c. Elbel n. 26.* (qui dicit esse satis commune) *Pal. p. 5. n. 5. Salm. tr. 6. c. 5. p. 1. n. 3. Platell. Bosco, et alii ap. Croix dict. n. 657.* qui absolutè asserit id esse commune.

Verba autem *Dominus Jesus Christus, etc.* putat *Conc. (1). p. 581. num. 10.* non posse omitti sine culpa; verba autem *Misereatur, Indulgentiam, et Passio Domini nostri etc.* dicit posse omitti; et huic videtur favère Rituale Romanum (*tit. de forma absol.*) dicens: *In confessionibus autem frequentioribus omitti potest Misereatur, etc., et satis erit dicere, Dominus noster Jesus Christus, etc. usque ad illud, Passio, etc. Urgente verò aliquà gravi necessitate in periculo mortis breviter dicere poterit: Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis, in nomine Patris, etc.* Sed communiter DD. dicunt, omnes has preces posse omitti sine ullo peccato; ita *Lugo d. 15. n. 9. cum Nav. Holzm. p. 491. cum Spor. Viva de pœnit. q. 7. art. 1. n. 5. Mazzotta t. 3. p. 165. item Sa, Bosco, Dicast. et Gob. apud Croix n. 658.* Hocque videtur verius, dum Tridentinum *dict. sess. 14. c. 5.* dicit quòd hæ preces tantùm *laudabiliter adjunguntur*, verbum enim *laudabiliter* nullum utique videtur importare præceptum. Nemo tamen dubitat, quin convenientius sit saltem in confessionibus longioribus hujusmodi preces adjicere: maximè illas quæ sequuntur: *Passio Domini, etc.* cùm probabile sit cum *D. Thoma, S. Ant. et aliis*, prout infrà dicemus agendo *de satisfactione*, quòd per verba illa eleventur omnia bona opera penitentis ad satisfactionem sacramentalem; saltem consulit *Holzm.* ut ea verba dicantur, dum pœnitens recedit.

Dubitarur 4. An per verba *te absolvo* possit sacerdos validè

(1) « Et non sine ratione. » *Hom. Ap. tr. 16. n. 5.*

absolvere pœnitentem tam à peccatis, quàm à censuris? Communiter affirmant *Pal. p. 5. Bon. p. 1. n. 10. Ronc. c. 2. q. 5. Salm. loc. cit. n. 11. Viva q. 7. art. 1. n. 3. Holzm. num. 482.* Ratio, quia nihil prohibet quin verba illa ex intentione sacerdotis dirigantur ad absolutionem tam à censuris, quàm à peccatis. Meritò tamen advertunt *Roncalgia, et Salm. tr. 6. c. 5. p. 1. n. 11. in fin. cum Gran. et Leand. item Sotus, Coninchius, et Avila*, id non excusari à culpa veniali, cùm sit contra usum Ecclesiæ. Probabiliter verò *Holzm. n. 491. et Viva ll. cc. cum Gran.* id omninò excusant, si nulla adsit probabilis suspicio quòd pœnitens aliquam censuram incurrerit. Cæterum rectè ait *P. Concina p. 618. n. 9.* peccare mortaliter sacerdotem, qui contra prohibitionem Ecclesiæ vellet pœnitentem absolvere priùs à peccatis, et deinde à censuris? Quamvis satis communis sit sententia, quòd validè possit pœnitens absolvi (si ipse sit in bona fide) à peccatis, non præmissà absolutione à censuris, ut docent *Suarez tom. 4. de rel. d. 51. sect. 5. n. 6. Sanchez Dec. l. 2. c. 8. n. 5. Lugo d. 14. n. 102. et Salm. cit. n. 11.* Ratio, quia prohibitio Ecclesiæ nequit invalidare sacramentum, cujus valor pendet à jure divino, cùm omnia ad illud requisita essentialia concurrunt.

451. — Quæritur III. An possit validè et licitè dari absolutio sub conditione? Omnes conveniunt, ut diximus *lib. 6. tr. 1. de sacram. in gen. n. 26.* validam quidem esse absolutionem, quæ datur sub conditione de præterito, vel præsentis. E converso communiter dicunt DD. invalidam esse, si conditio sit de futuro; et hoc etiãsi dicatur, *Absolvo te, si Deus cognoscit quòd restitues*, aut simile, ut tenuimus *dict. n. 26.* Difficultas est, an sit licitum absolvere sub conditione de præsentis, vel præterito? Resp. affirmativè cum communi DD. contra aliquos, juxta sententiam allatam *ibid. n. 28.* dummodò justa adsit causa; nempe si negatà absolutione, notabile detrimentum immineret animæ pœnitentis.

452. — Causæ autem justæ, secundùm doctores infrà citandos, videntur hæ: I. Si sacerdos prudenter dubitet, an absolverit vel ne, ita *Lugo d. 15. n. 107. Croix l. 6. p. 2. n. 1770. Spor. n. 622. Ronc. de sacr. c. 4. q. 6. r. 5. Bon. de pœn. p. 3. num. 1. cum Suar. Fill. Molf. Reg. et Salm. de pœnit. c. 5. p. 5. n. 22. cum Vasq. Graff. Dic. etc. II. Si*

confessarius dubitet, an habeat jurisdictionem in pœnitentem (1), ita *Sporer d. n. 622.* Sed hoc non admitterem, nisi pœnitens diu deberet carère absolutione: et in hoc casu censeo tenèri confessarium patefacere pœnitenti qui ei confessus sit mortalia, quòd ipse tantùm sub conditione absolutus sit, ut si postmodum fortè notum fiat, quòd confessarius reverà careret jurisdictione, pœnitens iterùm confiteatur peccata illa, ut debeat. III. Si urgeat necessitas suscipiendi Eucharistiam, ut dicunt *Mazzotta, et Spor. ll. cc.* Sed hic obiter advertendum, quòd licèt aliquis posset in hujusmodi necessitate sub conditione absolvi, quia talis necessitas sufficientem præbet causam confessario absolvi sub conditione; pœnitens tamen non posset accedere ad communionem, nisi certò dispositus ad illam (vel saltem probabiliter, juxta alios citandos infrà *n. 475.*) ad hoc ut servet præceptum apostoli, quòd omnes accedant probati; unde in mero dubio negativo suæ dispositionis nemo potest communionem suscipere (2).

(1) » Sed hoc puto non esse admittendum, nisi cùm pœnitens existeret in » mortali et aliàs multum temporis absolutione privari deberet. Præterea » hoc debet intelligi in solo dubio facti; quia si jurisdictione est positivè » dubia de jure, id est, si probabilis est ob DD. auctoritatem, benè potest » absolutio absolutè conferri, nam tunc supplet Ecclesia, semper ac gravis » adest causa. » Ita *S. Alphonsus in Hom. Ap. tr. 16. n. 6. Confer infrà n. 571. 572. 575. 901. 902.*

(2) » In hoc distinguendum et videndum, inquit *S. Alph.* (revocans quod » in 1^o Edit. moralis scripserat) in *Hom. Ap. tr. 16. n. 6.* an dubium sit de » peccati actione aut de confessione peccati jam commissi, quia si pœnitens » est certus, quòd grave peccatum patravit et ejus dispositio est dubia, » ille communicare nequit, licèt absolutus fuisset sub conditione, et si non » potest communicare, nec etiam potest absolvi; nam tunc deest causa » necessitatis communicandi, ut sub conditione absolveretur. »

Et in *Hom. Ap. tr. 15. n. 54.* questionem: « An dubitans sit vel ne in gratia, possit communicare » *S. Alphonsus* ita solvit: « Si quis dubitat, an » graviter peccaverit necne, tunc licitè, non præmissa confessione, potest » ad communionem accedere, sive dubium sit negativum, sive positivum » (sufficiendo sibi ut tutiùs fructum sacramenti percipiat, ut præmittat contritionem); quia præceptum Apostoli: *Probet autem seipsum homo*, ratione » ejus intelligitur præcepta esse confessio, ut declaravit Tridentinum, » ligat tantùm eos qui sunt conscii, nempe certè sciunt se mortale commississe, de quo non sunt adhuc confessi, ut idem Tridentinum declaravit » sess. 15. c. 7. dicens: *Ut nullus sibi conscius peccati mortalis, ad Eucharistiam accedere debeat.* Itaque præceptum prohibitionis non incipit possidere, nisi postquam homo sit sui peccati conscius. Contrà si quis est certus » de peccato commissio, tunc non potest communicare, nisi certus sit, se per

IV. Si dubitetur, an pœnitens sit ritè dispositus per verum dolorem et propositum; ita *Sporer l. c. Mazzotta t. 5. p. 168. et Pal. p. 5. n. 9. cum Vasq. etc.* Sed huic doctrinæ sic generaliter traditæ nec valeo acquiescere; nam dico 1. non posse absolvi sub conditione peccatorem recidivum in culpas lethales, qui non probetur dispositus per signa extraordinaria, prout infra dicemus *n. 459.* nisi esset in periculo mortis; vel nisi (excipit *Schilder. ap. Croix l. 6. p. 1. n. 110.*) prudenter timeatur, quòd peccator ille non ampliùs ad confessionem redibit, et in peccatis suis tabescet. Dico 2. idem dicendum esse de recidivo in venialia, qui sufficientem habet usum rationis. quia, cùm possit hic confessarius de brevi certum se reddere de pœnitentis dispositione per experimentum emendationis ei differendo absolutionem; non videtur adesse sufficiens causa absolvendi illum sub conditione. Dico 3. probabiliter posse absolvi puerum, vel semifatum sub conditione, quando dubitatur de ipsorum dispositione; et quidem, si urgeat periculum mortis, vel præceptum paschale, communiùs dicunt DD. cum *Less. Auct. v. Confessio. c. 6. Lug. d. 17. num. 22. et aliis*, tales esse absolvendos sub conditione, si dubiè sint dispositi, maximè si confessi sint aliquod dubium mortale, quo casu ait *Lug.* non vidèri de hoc dubitandum. Idque puto omninò dicendum (contra *Lessium*) etiam extra tempus mortis, vel præcepti, ut verius dicunt *Spor. n. 622. Mazz. t. 5. p. 568. et Laym. c. 5. n. 7.* qui ait absolvi posse sub conditione, saltem animo retentâ; in eo enim casu non solum adest justa causa utilitatis, ne pœnitens privetur gratiâ sacramentali, sed etiam necessitatis, ne ille fortè maneat in mortali; in tantum autem alii usu rationis præditi non debent absolvi, cùm de ipsorum dispositione dubitatur, quia adest via et spes, fore, ut dilatâ ab-

- » confessionem probatum fuisse, quia tunc certè possidet in eo præceptum prohibitionis; unde ille cum dubio negativo, aut positivo, an recuperaverit necne omissam gratiam (v. g. cùm dubitat an confessio fuerit nulla ex defectu dispositionis, aut jurisdictionis, aut si dubitat de contritione in casu necessitatis communicandi), non potest Communionem recipere;
- » quia tunc agit contra præceptum quod requirit probationem non solum probabilem, sed etiam certam, sicut fuit certum peccatum.»

Edit.

solutione, brevi illi certò dispositi redeant, et absolvantur; sed quoad hos semifatuos, et pueros, nondum perfectè rationis compotes, deest hæc via et spes, fore, ut brevi afferant hanc certam dispositionem. Imò non improbabiler dicunt *Sporer, Maz. U. cc. et Gob. Dian. et Schild. ap. Croix n. 1797.* posse absolvi sub conditione hujusmodi pueros, etiamsi afferant peccata tantum levia, ne diu priventur gratiâ sacramentali, et ne maneat in mortali, si fortè habeant, ut loquitur *Lugo l. c.* Dico 4. probabiliter posse sub conditione absolvi (ut censet *Bon. p. 5. n. 1.*) pœnitentem pium, qui aliquas tantum imperfectiones confitetur, de quibus dubitatur, an pertingant ad venialia; hoc tamen non admitterem sæpè (1), neque si ille posset materiam certam de vita anteacta præbere. Cæterum, cùm pœnitens non dat materiam certam, non tenetur confessarius eam exquirere, ut absolvat; et casu quo exquisierit, et non repererit certam materiam, ait *Spor. n. 56.* non tenetur absolvere sub conditione, cùm pœnitens tunc nullum jus certum habeat ad illam, quando non affert materiam certam, aut saltem dubiè necessariam.

DUBIUM II.

QUÆ CONTRITIO REQUIRATUR ?

453 *Vide quæ habentur apud Busemb. de dolore, et proposito.*

§. I.

De quæstionibus ad dolorem pertinentibus.

- 454 *Quid sit pœnitentia ut virtus? et quid ut sacramentum?*
 455 *Qu. I. An contritio consistat in dolore, vel in detestatione?*
 456 *Qu. II. Ex quo motivo elicienda sit contritio?*
 457 *Qu. III. Quando obliget præceptum contritionis? Dub. 1. An obliget extra periculum mortis? Et an ejus dilatio sit speciale peccatum? Dub. 2. An qui in articulo mortis confessus*

(1) « Hoc tamen non admitterem, nisi semel in mense » *S. Alph. in Hom. Ap. tr. 16. n. 6.*

- 437 *sit cum attritione, teneatur deinde elicere contritionem?*
 Dub. 3. *An præceptum contritionis obliget in diebus festis?*
 438 Qu. IV. *An ad justificationem requirantur singulæ contritiones ad singula peccata?*
 439 Qu. V. *An in confessione requirantur explicitè actus fidei, et spei?*
 440 Qu. VI. *An in sacramento sufficiat attritio sine amore prædominante?*
 441 *An qualibet contritio deleat peccatum extra sacramentum?*
 442 *Et an peccatum possit consistere cum charitate prædominante, si sit remissa? Solvuntur objectiones, ubi probatur, amorem inchoatum concludi in attritione.*
 443 Qu. VII. *An sufficiat attritio ex metu pœnarum temporalium?*
 444 Qu. VIII. *An sacramentum pœnitentiæ possit esse aliquando validum et informe?*
 445 Qu. IX. *An dolor debeat præcedere ad confessionem?*
 446 Qu. X. *Per quantum temporis actus doloris moraliter perseveret?*
 447 Qu. XI. *An pœnitens debeat elicere actum doloris cum intentione se confitendi?*
 448 Qu. XII. *An qui confitetur peccatum oblitum statim post absolutionem, teneatur novum elicere dolorem?*
 449 Qu. XIII. *Quomodo eliciendus sit dolor in confessione venialium? Dub. 1. An sit mortale confiteri venialia sine ullo dolore? Dub. 2. An in confessione venialium sufficiat dolere de uno peccato sine alio? An sufficiat dolere de frequentia? Ibid.*

§. II.

De quæstionibus ad propositum.

- 450 Qu. I. *An sufficiat propositum virtuale sive implicitum?*
 451 Qu. II. *Quæ sint condiciones requisite ad verum propositum? Et sunt I. Ut sit firmum. Quid si pœnitens credat certè se relapsurum? II. Ut sit universale. An requiratur universale propositum de mortalibus? III. Ut sit efficax.*
 452 Qu. III. *Quomodo se gerere debeat confessarius cum iis qui sunt in occasione peccandi? Dub. 1. Quotuplex sit occasio, et quotuplex periculum peccandi? Et quæ occasio vitari debeat?*
 453 Dub. 2. *An possit absolvi, qui non vult amovère probabilem peccandi occasionem?*
 454 Dub. 3. *An qui est in occasione proxima voluntaria, possit semel vel iterùm absolvi?*

- 455 Dub. 4. *An possint absolvi qui sunt in occasione proxima necessaria? Præsertim causâ suæ artis, vel officii.*
 456 *Sententia tenenda circa absolutionem his differendam.*
 457 Dub. 5. *An possit absolvi, qui in occasione necessaria, adhuc remediis adhibitis, eodem modo fuerit relapsus?*
 458 *Adnotatur doctrina S. Caroli Borromæi.*
 459 Qu. IV. *Quomodo se gerere debeat confessarius cum consuetudinariis ex intrinseca fragilitate; et quomodo cum recidivis. An recidivus possit pluries absolvi sine signis extraordinariis?*
 460 *Quæ sint signa extraordinaria?*
 461 *Quæ certitudo dispositionis pœnitentis sufficiat ad eum absolvendum?*
 462 *An liceat differre absolutionem pœnitenti disposito sine ejus consensu?*
 463 *An expediat, vel ne sæpius differre absolutionem?*
 464 *Cur pot' us differenda est absolutio iis qui sunt in occasione extrinseca, et non recidivis ex fragilitate intrinseca?*

453. — « SUPPONO, quòd contritio in communi sit dolor, »
 » ac detestatio peccati commisi, cum proposito emendandi,
 » ut habet *Trident sess. 14.* Ubi eam dividit in perfectam,
 » quæ absolutè sic dicitur; et in imperfectam, quæ attritio
 » dicitur. Perfecta est, quæ elicitur ex motivo charitatis pro-
 » pter Deum summè dilectum: et hæc ex se sola mox justi-
 » ficat, etsi cum voto, et ordine ad confessionem, quam
 » deinde facere tenèris. Imperfecta est, quæ ex inferiore mo-
 » tivo, supernaturali tamen, concipitur.
 » « Resp. Ad sacramentum hoc sufficit, et requiritur saltem
 » attritio formalis, supernaturalis, efficax, et universalis,
 » respectu mortalium. concepta in ordine ad confessionem,
 » vel saltem absolutionem. Est communis. *Vide Bon. d. 5. q.*
 » *5. et Schol. ac colligitur ex Trid. l. c.*

Unde resolves:

- « 1. Non requiritur contritio existimata, ut voluit *Gabr.*
 » « 2. Non sufficit 1. Attritio existimata tantùm, licèt in-
 » culpabiliter; quia vera attritio est pars essentialis. 2. Nec
 » desiderium absolutionis, sine affectu ad peccata: idque
 » etiãsi tantùm confitearis venialia, ut habet sententia com-
 » munis contra *Angles* et quosdam alios, quos sequitur *Tamb.*

» l. 1. expedit, conf. c. 3. Vide Dian. p. 9. t. 9. r. 51. Unde
 » peccat graviter, qui etiam sola venialia, vel sola mortalia
 » aliàs confessa sine omni formali dolore confitetur, quia non
 » ponit materiam Sacramenti, et saltem periculo sacrilegii se
 » exponit. Ita Card. de Lugo d. 14. sect. 8. etc. commun. Vide
 » Dian. p. 5. t. 4. r. 116. Bon. d. 5. qu. 5. sect. 1. p. 5. Non
 » tamen est necesse, ut dolor se extendat ad omnia venialia,
 » quorum sibi pœnitens est conscius. Suar. Laym. Lugo. Imò
 » notat Tamb. l. c. satis esse de uno veniali dolere formaliter,
 » etsi plurium sis conscius, de quibus nec dolorem, nec pro-
 » positum emendandi habeas sive ea confitearis, sive non.

« 5. Non absolvitur, qui dolet, licet intensissimè, tantum
 » propter infamiam, damna, aliasve pœnas temporales præ-
 » cisè, etsi ex inculpabili ignorantia: quia non est dolor super-
 » naturalis; nec ignorantia, aut bona fides potest supplere
 » defectum essentielle. Bonac. l. c. etc. Limitat tamen Regin.
 » cum Tamb. de exp. conf. l. 1. c. 1. nisi doleas propter istas,
 » ut à Deo inflictas, vel infligendas.

« 4. Ad attritionem non requiritur ulla intensio, vel dura-
 » tio temporis, ut vult Durand.

« 5. Equis debeat esse de omnibus peccatis mortalibus, non
 » requiruntur tamen singuli dolores de singulis, ut vult An-
 » gles; sed sufficit unus actus de omnibus simul sumptis,
 » etiam oblitis: ideòque peccat graviter, qui sciens prudens
 » non atteritur universaliter de omnibus mortalibus nondum
 » remissis. Bonac. etc. ll. cc.

« 6. Non sufficit dolere, quòd non doleas, ut habent Navar.
 » et Sa, nec velleitas non peccandi. Ratio utriusque est,
 » quia non est dolor de peccatis commissis, cum quo affectus
 » ad ea stare potest. Henriq. Vasquez, Bon. loc. cit. n. 7. Ubi
 » rectè notat, cum actu, quo quis dolet, se non dolere de
 » peccatis, plerùmque conjunctum esse dolorem de peccatis,
 » etsi pœnitens eum non dignoscat.

« 7. Etsi dolor hic debeat esse summus appetitativè, ita
 » ut nihil magis detesteris quàm peccatum, malisque omnia
 » mala hujus mundi perpeti, quàm mortaliter contra Deum
 » peccare; non tamen opus est, imò non expedit, particula-
 » res facere collationes: v. g. mallet hoc, vel illud malum
 » subire, quàm mortaliter peccare; quia periculosæ sunt. »
 (Et hoc est commune apud omnes cum S. Th., Bonac. etc.

» apud Croix n. 751. nempe non expedire comparationem ex-
 » plicitam inter peccatum et alia mala, se determinando, potius
 » quàm peccatum, eligere hæc mala in particulari; et tantò mi-
 » nus eligere infernum, quia secundum præsentem Dei providen-
 » tiam, cum infernus sit destinatus iis qui sunt firmati in pec-
 » cato per æternum odium erga Deum, incongruè homo ad vi-
 » tandum peccatum eligeret infernum, in quo non posset ma-
 » nère sine peccato.)

« 8. Qui non vult occasiones proximas peccandi à se amo-
 » liri, vel non remittere ex animo, vel non restituere, aut
 » satisfacere, quibus debet, vel non habet formale (licet proba-
 » babiliter cum Lugo l. c. sect. 5. Laym. Dian. aliqui dicant
 » virtuale in contritione universali inclusum sufficere, sal-
 » tem quando non occurrit cogitatio de peccatis vitandis) pro-
 » positum peccata mortalia (quando talia confitetur) vitandi
 » efficax, id est, cum quo non possit consistere affectus
 » actualis erga aliquod mortale, non est sufficienter attri-
 » tus. Ratio est, quia non est dolor et detestatio efficax, quippe
 » cum quo possit stare voluntas peccandi, nec is se ex toto
 » corde convertit ad Deum, detestans peccatum super omne
 » detestabile. Suar. Fern. Laym. l. 5. tr. 6. c. 4. Diana p. 5. t.
 » 4. r. 119. etc. commun. Et licet sola venialia confitearis,
 » tenèris tamen sicut dolorem, ita etiam propositum, saltem
 » virtuale, circa illa habere. Card. de Lugo d. 14. sect. 8.
 » et 9. et alii.

« 9. Redire sæpè cum eodem mortali non est certum indi-
 » cium deesse attritionem; etsi sit magna præsumptio, præ-
 » sertim in iis qui coguntur confiteri à parentibus, magistris,
 » etc.; item in iis, qui aliquoties moniti concubinam non
 » separant, aut restitutionem non faciunt, quibus proinde
 » absolutio differenda est, nisi id actu præsent. Quamquam
 » possint esse alia signa veri doloris, v. g. si media præscripta
 » sint adhibita, occasiones vitatæ, si numerus peccatorum
 » imminutus, si pœnitens omninò asserat, cui plerùmque
 » credi debet, cum ipse sit sui accusator, defensor, et testis;
 » qua in re opus est magna prudentia confessarii, ne pœni-
 » tentem severitate avertat, neque etiam lenitate seducat, et
 » peccet, pereatque cum illo. Suar. in 5. p. d. 52. sect. 2.
 » Sanch. l. 2. in dec. c. 52. et l. 5. c. 5. Card. de Lug. l. c.
 » num. 166. et 169. contra quorum, aliorumque communem

» sententiam, docent apud Dian. Vivaldus, et Joannes Sani-
 » cius d. 40. n. 16. posse toties, quoties confitetur, absolvi,
 » etiamsi nullus appareat profectus; eò quòd sine illo possit
 » esse verum propositum, sicut est in iis, qui venialia sem-
 » per afferunt eadem. Verùm id probare non ausim, » (ob
 » damnatas nuper ab Innoc. XI. proposit. 60. et 61.) « nec vi-
 » detur esse par ratio. Vide Conin. d. 2. d. 14. Dian. p. 1. t.
 » 7. r. 55. et p. 2. t. 2. miscel. r. 45. et p. 5. t. 4.

« 40. Absolvendi sunt ii, qui ex officio, domo, vel ne-
 » gotio, in quo propinquum peccati periculum imminet,
 » discedere nolunt, eò quòd sine maxima difficultate non
 » possint, parati interim media præscribenda adhibere. Ratio
 » est, quia occasio, etiam propinqua, non necessitat ad pec-
 » catum, ideòque stare potest cum proposito peccata vitan-
 » di. Nec refert quòd quis putet, vel timeat se unum vel
 » plura peccata non vitaturum: quia propositum est actus
 » voluntatis: existimatio autem illa est actus intellectus, qui
 » ex illo proposito, ob humanæ voluntatis mutabilitatem,
 » non necessariò consequitur. Interim qui certus est, impos-
 » sibile sibi esse in tali occasione peccata vitare, debet eam
 » deserere, nisi velit perire. Ita Laym. l. c. Lugo l. c. n. 132.

« 41. Non requiritur dolor sensibilis; sufficit enim intel-
 » lectivus: qui cum sit internus ac spiritualis, scrupulosi
 » non facilè debent angi, quasi sine dolore accedant ad sacra-
 » mentum, eò quòd nullum sentiant.

« 42. Is qui nihil cogitans de confessione, attritionem eli-
 » cuit, non referens eam ad sacramentum, non potest sine
 » novo dolore ad id accedere, quia pars debet referri ad
 » partem. Ita Suar. d. 20. sect. 4. Bon. d. 5. q. 5. p. 2.
 » Contrarium tamen videtur docere Card. de Lug. d. 14. sect.
 » 4. n. 57. quod non est improbable. Tamb. l. 1. c. 2.

« 43. Non sufficit ad sacramentum dolor, qui sequitur ab-
 » solutionem, imò secundum sententiam saltem tutiorem,
 » quam docent Laym. lib. 5. t. 6. c. 4. et Coninc. debet ante-
 » cedere etiam confessionem, etsi contrarium etiam probabi-
 » liter doceant Vasq. Fill. Fag. Card. de Lugo de pœnit. d.
 » 14. sect. 2. et Gasp. Hurtad. d. 6. diff. 5. apud Dian. et
 » Escob. t. 7. r. 6. Unde pœnitentes initio ad dolorem exci-
 » tandi, aut si post peccatorum narrationem fiat, repetant

» verbo confessionem, dicendo se dolere de peccatis expositis.
 » Vide Laym. l. c.

« 44. Probabile est, cum qui paulò antè confessus iterum
 » confitetur, vel eadem peccata, vel quæ exciderant, quibus
 » antè (explicitè, et in particulari) non doluit, non tenèri
 » elicere novum dolorem. Card. de Lugo d. 14. sect. 5. Dian.
 » p. 9. t. 5. r. 50. et 51. et consequenter potest moribundus pro-
 » pter periculum instantis mortis absolvi, audito tantum uno
 » alterove peccato, et deinde si superstes maneat, auditis reli-
 » quis iteratò absolvi in virtute doloris præcedentis. Tamb.

Hic plures occurrunt quæstiones magnopere seitu necessariae
 ad praxim, tum ad dolorem, tum ad propositum in confes-
 sione requisitum pertinentes; unde distinctè de iis agere
 oportet.

§. I.

De quæstionibus circa dolorem.

454. — Ante omnia oportet advertere, quòd pœnitentia
 duplici sensu accipitur; nempe ut virtus, et ut Sacramen-
 tum: Ut virtus definitur: *Virtus tendens in destructionem*
peccati in quantum est Dei offensa, medio dolore, et satisfac-
tionem. Ut sacramentum verò definitur: *Sacramentum consi-*
stens in actibus pœnitentis; et sacerdotis legitimè absolventis
in modum iudicii. Pœnitentia quidem ut virtus fuit omni
 tempore necessaria necessitate medii ad salutem; in lege autem
 evangelica ut sacramentum est pariter necessitate medii neces-
 saria omnibus lapsis in mortale post baptismum, saltem in
 voto, si non possit suscipi sacramentum in re.

455. — Quær. I. An contritio consistat in dolore, vel in
 detestatione? Alii dicunt consistere in dolore, qui præsupponat
 detestationem, ut Gonet d. 7. n. 6. etc. ap. Croix l. 6. p. 2.
 n. 657. Alii verò dicunt consistere in detestatione, quam se-
 quitur dolor; et hæc sententia est satis communis et verior
 videtur cum Suar. de pœnit. d. 4. sect. 1. n. 7. Sporer n. 67.
 Holzm. n. 495. ac Nav. Caj. Reg. Gob. etc. ap. Croix l. c. ex
 D. Th. 5. p. q. 87. art. 1. ubi docet: *Exigitur ad remissionem,*
ut homo actualiter peccatum commissum detestetur. Ratio, quia non
 quidem dolor est causa detestationis, sed detestatio est causa
 doloris; et dolor ideò est utilis, quia proce-

dit à peccati detestatione; quæ principaliter est abolitio culpæ, cum sit velle non peccasse. Cæterum, ut rectè dicunt *Frasen. t. 10. p. 529. cum Vega, et Holzm. Sporer ac Croix loco cit. cum Con.*, non dubitandum, quin in contritione utrumque requiratur, tam dolor, quam detestatio; et quòd reverà in uno alterum exercitè contineatur; qui enim suum detestatur peccatum, necessariò de ipso dolet; et contrà, qui de peccato dolet, illud necessariò detestatur.

456. — Quær. II. Ex quo motivo debeat elici actus perfectæ contritionis?

Prima sententia, quam tenent plures, dicit posse elici ex motivo cujuscumque attributi divini offensi, justitiæ, sapientiæ, misericordiæ, etc. Et meritò hanc probabilem putant *Suar. d. 2. sect. 2. num. 15. et Lugo d. 5. n. 4.* Ratio, quia ille qui diligit divinam justitiam, vel misericordiam propter Deum, jam Deum diligit, cum misericordia et justitia divina sint ipse Deus; ergò qui dolet de peccato ob Dei misericordiam, vel justitiam offensam, non jam ex motivo concupiscentiæ, sed propter Deum dolet.

Secunda sententia verò communis et probabilior, quam tenent *Suar. l. c. Vasq. q. 85. art. 2. n. 45.* (qui vocat oppositam erroneam) et *Croix n. 722. cum Arriaga, Dic. et aliis passim*, docet, contritionem debère omninò procedere ex solo motivo charitatis; nempe divinæ bonitatis offensæ, quatenus hæc complectitur omnes Dei perfectiones. Ratio, quia ex *Trid. sess. 14. c. 4.* requiritur, ut contritio sit charitate perfecta, id est informata; objectum autem charitatis, ut communiter docent DD. utque diximus *l. 5. n. 24. v. Objectum*, est Deus quatenus est infinita bonitas, nempe radix et aggregatio omnium perfectionum.

457. — Quær. III. Quando obliget præceptum contritionis? Per se loquendo, certum est apud omnes, obligare in articulo mortis; vide *Salm. de pœnit. c. 1. p. 5. n. 54. et alios passim*. Per accidens verò, communiter dicunt DD. obligare I. Quando aliquis esset in mortali et deberet sacramenta ministrare, vel aliquod sacramentum vivorum suscipere, ita *Bon. d. 5. qu. 5. sess. 1. p. 2. cum Vasq. Val. et Fill. ac Salm. ibid. n. 51. cum Pal. et Laym. etc. communiter*. II. Quando quis graves pateretur tentationes, quas vitare non posse putaret, nisi actum contritionis eliceret. *Laym. c. 2. n. 1. et*

Salm. ibid. n. 52. cum Cano, Pal. Fill. Med. etc. III. Quando quis tenetur elicere actum charitatis erga Deum, tunc enim, occurrente memoriâ peccati, tenetur suum peccatum detestari, ut rectè ait *Holzm. p. 151. num. 518.*

Dubitatur 1. An extra periculum mortis obliget unquam præceptum contritionis, et ejus dilatio sit speciale peccatum.

Prima sententia affirmat, quam tenent *Juenin. t. 9. p. 416. Ronc. de pœnit. c. 1. q. 5. r. 2. Antoine p. 498. Conc. t. 9. p. 51. n. 5. cum Carden. Vitass. et Merb. item Ales. et Gabr. apud Salm. ibid. n. 46.* Probatur 1. ex illo: *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius. Eccli. 5.* Probatur 2. ex præcepto charitatis, quod sine dubio obligat per se sæpius in vita, ergò etiam sæpius obligat præceptum contritionis.

Secunda sententia verò negat, et hanc tenent *Navar. cap. 1. p. 2. n. 5. vers. Dixi, item Cajet. et Durand. apud Pal. p. 5. n. 9.*, qui probabilem putat. Censeo autem has sententias facilè posse conciliari. Per se loquendo peccator differens pœnitentiam extra periculum mortis probabiliter non committit speciale peccatum cum secunda sententia. Ratio, quia præcepta affirmativa, ut docet *D. Th. in 4. dist. 17. q. 5. a. 1.* debent habère tempus determinatum, in quo debeant implèri; nullibi autem constat quale tempus sit determinatum ad huic præcepto contritionis satisfaciendum: unde idem *S. Doctor 2. 2. qu. 14. art. 2.* dixit impœnitentiam finalem non esse peccatum speciale, his verbis: *Impœnitentia non quidem eo modo quo dicit permanentiam in peccato usque ad mortem.... sic non esset speciale peccatum, sed quædam peccati circumstantia, etc.* Id tamen sanè intelligendum, præciso præcepto positivo: nam ex præcepto annuæ confessionis ob Ecclesia præscriptæ quisque procul dubio tenetur ad pœnitendum, saltem semel in anno. Hoc tamen est per se loquendo, sed per accidens puto nullo modo excusari à mortali, qui existens in mortali per notabile tempus differret pœnitentiam. Tùm quia peccaret contra præceptum charitatis erga Deum, quod saltem pluries in anno quemcumque obstringit, juxta dicta *l. 5. n. 8.* Tùm quia insuper peccaret contra charitatem erga seipsum, cum se exponeret proximo periculo novarum culparum, tentationibus succumbendo: ratio patet ex eo quod docet *D. Th. 1. 2. q. 109. art. 8.* (quem

sequuntur *Gonet, et Ronc.*) ubi ait : *Sine gratia justificante, quòd diu maneat absque peccato mortali esse non potest.* Unde *D. Gregorius* super *Ezech. Hom. 11.* dixit : *Peccatum quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.* Quale autem sit hoc notabile tempus, valde *DD.* discrepant. *Conc.* putat esse hebdomadam (1); idem videtur sentire *Ronc.*, dicens esse spatium multorum dierum; sed *Salm. de pœnit. c. 1. p. 5. n. 55. Pal. p. 5. nu. 10. cum Laym. et Elb. n. 54. cum Lugo, Henno, etc.*, putant excusari, qui satisfacit confessioni annuali : et huic opinioni videtur adhærere *D. Th. in l. c. in 4. Sent.* Sed ego non omninò acquiesco, spatium enim satis notabile mihi videtur, ut quis per tantum temporis existens in mortali possit vitare periculum in alia faciliè relabendi. Nec valet dicere, quòd Ecclesia pro omnibus indistinctè determinaverit tempus anni; nam Ecclesia hoc tempus solum determinavit ad obligationem confessionis, non autem pœnitentiæ. Non nego tamen, quòd peccatores, præsertim rudes, ab hoc peccato dilatæ pœnitentiæ ob inadvertentiam ut plurimum, imò ferè semper excusari possunt.

Dubit. 2. An qui in articulo mortis susceperit sacramentum pœnitentiæ cum attritione (supposito quòd attritio sine charitate prædominante sit sufficiens dispositio, juxta dicenda in qu. V.), teneatur insuper elicere actum contritionis?

Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Suar. d. 14. sect. 6. n. 18. Sanch. Dec. t. 1. l. 1. c. 1. n. 54. Bon. q. 5. p. 2. n. 5. Conc. t. 9. p. 56. n. 5. Antoine p. 498. r. 2. et Val. Fill. etc. ap. Salm. de pœnit. c. 1. p. 5. n. 55.* Ratio, quia ex lege charitatis quilibet in articulo mortis tenetur tutiora quærere remedia, ut ab omni periculo se liberet æternæ damnationis.

Secunda sententia verò negat, et hanc tenent *Lug. d. 7. nu. 165. Laym. c. 11. n. 7. Pal. p. 5. n. 5. Ronc. c. 1. q. 4. Sporer n. 174. Holz. n. 546. Escob. l. 14. n. 150. et Salm. ibid. n. 59. cum Conc. Bec. Salas, Fag. Turr. et aliis pluribus*, valdeque probabilem putat *Suar.* Ratio, quia, posito quòd sit moraliter certa sententia, quòd simplex attritio sufficiat in sacramento ad gratiam consequendam, nullum in hoc adest morale periculum salutis : homo autem quocumque tempore, sive vitæ sive mortis, non tenetur nisi ad eligenda

(1) Hæc sententia auctori in *Hom. Ap. tr. 16. n. 10.* videtur nimis rigida. *Edü.*

media salutis tuta, non autem tutiora. Utraque sententia est probabilis, sed prima omninò est consulenda, cum agatur de summo salutis negotio, cujus periculum est irreparabile. Imò dico esse omninò sequendam ab eo, qui esset in actuali articulo mortis : tunc enim quisque tenetur elicere actum charitatis (ut tenendum cum *Suar. n. 4. Holz. n. 141. et Spor. n. 55. cum March. etc.*), cui nemo potest satisfacere si occurrente memoriâ peccati, ex eodem charitatis motivo peccatum non detestetur.

Dubit. 5. An in diebus festis obliget præceptum contritionis? Affirmant *Marsilius, P. Soto, etc. ap. Salm. tr. 6. c. 1. p. 5. n. 49.*, quia observantia festi ideò instituta est, ut animæ sanctificentur. Sed negant communiter *Canus, Dom. Soto, Armill. Suar. Vasq. Bon. Reg. etc. cum Salm. l. c.*, quia finis præcepti non cadit sub præcepto. *Vide dicta l. 4. n. 264.*

Dubit. 4. An votum confessionis in contritione debeat esse explicitum. Certum est ex Trident. sess. 14. c. 4. peccata non remitti nisi ex voto sacramenti pœnitentiæ : dubium est an hoc votum explicitè sit habendum? Affirmant *Canus p. 5. q. 2. et Tourn. Prælect. theol. de pœnit. qu. 4. art. 4.* quia illa, quæ de necessitate mediæ sunt necessaria, explicitè proponenda sunt ab eis quibus lex jam est manifestata. Negant verò communiter probabilius *Bon. p. 5. n. 8. Gonet a. 5. et Salm. ibid. c. 2. p. 5. n. 25. cum Scoto, Suar. Soto, Navar. Alensi, Adrian. Fill. Med. et aliis.* Ratio 1. quia ex ipso Trident. habetur, votum hoc includi in contritione, dum ibi sic dicitur : *Reconciliationem* (quæ per contritionem perfectam obtinetur) *ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Quod in alio includitur, implicitum est, non explicitum. Ratio 2. quia illi, qui habet notitiam confessionis, non est necesse, ut dum conteritur, confessionis recordetur, sed sufficit ut illam non excludat; ergò ad contritionem non est essentielle ad remissionem peccati, quòd votum confessionis sit explicitum.

458. — Quær. IV. An ad consequendam justificationem requirantur ad singula peccata singuli actus doloris? Affirmant *Sylv. in 5. part. q. 2. a. 6. concl. 1. et Angles ap. Bus. ut suprâ.* Alii autem, ut *Sotus, Canus, Med. ap. Suar. d. 4. sect. 8. n. 4.* dixerunt saltem requiri unum actum doloris, qui detestetur omnia peccata distinctè cognita. Verum omninò tenen-

dum oppositum cum sententia communi, quam tradunt *Suar. n. 8. Laym. c. 4. n. 5. Conc. p. 66. n. 7. Juen. de sacr. pœn. Caj. 1. 2. q. 115. a. 5. et 5. p. q. 87. a. 1. Holz. n. 449. Spor. n. 89. Croix n. 757. et Elbel p. 215. n. 79. cum Soto, Mastr. et aliis passim*. Omnes hi docent non esse quidem opus adhibere ad singula peccata singulos actus doloris, quod *Cajet.* dicit fore ridiculum; nec requiri, ut dolor referatur ad peccata distinctè recogitata, sed sufficere de omnibus universaliter pœnitere. Et hanc sententiam *D. Thomas*, licet alibi contrarium (ut infra dicemus) videatur indicare, tamen in *Op. de Veritate q. 29. a. 5. ad 4.* expressè docet, sic dicens: *Omnia peccata conveniunt in aversione à Deo, ratione cujus gratiam impediunt; unde ad justificationem non requiritur, quòd in ipso justificationis momento aliquis de peccatis singulis cogitet, sed sufficit quòd cogitet de hoc, quòd per culpam suam est aversus à Deo. Recogitatio autem singulorum peccatorum debet vel precedere, vel saltem sequi justificationem.* Intellige in ordine ad justificationem, ut rectè explicant *Suar. Croix. et alii*. Idem docuit *Catech. Rom. §. 5.* ubi quamvis antecederet hortetur, ut peccator sua crimina singulatim detestetur, tamen ibidem sic subdit: *Is enim (Deus), cum nostræ salutis cupidissimus sit, nullam moram ad tribuendam veniam nobis interponit, sed peccatorem paternâ charitate complectitur, simul atque se collegerit, et universè peccata sua detestatus, quæ deinde alio tempore (si facultas erit) singula in memoriam reducere (id est ad confitendum) ac detestari in animo habeat, ad Deum se converterit.*

Hæc sententia probatur 1. ex illo: *Impietas impiï non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit. Ezech. 35.* Unde dixit *S. Leo, Epist. 82. c. 4. Apud Deum nullas patitur moras vera conversio.* Et *S. Jo. Chrysost. Epist. 5. Deum quantulumcumque, quamlibet brevi tempore gestam pœnitentiam non respuere.* Probatur 2. rationibus. Ratio prima est illa quam suprâ affert *D. Thomas*, nempe, cum peccata consistant in aversione à Deo, sufficit ad gratiam recuperandam, ut peccator per unum contritionis actum convertatur ad Deum; si enim peccator per primam conversionem gratiam non recuperaret, sequeretur quòd eodem tempore ipse esset conversus, et aversus. Præterea, cum peccator per primum actum se convertit ad Deum, nihil ei obstat quo-

minus veniam saltem illius peccati consequatur, peccata autem mortalia nequeunt remitti unum sine alio; unde necesse est, ut ad primum actum unâ simul omnia remittantur. Ratio secunda, quia magnis peccatoribus, qui habitualiter per multum temporis versati fuissent in peccatis, impossibile esset statim converti ad Deum, cum impossibile sit brevissimo tempore singula peccata detestari, aut singula in memoriam revocare: sed oppositum constat ex Scripturis; nam plures peccatores, etsi multis peccatis gravati, tamen subito justificati fuerunt; ita accidit *Magdalenæ, Latroni, Paulo, et præsertim Davidi*, qui statim ac dixit, *peccavi Domino*, respondit *Propheta, Dominus quoque transtulit peccatum tuum. 2. Reg. c. 12. v. 15.* Ratio 5. quia aliàs quisque à peccatis occultis non posset per dolorem universalem mundari, sed Trident. sess. 14. c. 5. docet oppositum, dicens: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab oculis meis munda me Domine.* Si ergò dolor universalis valet delere peccata occulta, cur non delebit etiam peccata non singulatim detestata? Ratio 4. et intrinseca est, quia (ut benè docet *P. Suarez*), cum quis dolet de suis criminibus ex motivo universali, quod pugnat cum omni peccato, tunc virtualiter peccata sua singula detestatur; actus enim ille doloris ad omnia et singula se extendit. Et hæc ratio est ejusdem *D. Th. in 4. dist. 17. q. 2. a. 5.* ubi dicit: *In contritionis motu subitaneo, quamvis non actualiter distinctio inveniri possit, tamen invenitur secundum quod singula peccata ordinem habent ad illud, de quo in illa contritione generali contrito dolendum occurrit, scilicet de offensa Dei.* Unde addit, quòd sicut qui aliquam communitatem diligit, virtute singulos diligit; ita qui dolet de omnibus peccatis, de singulis dolet. Nec obstat illud, quod dicit *D. Th. 5. p. q. 87. art. 1.* ubi quærens, utrum peccatum veniale possit remitti sine pœnitentiâ, respondet: *Exigitur autem ad remissionem peccati mortalis perfectior pœnitentiâ, ut scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur, quantum in ipso est, ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememoranda singula peccata mortalia, ut singula detestetur.* Etenim sapienter *Cajet.* explicat eo loco, quomodo intelligendus sit *S. Doctor: Hoc potest (inquit) dupliciter intel-*

ligi, vel quòd quot fuerint peccata, tot oporteat esse detestationes, et hoc est ridiculum asserere; vel quòd quodlibet peccatum terminet detestatio; et hic est sensus litteræ, ita quòd sicut in confessione, dum peccator dicit, peccavi millies in fornicatione: iste unicus confessionis actus terminatur actualiter ad singulas mille fornicationes; ita quoad actus interiores, dum peccatori displicent mille fornicationes, actualiter detestatur singulas illo uno et eodem actu. Illud autem quod dicit D. Thomas: Diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur; necessariò intelligi debet de rememoratione necessaria ad confessionem; nam non benè detestaretur peccata, qui illorum sigillatim non curaret reminisci, ut ea confiteretur; id enim patet ex alio textu ejusdem S. Doctoris suprà allato, ubi loquens de remissione peccatorum extra sacramentum, dicit: *Recogitatio autem singulorum debet vel præcedere, vel saltem sequi justificationem.* Si igitur recogitatio singulorum peccatorum potest sequi justificationem, consequenter non est necessaria ad ipsorum remissionem; sed tantum ad confessionem, in qua singulatim cum detestatione peccata explicari debent.

Cæterum benè advertit P. Concina l. c. consultum esse peccatorum deformitatem meditari, ut faciliùs detestationem concipiamus, exceptis tamen peccatis luxuriæ, ut omnes admovent, ne eorum factor maleficus animam inficiat. Dicit autem Tamb. Meth. Conf. l. 1. c. 1. §. 2. n. 5. non esse inculcandum peccatori, ut specialiter doleat de peccato cui magis adhæret, ne ex inductione ad illud magis detestandum, pœnitentem periculo exponat ad illi magis adharendum; sed meritò ait Conc. p. 257. n. 15.; hanc doctrinam non esse sanam, quia pœnitens, qui majori passione afficitur erga aliquod peccatum, nisi inducatur ad specialem illius detestationem, remanente affectûs radice, de facili ad vomitum redibit.

459. — Quær. V. An ad consequendam gratiam in sacramento pœnitentiæ præter dolorem requirantur etiam explicitè actus fidei et spei? Affirmant Concina p. 166. num. 50. Hurt. d. 6. diff. 8. et Torres de Fide d. 52. d. 2. et alii, quia ex Trid. peccatores se parant ad justificationem, credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt... fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore. Negant verò Ben. d. 5. in præc. 1. q. 2. p. 2. n. 9. Azor l. 8. c. 7.

q. 6. et Escob. l. 14. n. 105. cum Fill. et Mald., quia, ut dicunt, nullà sufficienti ratione probatur actus fidei et spei in confessione explicitè requiri. At ipse Escob. et Lugo rectè dicunt (has sententias optimè conciliando) quòd, cum quis accedit ad confessionem verè pœnitens, necessariò elicit explicitè (non jam reflexè, sed quidem exercitè) actus fidei et spei; cum enim accedit ad recipiendam remissionem suorum peccatorum. procul dubio explicitè etiam credit virtute sacramenti illa sibi remittenda, et explicitè sperat per sacramentum Deum remissurum sibi peccata propter merita Christi.

440. — Quær. VI. An ad ritè suscipiendum sacramentum pœnitentiæ requiratur contritio, vel an sufficiat attritio? Certum et commune est apud DD. non requiri contritionem perfectam, sed sufficere attritionem. Quæstio magna est, an sufficiat attritio sine amore inchoato, qui oriatur à charitate prædominante, quamvis remissà?

Prima sententia negat, et hanc tenent Juenin. de sacr. pœn. qu. 2. c. 4. num. 2. §. 1. et 2. Merbes. p. 58. cons. 5. Morin. lib. 8. c. 4. n. 2. Habert de pœnit. c. 8. §. 4. Antoine de contrit. q. 6. r. 2. et Con. t. 9. p. 68. n. 1. cum aliis. Rationes hujus sententiæ patebunt ex objectionibus ad secundam sententiam, quam sequimur.

Secunda sententia serè communis affirmat, et hanc tenent Canus Præl. de pœnit. p. 1. Gonet Man. t. 6. p. 410. Petr. t. 4. p. 105. (qui asserit illustriores ex antiquis theologis huic adhæsisse) Tourn. Prælect. theol. de pœnit. qu. 5. art. 5. concl. 2. et 3. Frassen. t. 10. p. 365. q. 2. Wigandt tr. 15. n. 44. Cabass. Th. J. c. 6. n. 11. cum Val. Viguier. Tol. et Nav. Suar. de pœnit. d. 15. s. 14. n. 12. Laym. c. 2. n. 2. Abelly, c. 5. s. 10. (cum communi ut ait) Lugo d. 7. n. 275. (qui dicit contrariam post Trid. non esse ampliùs probabilem) Pal. p. 5. n. 5. Bon. qu. 1. p. 2. Anacl. p. 595. n. 47. Holzm. n. 375. (qui vocat moraliter certam) Roncag. c. 4. q. 1. Elbel n. 60. Salm. de pœnit. c. 1. p. 5. n. 22. Viva qu. 5. art. 5. n. 7. et Croix n. 875. cum aliis innumeris. Hi dicunt sufficere attritionem, quæ oriatur ex motivo honesto et supernaturali, nempe ex metu gehennæ, aut amissionis æternæ beatitudinis, aut consideratione turpitudinis peccati lumine fidei cognitæ, non tamen sine aliquo initiali

Dei amore, absque eo quòd sit prædominans. Huic sententiæ apertè favet *D. Th. in Quodl. 4. art. 1.* ubi postquam dixit, quòd per solam contritionem dimittitur peccatum, antequam absolvatur, addit: *Quandoque contingit, quòd aliqui non perfectè contriti virtute clavium gratiam contritionis consequuntur.* Distinguit ergò S. Doctor prout pariter distinguit Tridentinum (ut mox videbimus), inter contritionem perfectam quæ extra sacramentum justificat, et imperfectam quæ justificat in sacramento, et hæc non alia quidem debet intelligi quàm attritio, sicut intelligitur, et appellatur à Tridentino.

Prob. 1. ex cod. Trid. sess. 14. c. 4. ubi sic dicitur: *Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliari priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur; si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus S. impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.*

Obijciunt adversarii, quòd concilium (ut refert *Card. Palavicinus*) post magnam disceptationem delevit verbum *sufficit*, antea in decreto positum, et substituit verbum *disponit*; ideò dicunt attritionem sine charitate disponere quidem, sed non sufficere ad gratiam in sacramento suscipiendam. Sed respondetur 1. cum *Gonet, Man. l. c.* quòd illud *disponit* idem significat ac *sufficit*, nam ea dispositio non potest intelligi de dispositione remota, cum attritio etiam sine sacramento, quatenus est Dei donum, remotè quidem disponat ad gratiam, sicut disposuit Ninivitas ad impetrandam remissionem pœnæ, ut dicit concilium; ergò necessariò intelligenda est de dispositione proxima ad gratiam in sacramento

recipiendam. Et hoc patet, ut rectè advertit *Auctor. Theol. pro usu Sem. Petrocor. de pœnit. cap. 3. qu. 5.* ex illis verbis, ut suprà: *Et quamvis sine sacramento per se ad justificationem perducere nequeat, etc.* Ergò cum sacramento benè perducit; aliàs, si concilium intellexisset de sola dispositione remota, incongruenter et ineptè protulisset, quòd attritio, quamvis sine sacramento nequeat justificare, tamen cum sacramento ad justificandum disponit; sed potiùs dicere debuisset, quòd attritio, licèt sine sacramento non disponat ad gratiam impetrandam, disponit tamen cum sacramento. Verùm patet Tridentinum hic loqui de dispositione proxima; dum distinguit duplicem dispositionem ad gratiam recipiendam, unam extra sacramentum quæ est contritio perfecta, et ejus priùs meminit, et aliam in sacramento quæ est attritio, et de qua posterius loquitur. Si ergò concilium assignat contritionem perfectam ut proximam dispositionem ad gratiæ consecutionem extra sacramentum, pariter assignat hic attritionem pro dispositione proxima ad gratiam in sacramento obtinendam. Præterea concilium distinguit inter attritionem extra sacramentum, et hanc esse dicit donum Spiritus sancti, viamque parare ad justitiam, ac consequenter esse dispositionem remotam ad gratiam (sicut est quivis actus bonus), licèt non sufficiat ad justificationem; et inter attritionem intra sacramentum, et hanc vocat dispositionem ad gratiam in sacramento recipiendam: ergò hanc supponit dispositionem proximam, aliàs inutiliter distinxisset. Præterea contritionem, quæ est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, Tridentinum dicit esse materiam, vel quasi materiam hujus sacramenti; deinde, licèt hanc contritionem in perfectam et imperfectam dividat, attamen cum utriusque competat contritionis definitio, et utramque ut materiam assignet, sequitur, quòd etiam contritio imperfecta proximè disponat ad gratiam consequendam.

Id confirmatur patenter ab eodem concilio in eodem c. 4. ubi post relata verba statim subditur: *Quamobrem falsò quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint, sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre.* Nequaquam autem hæretici calumniabantur scriptores catholicos illos qui dicebant sacramentum pœnitentiæ gratiam conferre contritis, sed eos tantum, qui

dicebant conferre attritis; eò quòd ajebant hos pœnitentes non carere bono motu ac sufficienti dispositione ad gratiam in sacramento impetrandam. Sic enim Lutherus loquebatur (apud Frassen. t. 10. p. 364.): *Tristitia ob seditatem peccatorum, amissionem æternæ beatitudinis, etc. facit hypocritam, imò magis peccatorem, et tales indignè absolvuntur.* Et deinde ibidem improbabat eos, qui vocant attritionem hanc proximè disponentem ad contritionem. Verùm S. Synodus declarat falsò his scriptoribus ab hæreticis calumniam inferri: ergò horum sententiam concilium consequenter apertè ab illorum calumniis vindicando approbavit. Hinc testatur noster SS. Papa *Benedict. XIV. de Synodo l. 7. c. 15. num. 6.* post Tridentinum omnes scholas nostram sententiam plausu excepisse. Quapropter non immeritò *Cardenus, Salm. Viva, et Croix cum Tanner. Coninc. Præpos. Prado, Salas, Suar. Less. Raynaud. Palao, Spor. Fill. et aliis* eam vocant moraliter certam, et oppositam post concilium dicunt omnem probabilitatem amisisse. Hic autem advertendum, quòd *Alexander VII.* die 5 Maji 1667. prohibuit sub excommunicatione Sedi apostolicæ reservata, ne quis *audeat alicujus theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ aut contumeliæ notâ taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem.* Hoc tamen decreto non prohibetur, quominus patroni alterutrius sententiæ vocent suam veram, sive certam: imò dicunt *Lugo de fide d. 20. num. 104. Carden. in 1. Crisi d. 9. n. 297. Croix l. 1. n. 99. cum Hurt. Viva in prop. 13. Alex. VIII. n. 55. in fin. et Holz. n. 542. v. Dixi,* non prohiberi quin opposita possit dici improbabilis et falsa, quia improbabilitas et falsitas non sunt censuræ theologicæ. Præterquam quòd Pontifex, dicendo sententiam negantem dilectionis necessitatem in attritione esse communiorem inter scholasticos, videtur (ut appositè advertit *P. Viva in d. propos. 13. n. 55.*) quòd non solum illam toleravit, sed etiam quodammodo approbavit, saltem magnum pondus ipsi utique tribuit; cum enim ageretur de sententia, quæ pertinet ad valorem sacramenti, et testetur *Alexander* scholasticos eam communiùs excepisse, consequenter testatur in scholis ipsam

communiùs haberi pro moraliter certa; neminem enim latet in materia sacramentorum illicitum esse sequi opinionem, quæ non sit vel tutior, vel moraliter certa: saltem Pontifex, si aliter intendisset, id simpliciter asserendo, magnam dedisset ansam errandi in re tam gravi, et ad praxim spectante. prout est materia proxima hujus sacramenti, unde tot animarum pendet salus.

Probat 2. ratione, quia sacramenta id quidem efficiunt, et actu efficiunt quod significant; cum autem hoc sacramentum ex Christi institutione sit sacramentum *mortuorum*, et per se primam valeat conferre gratiam, oportet (ut docet *D. Th. p. 5. q. 84. art. 5. ad 5.*) ut sacerdos pœnitentem absolvens ostendat illum absolutum non solum significativè, sed etiam effectivè, id est, ut, ipso proferente formam absolutionis, verba illa non solum significant, sed etiam efficiant remissionem peccati. Hinc dicimus, quòd si attritio ad remissionem non sufficeret, et requireretur contritio, quæ extra sacramentum hominem justificat, omnes pœnitentes deberent justificati accedere ad hoc sacramentum. Nec valet dicere, quòd etiamsi pœnitentes semper justificati accederent, semper vi clavium peccata remitterentur, cum doceat Tridentinum, contritionem charitate perfectam non justificare sine sacramenti voto (intellige explicito, vel implicito); nam respondetur, quòd si hoc esset, numquam verificaretur, sacramentum pœnitentiæ actu efficere quòd significat, scilicet absolutionem peccatorum. Præterea respondetur ex *can. Si Presbyter 12. et can. Agnovimus 15. caus. 26. q. 6.* quòd *Julianus*, et *Cælestinus* Papæ dicunt, sacerdotem negantem absolutionem morienti eam postulanti causam esse illius damnationis; ergò supponunt Pontifices, quòd esto moriens haberet votum sacramenti, et dispositus esset ad absolutionem, tamen ob ejus negationem damnaretur; ergò absolutio actu peccata remittit.

441. — Hoc non quidem negant ipsimet adversarii, sed dicunt (et signanter *Sylv. in Suppl. D. Th. q. 5. ar. 1.*) quòd peccatum extra sacramentum remittitur tantum per contritionem perfectam, nempe quæ oritur ex charitate intensa, non autem per contritionem quæ oritur ex charitate remissa, sive per attritionem ortam ex amore inchoato, qui, licet sit prædominans, sit tamen remissus. Sed respondetur, quòd omnis dolor, qui oritur ex charitate prædominante, est con-

tritio justificans hominem extra sacramentum, ut communiter docent DD. citati, ex *D. Th.* qui pluribus in locis id non obscure docet; etenim in *Supp. q. 3. art. 3.* sic ait: *Contritio ut sæpè dictum est, habet duplicem dolorem; unum rationis, qui est displicentia peccati commissi, et hic potest esse adeò parvus, quòd non sufficit ad rationem contritionis, ut si minus displiceret ei peccatum, quàm debeat displicere separatio à fine; sicut etiam amor potest esse ita remissus, quòd non sufficit ad rationem charitatis; alium dolorem habet in sensu, et parvitas hujus non impedit rationem contritionis; quia non se habet per se ad contritionem, sed quasi ex accidente ei adjungitur; et iterum non est in potentia nostra.* Deinde sic concludit: *Sic ergò dicendum, quòd quantumcumque parvus sit dolor, dummodò ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* Ergò ex *D. Th.* ille, cui displicet separatio à fine, jam habet contritionem sufficientem ad peccatum delendum; ille autem, qui habet contritionem ortam ex charitate prædominante, jam ei magis displicet peccatum, quia est separatio à fine; ergò jam hic consequitur remissionem peccati. Nec valet dicere quòd S. Doctor loquatur hic de dolore requisito in sacramento pœnitentiæ. Quamvis enim hic loquatur de partibus hujus sacramenti, tamen loquendo de contritione, generaliter de ipsa loquitur tanquam virtute, prout faciunt auctores, qui agendo de dolore requisito ad sacramentum pœnitentiæ, agunt etiam de contritione in genere. Unde *S. Th.* ibi proponit quæstionem, *utrum parva contritio sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum?* Et inde resolvit: *Quælibet contritio est gratia gratum faciens informata; ergò, quantumcumque sit parva, delet omnem culpam.* Nullum hic, neque in toto articulo verbum facit S. Doctor de sacramento pœnitentiæ; cur ergò ipsius doctrina est restringenda ad contritionem in sacramento? Deinde, quòd ipse loquatur de contritione in genere, patet ex quæstionibus, quas antecederet proponit, nempe: *An contritio sit dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi? An sit actus virtutis? An contritio debeat esse de peccato originali? An tota vita sit tempus contritionis? An in alia vita animæ conterantur de peccatis?* Subiecta horum dubiorum reduci quidem non possunt ad contritionem uti materiam sacramenti. Præterea, quòd *S. Th.*

fuerit pro hac sententia, nempe quòd omnis contritio debeat peccatum extra sacramentum, patet ex illo quod dicit in *3. p. q. 86. art. 3.* ubi: *ad rationem veræ pœnitentiæ requiri, ut detestetur peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum.* Item ex textu suprâ allato in *Quodl. 4. art. 1.* ubi (ut retulimus) ait, *quòd per solam contritionem dimittitur peccatum.... sed si antequam absolvatur, habeat hoc sacramentum in voto, jam virtus clavium operatur in ipso, et consequitur remissionem culpæ.* Ergò semper ac loquitur S. Doctor absolutè de dolore qui ad rationem contritionis pertingit, semper intelligit per ipsum remitti peccatum extra sacramentum.

442. — Quòd autem quævis contritio orta ex charitate prædominante, licet remissa, debeat peccatum. probatur 1. ex *Trid. ex eod. c. 4. in sess. 14.* ubi dicitur: *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu recipiatur, etc.* Ergò dolor charitate perfectus jam peccatorem justificat ante susceptionem sacramenti. Adversarii tamen legunt contritionem, non *charitate perfectam, sed charitatem perfectam*, ex quo inferunt concilium loqui de charitate intensa. Sed ego et *Petroc. Frassen. ac Lugo* legimus in pluribus exemplaribus *charitate perfectam*. Et sic verosimilius legendum videtur, nam tò *perfectam* respicit propriè non charitatem, sed contritionem, cum hic dividat concilium contritionem in perfectam, et imperfectam, prout legenti patet. Imò esto tò *perfectam* respiceret charitatem, non sequitur, quòd conc. ad justificationem extra sacramentum requiratur charitatem intensam; nam charitas prædominans, adhuc remissa, etiam est perfecta charitas, quamvis intensa sit perfectior; perfectio enim aut imperfectio charitatis, ut bene ait *Tourn. Præl. theol. de pœnit. qu. 4. art. 1. concl. 3.* non sumitur ex intensione aut remissione, sed ex motivo, à quo oritur: hinc perfecta charitas est quæ oritur ex motivo bonitatis Dei, imperfecta autem ex motivo boni à Deo consequendi. Ergò si concilium dixisset *charitatem*, non *charitate*, utique vocasset *charitatem perfectam* ad distinctionem imperfectæ, sive inchoatæ, quæ (ut infrâ dicemus) non pertingit ad charitatem prædominantem. Hinc *Facultas Paris. ann. 1560* ut refert *Tourn. loc. cit. art. 2.* damnavit

hanc propositionem : *Per contritionem, non adhibito realiter sacramento, non dimittitur peccatum extra casum martyrii, aut necessitatis.* Item clerus Gallicanus in Comitibus Generalibus an. 1700. (apud eumd. Tourn. ibid. art. 5. declaravit : *Hæc duo ex S. Synodo Tridentina monenda et docenda esse : primum, ne quis putet in sacramento requiri ut præviam contritionem illam, quæ sit charitate perfecta, et quæ, antequam suscipiatur, hominem Deo reconciliat.* Item eadem Facultas Paris. anno 1658. notavit censurâ librum cujusdam *Claudii Seguenotii*, dicens : *Quæ tradit auctor de attritionis insufficientia, et contritionis ex perfecta charitate absoluta necessitate ad recipiendum sacramentum pœnitentiæ; et quæ addit de absolutione, quòd nihil aliud sit, quàm declaratio peccati jam remissi. damnavit Facultas, et censuit illas propositiones esse praxi Ecclesiæ contrarias, efficaciæ sacramenti pœnitentiæ imminutivas, et insuper temerarias, et erroneas.* Ut autem notat *Tourn. dict. loc. infrâ* prædictus auctor non jam loquebatur de contritione intensa, sed tantùm de remissa ex motivo charitatis, cum hanc distinguebat à dolore ex motivo gehennæ.

Quòd autem omnis contritio deleat peccata, probatur, quia actus contritionis est formalis actus charitatis erga Deum, sive intrinsecè conjunctus cum charitate, ut communiter docent *Salm. de pœnit. c. 1. p. 4. n. 15. cum S. Bonav. Scoto, Pal. Alensi, etc. Croix l. 6. p. 2. n. 727. cum Lugo, Aversa, Bosco, et Gorm. ex D. Th. 5. p. q. 83. art. 6. et q. 86. art. 5.* Nec videtur id posse dubitari; nam peregre loquitur *P. Fransen. t. 10. p. 554.*, dicens, quòd in substantia contritio non est imperfectior charitate, utraque enim tendit in Deum, sed diverso modo : charitas tendit in Deum per modum consecutionis, ut summum bonum; contritio verò per modum fugæ, quatenus homo detestatur peccatum, ut summum malum, utpote Deo oppositum. Charitas tendit immediatè in Deum, et mediatè in odium peccati; contritio autem immediatè in odium peccati, et mediatè in amorem Dei. Unde concludit, quòd contritio sit actus formalis charitatis, cum propter Dei dilectionem homo odit peccatum. Præterea, cum contritio ex solo motivo charitatis oriatur, non potest contritio existere, nisi præcedat. simulque coexistat charitas; nam contritio nihil aliud est quàm dolor de peccato, quatenus offensa

Dei summè dilecti; unde qui conteritur, necesse est ut exercitè, etsi non reflexè, actum charitatis eliceat, et ideo *S. Thomas 5. part. quæst. 85. art. 6.* dixit : *Actus et habitus charitatis simul sunt tempore cum actu et habitu pœnitentiæ.*

Posito igitur quòd contritio sit etiam vera charitas, sive necessariò cum charitate conjuncta, necessariò etiam dici debet, quòd remittat peccatum. Patet minus luculenter ex divinis Scripturis, quòd qui Deum diligit, jam particeps est amicitiae Dei, prout *Proverb. 8. Ego diligentes me diligo. Joan. 14. Qui diligit me, diligitur à Patre meo. 1. Petri 4. Charitas operit multitudinem peccatorum. 1. Joan. 4. Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Hinc *D. Augustinus (tr. 9. in Joan.)* dixit : *Timor medicamentum, charitas sanitas est. Et l. 1. contra 2. Epistol. Pelag. cap. 2. Charitas efficit filium Dei.* Item *Serm. 53. de Prov. c. 12. Deum non vides, ama, et habes.* Et *tr. 9. in Joann.* agens de charitate dicit : *Quam cum habere cœperit homo, Spiritum S. habebit. S. Joann. Chrysost. Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala.* Et apertius id docet *S. Th. 2. 2. q. 45. art. 4.* ubi ait : *Charitas non potest esse cum peccato mortali.* Et quod hic *S. Doctor* non loquatur de charitate intensiva, sed de sola charitate prædominante, patet ex eo quòd ipsemet dixit *qu. 24. art. 12.*, ad quam se remittit, ubi inquit : *Quilibet actus peccati mortalis contrariatur charitati secundum propriam rationem, quæ consistit in hoc, quòd Deus diligatur super omnia.* Unde immeritò *P. Concina* dicit, quòd *S. Doctor* illam charitatem intelligit non posse esse cum peccato, quæ est in gradu intenso, cum dicat *S. Th. in Suppl. q. 5. art. 5. Amor potest esse ita remissus, quòd non sufficiat ad rationem charitatis.* Nam respondetur, quòd hic *D. Th.* nihil aliud vult intelligere, nisi quòd si amor est ita debilis, ut nondum attingat objectum charitatis, scilicet nondum diligat Deum super omnia, hæc non est vera charitas, sed initium charitatis; si vero sufficiat ad rationem charitatis, quæ consistit in dilectione Dei super omnia (ut suprâ explicavit *dict. q. 24. art. 12.* ubi : *Quilibet, etc.*), hæc quantumcumque sit remissa, est vera charitas, et hanc dicit non posse esse cum peccato mortali. Et ratio evidens est, quia sicut quæcumque aversio à Deo tanquam à fine ultimo, etiam in gradu remisso, sufficit ad amittendam Dei amicitiam, ita quæcumque vera con-

versio sufficit ad eam recuperandam; ex illo: *Convertimini ad me, et convertar ad vos. Zach. 1.* Et alio: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit. Ezech. 55.* Unde Bellarminus t. 4. p. 547. ait: *Actus dilectionis Dei super omnia opponitur peccato, et expellit illud efficienter; un e sine miraculo non potest post actum dilectionis Dei super omnia manere peccatum.*

Id clarè confirmatur ex prop. 52. *Michaëlis Bajii*, damnata à *Gregorio XIII.* quæ dicebat: *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* Certum est apud omnes, quòd charitas requisita ad implendam legem, non oportet ut sit intensa, sed sufficit si pertingat ad diligendum Deum super omnia. Quidquid enim dicat *Juenin. Instit. th. t. 6. p. 553.*, requirens charitatem intensam ad implendum præceptum amoris, ex illo: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc.* Communiter tamen theologi oppositum tenent cum *D. Thoma 2. 2. q. 44. art. 8. ad 2.*, qui explicans illud *ex toto corde*, quomodo sit intelligendum, sic ait: *Cum mandatur, quòd Deum ex toto corde diligamus, datur intelligi, quòd Deum super omnia debemus diligere.* Et ibid. q. 24. n. 8. dicit: *Ad veram charitatem satis esse, quòd homo habitualiter totum cor suum ponat in Deum, ita scilicet quòd nihil cogitet vel velit quod divinæ dilectioni sit contrarium; et hæc perfectio communis est omnibus charitatem habentibus.* Ergò perfectio charitatis in hoc consistit, quòd homo diligit Deum super omnia, et nihil velit contrarium divinæ dilectioni; ut patet ex illo *1. Joan. c. 2. §. 3.* *Qui servat verbum Christi* (scilicet legem implet), *verè in hoc charitas Dei perfecta est.* Hinc certum est charitatem prædominantem. licet remissam, legem implere, ut communiter cum *D. Th.* ut suprà, docent *Suar. de pœnit. d. 4. n. 7. Sanch. Dec. l. 2. c. 5. et §. Bon. de 1. præc. d. 5. q. 4. p. 1. n. 2. cum Val. et Reg. et ipse Habert t. 5. p. 652. v. Distinguo*, esto ipse sit contrariæ sententiæ quoad sufficientiam attritionis, hoc tamen non negat, nempe sufficere ad impletionem præcepti charitatem remissam, modò sit prædominans, cum nullum sit præceptum (ut ait) de intensione charitatis; nam aliàs Deus præciperet rem impossibilem, cum non sit in nostra potestate intensam charitatem habere; nisi dicere velis cum *Cont. Tourn. de præcept. decal. cap. 1. art.*

5. de charit. sect. 4. punct. 1. concl. 1. v. Sub init. quòd quisquis habet amorem Dei prædominantem, necessariò habet etiam amorem intensivum (rationalem, non jam sensitivum) prædominantem, qui benè sufficit ad implendum præceptum. Sed si intensio amoris sic intelligatur, quæstio est tantum de nomine. Cæterum certè præceptum implet, qui habet charitatem appetitativè prædominantem. Et hanc charitatem dicebat *Bajus* posse esse conjunctam cum peccato, et hoc damnatum est. Ajebat enim *Bajus*: *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* Ergò, ut rectè dicit magister meus illustrissimus et doctissimus *Episcopus Tornus*, propositio opposita tenenda est, nempe *charitas illa, quæ implet legem, semper est conjuncta cum remissione peccatorum.* Nec valet dicere, quòd propositio fuerit proscripita respectu ad charitatem habituales, nempe cum quis est in gratia, non verò respectu ad charitatem actualem; nam benè respondet *Lugo d. 5. n. 101.*, quòd *Bajus* loquebatur de charitate quæ est plenitudo legis, de qua loquebatur *Apostol. ad Rom. 15.* Hinc non dubitandum, quin *Bajus* locutus fuerit non de habitu charitatis, sive de gratia justificante, sed de actu dilectionis; per solum enim habitum non impletur lex, sed per actum, cum lex non habitum præcipiat, sed actum charitatis, ut *DD.* communiter dicunt, quia habitus non cadit sub præcepto, et præcepta non implentur nisi per actus. Id confirmatur ex *propos. 70.* damnata ejusdem *Bajii*, quæ dicebat: *Homo existens in peccato mortali potest habere veram charitatem; et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.* *Bajus* igitur hic distinguebat charitatem veram à perfecta; per tò etiam perfecta (nota sedulò illud additum etiam) utique intelligebat charitatem intensam, et per tò veram, charitatem remissam, quæ sine dubio vera charitas est, cum majus et minus non varient speciem: et utraque pars propositionis damnata est. Nescio, quomodo his responderi possit.

Ex his omnibus congestis patet, oppositam sententiam, quæ dicit contritionem cum charitate remissa non justificare extra sacramentum, esse omninò improbabilem et falsam; unde dicit *Lugo d. 5. n. 99.* eam ab omnibus theologis communiter rejici, imò apud ipsum *num. 115.* *Coninch.* vocat erroneam, *Vasq.* contrà sententiam catholicam, *Alphonsus Tom. VI.*

Curial parùm tutam in fide, alii verò temerariam, et scandalosam: temerariam, quia in re gravissima discedit ab omnibus theologis, et communi sensu SS. Patrum: scandalosam verò, quia removet homines à sæpiùs procuranda contritione. Et ideò testatur *Gonet d. 3. n. 27.* quòd *Sylvius*, licèt priùs oppositam sententiam tutatus fuisset, postea tamen se retractavit: *Eò quòd (ait Gonet) apertissimè talis sententia contradicat variis Scripturæ, et conciliorum, ac SS. Patrum testimoniis.*

Objiciunt autem I. contra nostram sententiam de sufficientia attritionis: Peccator aversus à Deo non potest ad Deum converti, nisi per charitatem formalem, et actualem. Respondetur: Hoc siquidem requiritur extra sacramentum, et ratio est, quia sicut per peccatum, quod est actualis contemptus Dei, homo avertitur à Deo, ita per amorem actualem debet se ad Deum convertere. Aliud verò dicendum de remissione peccatorum intra sacramentum, quia, cùm sacramentum virtutem habeat delendi peccatum, et non nisi per infusionem gratiæ, quæ est ipsa charitas habitualis, sufficit ad gratiam obtinendam, ut peccator per attritionem sit dispositus ad sacramentum recipiendum, virtute ejus sine charitate actuali convertitur ad Deum, prout extra sacramentum per charitatem converteretur. Et sic intelligitur, quomodo peccator ex attrito fit contritus, nempe quia virtute clavium æquivalenter contritus redditur, prout dicunt fautores nostræ sententiæ communiter, ex *D. Thoma in cit. Quodlib. 4. a. 4.* ubi docuit: *Aliqui non perfectè contriti virtute clavium gratiam contritionis consequuntur.*

Objiciunt II. Qui dolet de peccato propter pœnam, magis odit pœnam quam peccatum; unde si non habeat charitatem non potest Dei gratiam adipisci. Respondetur distinguendo: Qui actu magis odisset pœnam quàm culpam, ex timore qui dicitur serviliter servilis, adeò ut ille peccare vellet, si non esset pœnâ puniendus; hic non solum non eliceret actum bonum, sed positivè malum, quia non excluderet à suo dolore voluntatem peccandi. Qui verò odit culpam propter pœnam, et excludendo omninò voluntatem peccandi, dolet offendisse Deum propter metum inferni, iste jam elicit actum bonum qui oritur ex charitate ordinata erga seipsum (ut declaravit Tridentinum, et confirmavit *Alexander VIII.* damnando prop.

46. quæ dicebat: *Attritio, quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentia Dei propter se, non est bonus motus et supernaturalis*; et ideò jam se dispositum reddit ad gratiam in sacramento consequendam.

Objiciunt III. Ad quameumque justificationem omninò requiritur saltem principium dilectionis; prout declaravit Tridentinum sess. 6. cap. 6. ubi dixit quòd peccatores, dum ad justificationem disponuntur, *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem.* Respondetur: Non negamus ad justificationem requiri initium amoris; nec negamus illud requiri etiam in sacramentis mortuorum, dum concilium ibi agit præsertim de justificatione per baptismum. Sed qualis, quæso, amor à concilio requiritur? Numquid perfecta charitas? vel an tantum initium charitatis? Hic refert advertere id quod testatur *Card. Pallavic. Hist. Trident. l. 8. c. 15.* nempe quòd aliqui Patres concilii, vice tò *diligere incipiunt*, contendebant quòd adderetur, *per actum charitatis*: sed huic concilio restitit, et confirmavit, ut poneretur tantum *diligere incipiunt*. Cur restitit? nisi quia judicavit non requiri ad justificationem in baptismo (sive in sacramento pœnitentiæ, hæc enim sacramenta pari passu procedunt) actum perfectæ charitatis. Hoc autem initium amoris, ut benè docent *Gammach. in 3. p. de pœnit. c. 9. Frassen t. 10. p. 365. quæst. 2. Petroc. t. 4. p. 112. qu. 3. et Tourn. Præl. theol. de pœnit. qu. 5. art. 5. concl. 2. in fin.* jam habetur in attritione, quam suprâ descripsimus: Primò per timorem divinæ vindictæ, juxta illud *Eccl. c. 23. v. 16. Timor Dei initium dilectionis ejus.* Secundò per spem veniæ, cùm in ipso Tridentino dicatur *loc. cit.* quòd benè se disponunt ad gratiam, qui Deum incipiunt diligere *tanquam omnis justitiæ fontem*, id est, tanquam justificationis omnium auctorem. Tertiò per spem beatitudinis æternæ, cùm doceat *D. Thomas 1. 2. q. 40. a. 7.* loquens de spe theologicæ, eam esse quidem initium amoris erga Deum, his verbis? *Ex hoc... quòd per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum, sicut in bonum nostrum, et sic incipimus ipsum amare.* Unde idem S. Doctor 2. 2. qu. 17. a. 8. inquit: *Perfectus quidem amor est, quo aliquis secundum se amatur...; imperfectus..., quo quis amat aliquid..., sed ut illud bonum sibi ipsi*

proveniat. Hæc autem omnia (ut dicunt AA. citati, et alii) necessariò in attritione includuntur, dum qui cum illa, et spe veniæ ad sacramentum accedit, jam Deum ut suum liberatorem, justificatorem, et glorificatorem diligere incipit.

Nec valet dicere, quòd ille qui diligit Deum propter bonum suum, seipsum diligit, non Deum; nam sapienter respondet S. Franciscus Salesius, *De amore Dei* c. 17. dicens, quòd si quis diligeret Deum propter suum bonum, et ita affectus esset, ut si à Deo nihil speraret, eum nullo modo diligeret; hic utique peccaret, quia positivè excluderet charitatem; tunc enim non se converteret ad Deum, sed reverà ab illo se magis averteret, cum perversè ordinaret Deum ad seipsum tanquam ad finem ultimum. Qui verò amat Deum tanquam sibi summum bonum, et excludit omnem voluntatem peccandi, tunc elicit actum bonum supernaturalem; et licèt non habeat charitatem perfectam, illam tamen non excludit, eamque jam incipit habère, et aliquo modo ad Deum se convertit.

Cæterùm, quis negat esse omninò expediens, ut penitentes pro viribus conentur elicere actum contritionis perfectæ, utque confessarii studeant semper eos ad illam excitare, ut tutiùs illi divinam gratiam consequantur? Verùm nostra sententiã utique proderit, ut si quis accedat cum sola attritione, non se retrahat ab hoc sacramento, et confessarius eum non rejiciat tanquam indispositum.

445. — Quæritur VII. An in confessione sufficiat attritio ex metu pœnarum temporalium prout infliguntur à Deo?

Prima sententiã affirmat, et hanc tenent Lugo *dist. 3. n. 137. Suar. dist. 7. sect. 2. n. 13. Sporer n. 242. Anact. n. 42. Viva in prop. 13. Alexandri VIII. n. 12. Elbel n. 39.* qui cum Gob. vocat moraliter certam, item *Gran. Reg. Moja, Aversa, etc. cum Croix n. 884.* qui vocat probabilissimam. Ratio, quia Trident. *sess. 14. c. 4.* inter motiva attritionis ad sacramentum sufficientis dicit, *ex metu gehennæ, et pœnarum*: ubi per tò *gehennæ* intelligitur pœna æterna, per tò autem *pœnarum* videtur intelligi pœna temporalis, cum ibi concilium adducat exemplum penitentiarum Ninivitarum, quæ concepta fuit ob metum excidii suæ civitatis; sicut enim Deus comminatur pœnas æternas, sic temporales ad peccatores absterrendos.

Secunda sententiã verò negat, et hanc tenent *Concina p.*

276. *n. 11. Conus Prælect. de pœn. part. 3. item Hurial. Pasq. ap. Dian. p. 9. tr. 9. resol. 51. Et Carden. in prop. 1. Innoc. XI. n. 72.* dubitat, an prima sententiã sit moraliter certa. Ratio, quia licèt Tridentinum dicat ex metu *gehennæ, et pœnarum*, non tamen distinguit *gehennæ, vel pœnarum*; unde probabiliter ponit utrumque pro eodem; cum enim pœna peccati mortalis sit æterna, de malo æterno penitens timere debet. Prima sententiã videtur probabilior; nam *gehenna æmetas complectitur æternas pœnas, et ideò, dicente concilio, et pœnarum*, aliquid aliud, præter pœnam æternam intelligendum est. At cum secunda non careat sua probabilitate, saltem extrinsecã, puto tutiùs in praxi eam servandam esse.

444. — Quæritu VIII. An possit dari sacramentum penitentiarum validum et informe: Casus esset, nempe si quis duo mortalia commiserit, unum furti, alterum perjurii; deinde memor tantùm furti, de ipso dumtaxat confitetur, dolens non ex motivo universali, sed ex motivo speciali turpitudinis supernaturalis quam habet furtum; quæritur, an hic, licèt gratiam non recipiat, validè tamen confiteatur, ita ut sacramentum, sublato obice, nempe detestato peccato oblito, reviviscat ad causandam gratiam, nec postea sit obligatio repetendi peccatum jam confessum, sed solùm omissum?

Prima sententiã negat, et hanc tenent *Elb. n. 82. Cone. p. 531. Felix Potest. de pœn. n. 2082. cum Scoto, Holzm. n. 306. cum Bosco, Sporer, Mastrio, Gallensì, et Scotistis; communiter item Vasq. Laym. Con. Sa, etc. ap. Croix nu. 672.* Ex istis autem alii (ut *Vasq. Potest. et Elbel*) dicunt tale sacramentum esse validum et formatum, id est cum effectu gratiæ. Ratio, quia cum penitens doleat, ut divinam recuperet amicitiam, licèt doleat ex speciali motivo turpitudinis furti, tamen ejus dolor virtualiter se extendit ad omnia mortalia oblita, utpote opposita reconciliationi cum Deo intentæ; ac proinde, si dolet de turpitudine specificã, debet etiam dolere de generica, quæ talem reconciliationem impedit. Alii verò è cõverso (ut *Holzm. etc.*) dicunt tale sacramentum esse non solùm informe, sed etiam invalidum. Ratio, quia in Trident. *sess. 14. c. 3.* habetur quòd dolor dicitur pars hujus sacramenti, quatenus operatur remissionem peccatorum; ergò, si dolor ille particularis remissionem non causat, nunquam

erit materia apta ad sacramentum, ac proinde sacramentum erit semper invalidum.

Secunda sententia verò probabilior affirmat, et hanc tenent *Lugo dist. 14. n. 65. Suar. d. 20. sect. 4. n. 26. item Tollet. Val. Fill. Bonac. Tann. Escob. etc. cum Croix d. n. 672. ac Gonet d. 10. art. 1. cum aliis Thomistis communissimè, ex D. Th. Suppl. q. 9. art. 1. et in 4. dist. 17. q. 5. art. 4. ejus verba retulimus n. 87.* Hi enim AA. dicunt talem pœnitentem non consequi gratiam, quia ex una parte unum mortale non potest remitti sine alio; et ex altera, cum peccator doleat tantum ex motivo particulari turpitudinis furti, non potest obtinere remissionem perjurii, cujus non meminit, nec dolet. Dicunt tamen hujusmodi sacramentum esse validum, quia nulla deest pars essentialis ad valorem: non confessio, cum fiat integra eorum peccatorum quæ memoriæ occurrunt: non dolor, cum jam adsit circa peccatum confessum, nec absolutio ut supponitur; unde nihil obstat, quin tale sacramentum validum dici possit. Ad primam autem rationem respondetur, quod ille virtualis dolor, qui supponitur quoad perjurium oblitum (inclusus in illa detestatione specifica furti confessi), non est sufficiens materia sacramenti, cum nullo modo tunc fiat sensibilis, neque per confessionem, neque aliunde. Ad secundam rationem respondetur, quod concilium loquitur de eo quod per se, et ordinariè contingit, non autem de eo quod per accidens et rarò evenit. Cæterum semper consultum est, ut dolor eliciatur ex motivo generali; imò et necessarium, casu quo homo advertit posse habere in anima alia mortalia oblita.

445. — Queritur IX. An actus doloris debeat præcedere non solum absolutionem, sed etiam confessionem?

Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Laym. c. 4. n. 51. Pal. part. 7. num. 11. item Conc. et Bonasp. apud Conc. p. 252. num. 5.* Ratio, tum quia dolor tamquam materia hujus sacramenti debet esse sensibilis, nec aliàs, nisi per confessionem sensibilis efficitur: ergò, si confessionem subsequitur, non est materia apta, tum quia confessio non debet esse simplex narratio, sed accusatio dolorosa, directa ad remissionem peccati obtinendam, et ideò oportet, ut sit à dolore informata.

Secunda sententia verò communior negat, eamque tenent

*Suar. disp. 20. sect. 4. n. 51. Bon. part. 2. n. 18. Lugo dist. 15. n. 15. Nav. Man. c. 1. n. 22. Holzm. n. 308. item Dic. Tol. Fill. Major, Henr. Fag. etc. apud Salm. de pœnit. c. 5. p. 1. n. 24. et Conc. loc. cit. valde probabilem putat, favetque Rituale Rom. de Sacram. pœnit. dicens: Audita confessione (confessarius) ad dolorem efficacibus verbis adducere conabitur, etc. Ex hoc videtur Rituale supponere, quod bene sufficit dolor post confessionem elicitus. Sed rectè ajunt *Salm. ibid. n. 26.* quod hæc secunda sententia sensu, quo eam explicant *Suarez* et *Dicastillus*, à prima non discrepat; *Laymann* enim, *Coninchi*, et *Palao* nihil aliud exigunt, nisi quod confessio non sit mera peccatorum narratio, sed sit accusatio sui ipsius ad absolutionem obtinendam. En verbis *Laymanni*, quem sequitur *Palao*: *Requiritur, ut dolor aliquo modo antecedit confessionem, quia externa peccatorum confessio debet procedere ab interna pœnitentia, eamque significare, quandoquidem materia sacramenti non est mera peccatorum explicatio, sed accusatio sui ipsius tendens ad absolutionem, ut explicat Coninchi.* Deinde ipse *Laymann* cum *Palao*, sententiam *Suarii* sectando, addit: *Ad hoc verò* (nempe ut confessio sit sacramentalis) *necessarium est, ut dolor animi post peccatorum narrationem habitus aliquo signo declaretur, saltem humiliando se coram sacerdote, et absolutionem petendo, seu expectando; tale enim signum relatum ad peccata paulò antè explicata veram rationem sacramentalis accusationis habet.* Non igitur hæc sententiæ sunt duæ, sed una; in tantum enim *Laymann* et alii requirunt, ut confessio sit dolorosa, sive quod dolor confessionem præcedat, in quantum exposcunt, ut confessio non sit mera peccatorum narratio, sed habeat rationem accusationis sacramentalis; et ad hoc sufficit ut confessio fiat animo obtinendi absolutionem, et deinde dolor manifestetur saltem per petitionem, seu expectationem absolutionis. sic etenim confessio bene sacramentalis evadit. Addunt verò *Salmant. cit. n. 26. in fin.* quod tantum ad sedandos scrupulos solent confessarii, si de interna dispositione pœnitentis dubitent, excitare illum ad dolendum de peccatis paulò antè explicatis, quod fit, si dicatur: *De peccatis narratis doleo, et me accuso* (1).*

(1) *In Hom. Ap. tr. 16. n. 19.* Sicut in prioribus hujus theologiæ moralis editionibus sententiam affirmativam probabilem tenet ac propterea in praxi

446. — Quæritur X. Per quantum temporis spatium actus doloris moraliter perduret ad validè suscipiendum sacramentum? *Suar. dist. 20. sect. 4. num. 29. et Escob. lib. 14. num. 121. cum Soto, Hurt. et Candido*, censent sufficere dolorem, qui longo tempore confessionem præcesserit, modò non sit retractatus. Sed meritò hos non approbat *P. Conc. p. 255. n. 4.* Alii autem, ut *Carden. in prop. 1. Innoc. XI. p. 63. nu. 88. Holzm. nu. 510. et Dianu part. 5. tr. 14. r. 67. cum Præp. et Gran.* dicunt sufficere dolorem præcedentem per unum diem, modò fuerit elicitus in ordine ad confessionem: eum enim confessio sit effectus illius doloris, dolor virtualiter perseverat. Consentit *Ronc. cap. 5. quæst. 2. r. 2.* etiamsi dolor præcesserit per aliquot dies, dummodò (ut hic auctor ait) virtualiter perseveret in aliquibus mediis, putà si pœnitens ex vi concepti doloris persistenter in frequenti oratione, fuga occasionum, pœnitentis, etc. Sed *Croix n. 706.* sentit, quòd si post dolorem elicitum pœnitens ad diversa se converterit, vel per moram notabilem animo ad alia se distraxerit, in praxi breviter dolor sit renovandus. Hoc tamen videtur potiùs ut consilium sequendum, quàm ut præceptum, cum communiter doceant DD. cum *P. Conc.*, benè esse aliquam analogiam inter forum civile et sacramentale; unde benè potest intercedere aliquod spatium inter discussionem causæ, et sententiam, sed non tanta, quanta in foro civili (1).

447. — Quæritur XI. An, ut dolor sit materia apta, debeat esse elicitus cum intentione confessionis? Negant *Lugo dist. 14. n. 57.* item *Sporer, Moya, Gob. etc. apud Conc. p. 252. n. 2.*, ac probabile putat *Tamb. l. 1. c. 2.* Ratio, tum quia ex *Trid. sess. 14. cap. 4.*, illa attritio dicitur disponere ad impetrandum gratiam in sacramento, quæ voluntatem peccandi excludit, cum spe veniæ; quæ omnia verificantur in casu nostro. Tum quia tunc dolor, licèt non fuerit ordina-

sequendam, ast postea mutasse suam sententiam videtur, concilians utramque opinionem et ostendens, confessionem dolorosam evadere posse, etsi actus doloris confessionem ipsam non præcesserit.

(1) « Ego verò non dubito asserere, quoties confessio derivat ex peccatorum dolore, semper virtualiter perseverare dolorem saltem per unum aut alterum diem, dum illa confessio est doloris effectus. Secus autem, si quis ex mera devotione aut ad votum aut penitentiam implementam, confiteretur » Ita *S. Alph. in Hom. Ap. tr. 16. n. 20.*

Edi.

tus ad confessionem relatione antecedenti, ordinatur tamen relatione consequenti, eò quòd tunc adhuc verificatur dolor patefieri per confessionem. Affirmant verò *Bus. suprà, Bon. q. 3. part. 2. n. 17. Conc. l. c.* (Citatur etiam pro hac sententia *P. Suarez dist. 20. sect. 4. n. 29.*, sed *Lugo loc. cit.* ostendit, quòd *Suar.* est potiùs pro sua sententia). Ratio, quia sicut minister, aut etiam suscipiens alia sacramenta debet per intentionem ordinare materiam ad sacramentum, prout ablu-tionem ad baptismum, vel tactum materiæ ad ordinationem, ita etiam suscipiens sacramentum pœnitentiæ debet ad illud ordinare dolorem, qui est hujus sacramenti materia. Prima sententia est probabilior, sed cum secunda etiam sit probabilis, ante susceptionem sacramenti tutiùs docet *Carden. in prop. 1. Innoc. XI.* hanc esse sequendam.

448. — Quæritur XII. An si quis statim post absolutionem confitetur peccatum oblitum, teneatur novum elicere dolorem?

Prima sententia communior negat, et hanc tenent *Lugo dist. 14. n. 27. Anacl. n. 72. Viva q. 3. art. 5. n. 8. cum Perez, Henr. et communi, Roncaglia cap. 5. q. 3.* qui vocat moraliter certam. *Sporer nu. 500. Elbel p. 214. n. 75.* putat probabilissimam cum *Gob. Dic. Henr. Bose.*, etc. item apud *Croix n. 707. Led. Salas, Escob. et Moya*, qui dicit esse indubitatum apud omnes, sed immeritò ut videbimus. Ratio, quia prior dolor se extendit etiam ad peccata oblita, quæ dum pœnitens immediatè confitetur, fit unum moraliter; rectè enim potest una materia proxima partialis plura constituere sacramenta; unde sicut cum una aqua plures possunt fieri baptismi, ita cum uno dolore, qui adhuc perseveret (ut hic supponitur) plura possunt constitui sacramenta pœnitentiæ.

Secunda sententia verò affirmat, et hanc tenent *Bon. part. 4. n. 1. Vasq. quæst. 92. art. 5. dub. 3. n. 10. Fill. tr. 6. n. 77.* Ratio, quia per primam absolutionem jam completum est iudicium; ergò si impertienda est nova absolutio, nova requiritur materia proxima. Et quamvis dolor in se moraliter perseveret, non tamen perseverat in ordine ad secundam absolutionem; ut enim suprà diximus in præcedenti Quæst. XI. probabiliter ad valorem sacramenti requiritur, ut dolor non solum sit elicitus, sed etiam elicitus in ordine ad absolutionem. Cum ergò hæc secunda sententia sit probabilis, imò probabilior, in praxi omninò sequendam esse dicunt *Croix*

num. 712. et *Conc. p. 254. num. 5.*, saltem tutius censeo tenendam (1).

449. — Quæritur XIII. Quomodo eliciendus sit dolor in confessione venialium? Certum est, quòd etsi extra sacramentum *sufficit aliquis motus gratiæ vel charitatis ad ejus remissionem*, ut docet *D. Th. 5. p. q. 87. art. 2.*, tamen in sacramento omninò requiritur dolor formalis, nec sufficit virtualis, ut communiter docent DD. cum *Roncaglia c. 2. q. 2. Conc. p. 255. n. 6. et Croix n. 682.* (contra paucos) ex *D. August. Epist. 48.* ubi scripsit: *Nec quemquam putes à quocumque seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse transire.*

Sed dubitatur 1. an sit mortale confitèri venialia sine ullo dolore? Negant *Natalis Alex. de pœnit. art. 7. reg. 20. Juenin. de sacram. pœn. q. 4. §. 2. et Genetius t. 4. q. 8. in fine*, et dicunt non esse nisi veniale suscipere sacramentum sine certo dolore, quando materia tantùm levis affertur in confessione, et abest animus profanandi sacramentum; quia, ut supponunt, frustrare sacramentum in materia levi, non est nisi levis irreverentia. Sed per quantum huic opinioni acquiescere conatus sim, non potui, cùm hæc sententia opposita sit communi theologorum, ut vidère est apud *Croix num. 681. Antoine p. 501. q. 7. et Lugo dist. 14. sect. 8. n. 108.*, qui primam sententiam vocat omninò falsam; et ratio nimis urget, nam tota malitia culpæ in hoc casu consistit in injuria, quæ irrogatur sacramento, illud suo effectum frustrando; sive ergò sacramentum frustretur ex materia gravi, sive ex levi, nihil refert, quia semper eadem irreverentia sacramento infertur.

Dubitatur 2. an in confessione venialium sufficiat dolere de uno peccato sine alio? Negant aliqui apud *Suar. dist. 20. sect. 6. n. 7.* Sed oppositam est tenendum cum communi sententia, quam docent *Suarez l. c. Conc. p. 255. n. 7. An-*

(1) « Et quia hæc secunda sententia est probabilis, inquit pariter *S. Alph.* » in *Hom. Ap. tr. 16. n. 22.* ideò rectè dicunt *Croix* et *Concina*, hanc in praxi tenendam. Intelligitur tamen hoc ante sacramenti susceptionem, quia postquam illud susceptum est, probabiles jam sunt omnes sententiæ oppositæ trium quæstorum antecedentium (n. 445. 446. 447.) unde post factum rectè eas amplecti possumus. » Confer notam ad n. seq. 450 positam.

toine p. 501. q. 7. Lugo dist. 14. num. 118. cum Henr. et Fag. et Escob. l. 14. nu. 166. cum Hurt. et Diana. Hinc sufficit de uno tantùm veniali pœnitère, et proponere, cùm venialia non sint materia necessaria, sed tantùm sufficiens. Dicunt autem *Lugo nu. 155. Tamb. l. 1. c. 5. num. 9. et 10. Pal. ac Spor. apud Croix nu. 910.* sufficere etiam si quis doleat de multitudine, aut frequentia venialium, etsi non doleat de singulis in particulari; quia, ut dicunt, sicut quis potest dolère de excessu distractionis in precibus, vel comestionis, ita de multitudine venialium. Et videtur favère *D. Th. 5. p. q. 87. art. 1. ad 1.* ubi dicit sufficere *propositum se præparandi ad venialia minuenda.* Ergò sufficit dolor de ipsorum multitudine, propositum enim dolorem sequitur. Contradiciunt tamen *Arriaga, et Dicast. apud Croix l. c.* dicentes dolorem, et propositum non tantùm debère esse circa multitudinem emendam, sed etiam circa ipsa venialia, quæ frequentiam constituunt. Sed hæc sententiæ facilè videntur posse conciliari, cùm impossibile sit dolère de multitudine, et non dolère saltem de illis posterioribus culpis, per quas constituitur multitudo, quia circumstantia hæc excessus abstrahi non potest à culpis ipsis: tunc enim in obliquo saltem doleres de culpis, et recto et principaliter de excessu. Rectè etiam dicit *Croix n. 915. cum Suar. et Tann. (contra Bosco, etc.)* quòd benè quisque potest dolère de venialibus deliberatis, et proponere omnia illa vitare; de semideliberatis autem sufficit dolère quòd ea commiserit, et inposterum velit attendere ad ipsa vitanda quantum humanæ fragilitati permittitur. Et hæc sunt juxta doctrinam *D. Thomæ*, qui *d. quæst. 87. art. 1. ad 1.* sic ait: *Pœnitentia de peccatis mortalibus requirit, quòd homo proponat abstinère ab omnibus et singulis...; sed ad pœnitentiam peccatorum venialium requiritur, quòd homo proponat abstinère à singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas hujus vitæ non patitur. Debet tamen habère propositum se præparandi ad venialia minuenda.*

§. II.

De quæstionibus pertinentibus ad propositum.

450. — Quæritur I. An in sacramento pœnitentiæ sufficiat propositum virtuale, sive implicitum, inclusum in dolore?

Prima sententia negat, et hanc tenent *Suar. dist. 2. sect. 4. num. 54. Bellarm. lib. 2. de pœnit. c. 6. et 7. Bonac. q. 3. part. 8. nr. 2. Conc. p. 257. n. 13. cum Scoto, Caj. Cano, etc. item Val. Tolet. Reg. Hen. et apud Croix n. 894.* qui aut oppositam non esse certam. Ratio, quia, licet dolor includat necessariò propositum, tamen Tridentinum *sess. 14. c. 4.* requirit propositum formale; dicens, *cum proposito non peccandi de cætero.*

Secunda sententia affirmat, dummodò dolor eliciatur ex motivo universali, et hanc tenent *Lugo dist. 14. nu. 52. Carden. in prop. 1. Innoc. XI. (qui vocat moraliter certam) Laym. c. 4. n. 6. Anacl. n. 49. Viva quæst. 5. ar. 5. n. 1. Elbel n. 87. cum Mastro, Sporer, Gobat. etc. ac Salm. de pœnit. c. 3. p. 4. n. 54. cum Nav. Fill. Vill. etc.* Ratio quia concilium *loc. cit.* subdit, quòd attritio, si voluntatem peccandi excludit cum spe veniæ, disponit hominem ad impetrandam gratiam in sacramento; ergò quoties has requisitas condiciones habuerit attritio, jam sufficienter disponit ad sacramenti valorem.

Tertia sententia verò, quam tenet *Holzmann n. 401.* asserens hanc esse communem cum *Suarez, Bellarm. et Bon.* dicit, quòd si pœnitens cogitet de vita futura, debet formaliter proponere emendationem, quia (juxta Tridentinum) quisque per pœnitentiam debet novam inchoare vitam; unde non videtur satis pœnitère, qui cogitans de vita futura, expressè non proponit emendari. Neque huic obstat dicere cum *Viva*, quòd concilium tres tantum partes sacramenti assignat, scil. contritionem, confessionem, et satisfactionem; unde si requiretur etiam propositum formale, partes non tres, sed quatuor essent. Nam benè respondet *P. Concina*, quòd contritio duobus constat; nempe dolore, et proposito explicito. Secùs verò si pœnitens nihil cogitet de futuro, putà si quis sit in extremo vite constitutus; reverà enim in quocumque dolore propositum necessariò continetur, patetque quòd taciti et expressi eadem esse efficacia. Hæc duæ ultimæ sententiæ sunt quidem probabiliores, sed quia prima non caret suâ probabilitate, in praxi ante factum tutiùs sequenda est, ut rectè dicunt *Bon. Croix l. c.* Dico ante factum, nam dicunt *Croix n. 680. Viva in prop. 65. Innoc. XI. n. 16. Elbel de pœnit. p. 216. n. 84. Gob. et Bon. ib. cum Bellarm. Suar. Vasq. Reg. Henr.* quòd si bonà fide cum vero dolore

confessus fueris sine proposito formali, non tenèris confessionem repetere; quia, esto communiùs non liceat sacramentum suscipere cum opinione quæ non sit moraliter certa, ne sacramentum exponatur periculo frustrationis; tamen non tenèris repetere confessionem, si probabiliter validè es jam confessus, cum præfatum periculum tunc non ampliùs adsit. Nihilominùs nec etiam valeo huic sententiæ acquiescere; ratio, quia cum prima opinio sit sufficienter probabilis, pœnitens qui gravem culpam et certam perpetravit, tenetur de ea confessionem explère, non tantum probabiliter, sed etiam certè validam (1).

451. — Quæritur II. Quænam sint condiciones necessariò requisitæ ad propositum? Hic ante omnia advertendum, rem valde difficilem esse quòd peccatores frequenter ex consuetudine in mortalia labentes cum vero proposito ad confessionem accedant; quapropter in hoc confessarius sedulò incumbere debet, maximè si pœnitens alicui vitio magnam habuerit adhæsiõnem. Tres autem sunt condiciones veri propositi, nempe ut sit firmum, universale, et efficax.

I. Propositum *firmum* importat, ut pœnitens habeat voluntatem omninò deliberatam non recidendi, et sit animo ita

(1) Idem *S. Alphonsus* docet *lib. 1. n. 51. lib. 2. n. 2. et lib. 6. n. 452. in nota.* Contrariam verò stabilit sententiam in *Hom. ap. tr. 16. n. 26.* ast cum constet, auctorem magnam Moralem præ textu *Hom. ap.* semper curasse eamque in dies ad finem vitæ usque emendasse (quod de *Hom. ap.* dici nequit), ipsa utique textui *Hom. ap.* præferenda ac proinde in questione præsentis sententiæ auctoris in magna Morali tenenda est. Objici posset: ex ipsis principiis auctoris opinionem probabilem non adhibendam quidem esse in susceptione sacramentorum, ast sacramento suscepto, standum esse in dubio pro valore actûs, ideoque in re præsentis confessionem probabiliter validam non esse repetendam. Sed dicimus, quòd si hoc verum foret, immunes etiam evaderemus à repetenda confessione, quæ facta fuisset penes confessarium jurisdictionem tantum probabilem habentem, quod sanè nullus moralista non negabit. Procul dubio quidem standum pro valore actûs, cum lex sit adimpleta, imò confessiones præteritæ non sunt repetendæ, quoties non constet, ipsas fuisse invalidas, ast hic agitur nec de servandis legibus nec de bonitate actuum suscipientium sacramenta dijudicanda, sed de natura sacramenti seu de quadam proprietate probabiliter ex jure div. ad valorem sacramenti requisita. Hinc *S. Alphonsus lib. 1. n. 51.* etiam docet suscipientes sacramenta opinione probabili uti non posse, ministrorum instar, qui tenentur in tali casu sacramentum repetere. Licet enim post susceptum sacramentum nullum adsit periculum frustrandi sacramentum, opinio tamen merè probabilis non efficit, ut v. g. confessio probabiliter valida, post factum jam fiat certè valida.

dispositus, ut nullius mali timore, et nullius boni cupidine peccatum in posterum admittere velit.

Sed hic dubium fit, an prudenter credi possit, quòd firmum habeat propositum penitens, qui asserit nolle amplius relabi, sed certò credit se relapsurum?

Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Nav. Man. c. 9. n. 18.* (qui asserit communem) *Laym. cap. 4. n. 8. Sporer p. 204. n. 510. Pal. part. 2. n. 15.* item *Suar. Sylvest. Con. Henr. Vega, Dic. apud Salm. tr. 6. c. 5. p. 4. n. 55.* Ratio, quia propositum voluntatis non relabendi benè consistere potest cum iudicio intellectus de lapsu futuro ex cognita fragilitate. Sed pace tantorum DD. omninò sequendam puto oppositam sententiam, quam tenent *Busemb. supra n. 10. Concina p. 235. n. 5. et Croix l. 6. part. 2. n. 1822. v. Objic.* Non nego quòd speculativè loquendo benè posset consistere firmum propositum voluntatis cum cognitione relapsus; sed cum quis certò credit se relapsurum, practicè certam suspicionem præbet propositum suæ voluntatis non esse satis firmum; impossibile est enim, ut quis firmiter proponat se emendare, sciens quòd Deus suam gratiam coadjuvantem non denegat facienti quantum in se est, et his non obstantibus credat certò se ad sua peccata rediturum. Unde rectè ait *Croix l. c.* quòd talis penitens priusquam absolvatur, disponi debet, ut speret, non per vires suas, sed per Dei auxilium à peccatis liberatum iri. Secus verò dicendum, si penitens ex sua præterita fragilitate timeret relapsum; communiter enim dicunt DD. cum *Nav. c. 5. n. 15. Croix lib. 6. p. 2. n. 1753. et aliis*, quòd ad serium propositum non requiritur ut credatur nullus relapsus secuturus, sed satis esse nunc adesse seriam voluntatem non relabendi; nam benè potest consistere voluntas resipiscendi cum timore lapsus ex mutatione voluntatis. Hinc rectè inquit *Gerson tract. 8. super Magnif. part. 5.* quòd penitens confessorio interroganti: *Credis tu quòd nunquam cades in tale peccatum? respondet, ego fragilis formido lapsum, non tamen volo nunc casum; de futuro misericordiæ Dei me columendo, deprecans, ut me custodiat à peccato, quòd si ceciderit fragilitas mea, deprecor, ut resurgam.*

II. Requiritur, ut propositum sit universale circa peccata mortalia; quidquid enim dicunt *Aversa, Dicast. Hurlad. et Platell. ap. Croix n. 898.* asserentes, quòd, sicut sufficit dolor

particularis, ita etiam particulare propositum, modò excludat positivam peccandi voluntatem; oppositum tamen omninò est tenendum cum sententia communi, quam docent *Laym. c. 4. n. 20. Pal. p. 2. n. 16. Lugo dist. 14. n. 52. Concina p. 259. n. 10. Mazzotta t. 7. p. 345. et Croix l. cit. cum Nav. Con. Tamb. Escob. et aliis passim, ex D. Th. 5. p. q. 87. art. 1. ad 1.* ubi ait: *Penitentia de peccatis mortalibus requirit, quòd homo proponat abstinere ab omnibus, et singulis.* Ratio, quia licet dolor particularis, putà, si concipiatur ex turpitudine specialis (ut diximus *n. 443.*) alicujus criminis, satis sit ad valorem confessionis, cum dolor respiciat tantum peccata commissa, quæ penitens detestari debet; non tamen sufficit propositum particulare, cum quisque teneatur absolutam et positivam habere voluntatem omnia mortalia vitandi. Unde Tridentinum *sess. 14. c. 4.* loquens de contritione in genere, dicit, *est animi dolor ac detestatio de peccato commisso*, non dicit de omnibus peccatis; loquens verò de proposito, dicit, *cum proposito non peccandi de cætero*; particula autem *non* utique importat propositum universale vitandi omnia mortalia. Secus verò est de proposito circa venialia; in his enim sufficit (ut docet idem *D. Th. l. c.*) quòd penitens proponat abstinere ab aliquo, absque eo quòd proponat abstinere ab omnibus.

III. Requiritur, ut propositum sit *efficax*, id est aptum efficere quod proponitur; et ideò oportet, quòd penitens non solum proponat peccatum vitare, sed etiam media adhibere ad peccatum vitandum, et signanter occasiones proximas peccandi, ut communiter docent DD. *Vide Sporer p. 205. n. 515.* Non semper autem verum est, tunc solum propositum esse efficax, quando efficitur id quod proponitur; aliàs quoties penitens recideret, toties teneretur repetere confessiones; relapsus enim non semper est signum propositi infirmi, sed sæpius tantum signum est mutatae voluntatis; nam benè potest accidere, quòd quis verum habeat amorem Dei prædominantem, et firmum propositum nunquam peccandi, et nihilominus statim peccet, prout *D. Petrus* verè proposuit potius mori, quam Christum negare, et tamen ad primam ancillæ vocem negavit. Id sanè probatur *ex D. Gregorio (Hom. 50. in Evang.)* qui dixit: *In quorundam corda venit Deus, et mansionem non facit....; ad perpetranda pec-*

cata redeunt, ac si hæc minimè planxissent. Confirmatur ex Rituali Rom. ubi dicitur: In peccata faciliè recidentibus, utilissimum fuerit consulere, ut sæpè, putà semel in mense, vel certis diebus solemnibus, confiteantur, et, si expediat, communicent. Principalis autem efficacia propositi (ut suprâ innuimus) consistit in avellendis occasionibus proximis peccandi, aut in mediis debitis adhibendis, ut ipsæ, si sint necessariæ, ex proximis fiant remotæ. Unde hic diligenter de his agere oportet.

452. — Quæritur III. Quomodo se gerere debeat confessorius cum iis, qui sunt in occasione peccandi (1)? Et hic dubitatur 1. Quotuplex sit occasio, et quotuplex periculum peccandi? Occasio distinguitur 1. in proximam, et remotam. Occasio *remota* est illa, in qua homines constituti regulariter ut plurimum non peccant. Occasionem verò *proximam* alii, ut *Nav. Man. cap. 5. n. 14. Bon. de matr. dist. 4. p. 14. n. 41. Laym. de pœn. c. 4. num. 9. Conc. p. 260. n. 15. et Spor. n. 525.* definiunt esse illam, in qua creditur pœnitens nunquam vel rarè à peccato abstinere. Sed definitio hæc non placet; meliùs dicendum cum *Sanch. Dec. l. 1. c. 8. n. 1. Holzm. n. 500. Lugo d. 14. n. 149. Suar. d. 52. s. 2. num. 4. Cont. Tourn. de peccatis part. 1. cap. 2. Wigandt tr. 5. n. 50. Croix lib. 5. n. 252. Viva de pœn. qu. 5. art. 4. n. 5. P. Segneri Conf. instr. c. 5. et Ronc. c. 4. q. 1. r. 1.* quòd occasio proxima *per se* est illa, in qua homines communiter ut plurimum peccant: proxima autem *per accidens*, sive respectiva est illa, quæ, licèt *per se* respectu aliorum non sit proxima, eò quòd non sit apta de sua natura communiter inducere homines ad peccatum, tamen respectu alicujus est proxima; vel quia hic in illa occasione, etsi non ferè semper, nec frequentius, frequenter tamen cecidit; vel quia, spectatâ ejus præteritâ fragilitate, prudenter timetur ipsius lapsus. Unde perperam dicunt *Nav. c. 5. num. 17. Lug. dist. 14. n. 150. et Viva q. 5. art. 4. n. 5. cum aliis*, non esse in occasione proxima adolescentes, qui laborando

(1) Confer compendium hujus tractatus de occasionariis et recidivis in *Praxi Confessoriorum*, quam in fine Operis invenies, cap. IV. et V. n. 65. — 80. aut in *Hom. Ap. tract. ultim. n. 1. — 18.* positum.

cum sæminis peccant consensu, verbis, aut tactibus, eò quòd (ut dicunt) non ferè semper in talibus occasionibus peccant; nam, ut diximus, ad occasionem proximam constituendam sufficit, ut homo frequenter in ea labatur. Notandum verò, quòd aliquando occasio, quæ respectu aliorum communiter est proxima, respectu hominis valde pii et cauti poterit esse remota, ut benè advertunt *Holzm. et Croix l. c.*

Distinguitur 2. occasio in voluntariam, et necessariam. *Voluntaria* est quæ faciliè dimitti potest: *necessaria*, quæ physicè, vel moraliter non potest avelli.

Periculum autem proximum aliud est formale, aliud materiale. *Formale* est illud, quod est proximè conjunctum cum peccato, ita ut homo in eo constitutus probabiliter peccabit, sive in peccatum consentiet; et hoc periculum semper vitandum est. Intelligendum tamen hoc (ut benè advertit *Croix l. 5. n. 264.*), si periculum sit consensus, non autem simplicis tentationis, aut motuum. *Materiale* verò est illud, quod cum peccato non est proximè conjunctum, sed tantum remotè, ratione necessitatis et mediorum, quæ homo adhibet ad peccatum vitandum; unde tunc accidit quòd occasio de se sit proxima, et periculum remotum: prout evenire potest in chirurgo, qui in medendis partibus secretioribus puellæ utique esset in occasione proxima peccandi, sed ratione necessitatis, et officii, si debitas adhibeat cautiones piarum cogitationum, precum, protestationis de non consentiendo, benè poterit à culpa excusari; quia tunc divinâ adjuvante gratiâ, periculum fit remotum et materiale. *Vide Croix l. 5. n. 264.*

Ex præmissis inferitur esse in occasione proxima qui domi retinet mulierem, quacum sæpè peccavit. Et hic notandum, quòd si quis non habet ad suam dispositionem mulierem, quacum peccat, sed cum ea peccat semper ac accedit in illius domum, tunc illuc accedere erit occasio proxima, etiamsi semel in anno accederet, et peccaret. 2. Qui in ludo frequenter labitur in blasphemias, vel fraudes. 3. Qui in aliqua domo, caupona, aut conversatione incidit in ebrietatem, rixas, verba aut gestus lascivos. Hujusmodi pœnitentes non sunt absolvendi regulariter, nisi priùs occasionem deseruerint. Pariter non possunt absolvi illi, qui, licèt in occasione non peccent, aliis tamen scandalum præbent, ut com-

munitur docent *Palau* tr. 2. dist. 2. part. 9. n. 19. *Bon. de matr. dist. 4. part. 14. num. 12. et Salm. tr. 6. c. 3. p. 4. n. 62. cum Nav. Graff. Candido, Lop. etc.* Addunt *Croix l. 3. n. 269. et Cont. Tourn. loc. cit. cum Cabass.* quòd, cùm occasio externa conjungitur cum passione, aut tentatione vehementi, vel habitu vitioso, vel forti tentatione, peccat qui eam non relinquit, etsi necdum cesserit tentationi; quia raro accidet, quòd talis se continebit, si ab occasione non separatur: unde ait *Cont. Tourn. ibid.*, quòd ancilla vividè sollicitata ab hero tenetur ab illius domo discedere; qui enim liberè commoratur, ubi tam periculosè ad malum allicitur, non potest rationabiliter sperare victoriam tentationis, nisi auxiliis gratiæ extraordinariis, quæ sperari sine temeritate nequeunt ab eo, qui liberè periculum vitare potest, et non vitat. Hæc tamen intelligenda sunt, si hujusmodi persona sit fragilis, et parùm devota; nam si esset pietati dedita, et cauta, et opportuna adhiberet remedia ad tentationes repellendas ac passioni obviandum, tunc eam non obstringerem ad occasionem auferendam.

Dicit autem *Ronc. c. 3. q. 8.* non esse negandam absolute nonem juveni et puellæ, qui aliquo tempore se invisunt animo matrimonium contrahendi; nemo enim (ait) tenetur ducere personam ignotam, sed per aliquod tempus potest experiri, quibus moribus alter sit præditus. Hæc assertio speculative loquendo videtur rationalis; sed ego experientiâ doctus vix semel vel iterùm permitterem sponso ad domum sponsæ accedere, vel sponsæ aut parentibus illum in domo excipere, raro enim reperi, qui in tali accessu non peccaverit, saltem verbis aut cogitationibus, cùm omnes aspectus, et colloquia inter hujusmodi sponso sint incentiva ad peccandum, et moraliter impossibile sit ipsos invicem tractare, et stimulos turpes non sentire ad ea, quæ tempore conjugii inter se futura sunt. In his autem omnibus, præsertim ubi turpium lapsuum periculum imminet, advertat sedulus confessarius, quòd nunquam crudeliùs se geret cum penitente quàm benigniùs agendo, et quò majorem severitatem adhibebit, eò meliùs illius saluti consulat. *D. Thomas à Villanova (Fer. 6. post Dom. 4. Quad.)* vocat confessarios impiè pios, qui ne confitentem contristent, illum in sua nequitia manère permittunt. Nec confessarius turbari debet, si pœnitens dicat in hujusmodi casibus scanda-

lum oriri, si post confessionem ampliùs non accedat ad illam domum, si mulierem expellat, aut aliud simile effugiat periculum; nam illi suadere debet, quòd reverà potiùs scandalocrit, si post confessionem occasionem non auferat: aut enim alii suum peccatum aut periculum ignorant, et tunc nihil mali suspicabuntur, putà si quis famulam dimittit, vel si ab accessu in aliquam domum se abstinat; vel jam alii id animadvertent, et tunc famam potiùs recuperabit, quàm amittet.

Ex his omnibus concludo, quòd ordinariè loquendo nunquam absolvi debet pœnitens, qui versatur in occasione proxima voluntaria, etiamsi extraordinaria signa doloris afferat, antequam occasionem removeat; occasio enim extrinseca, præsertim ubi agitur de vitio turpi, quando præsens est, ita mentem excæcat, ut omnia proposita è memoria deleat, et ad peccata ita impellit, ut aliquis, etiamsi certam suam damnationem ab illo crimine secururam cognosceret, adhuc à peccato non desisteret. *Vide mox infra n. 454.*

455. — Dubit. 2. An absolvi possit, qui se exponit probabili periculo peccandi? Affirmant *Mendo, Gob. et Carum. apud Viva in prop. 41. damn. ab Alex. VII. et Hozes, Lumb. etc. ap. Croix l. 4. n. 257. et consentit Spor. n. 524.* modò adsit rationalis causa; quia (ut ajunt), cùm probabile sit quòd ille peccabit, et probabile quòd non peccabit, potest sibi formare conscientiam certam, et proinde judicium practicum non fore peccaturum. Sed hanc opinionem jam refutavimus *l. 2. n. 65. cum Busemb. Croix, Carden. Eliz. etc.* Hic addo auctoritatem *D. Th. 2. 2. q. 10. a. 9.* ubi id expressè reprobatur, dicens: *Infirmi in fide, de quorum subversione probabiliter timèri possit, prohibendi sunt ab infidelium communi-
nione.* Ratio est, quia, cùm adsit probabilitas labendi, jam adest formale periculum lapsus, quod (ut diximus) omninò est fugiendum, quando occasio est voluntaria; secus verò, si necessaria (ut diximus *l. 2. n. 65.* de medico et parochio). Imò rectè sentiunt *Pal. t. 1. tr. 2. d. 2. p. 2. §. 5. n. 9. cum Suar. et Soto, Bann. ap. Cont. Tourn. de præc. Decal. cap. 1. art. 5. sect. 4. punct. 1. post concl. 2. v. Major. item Salm. Val. et Azor citati l. 5. n. 26. v. Pariter*, quòd in necessitate extrema spirituali proximi non solum potes, sed tenèris illi succurrere cum tali periculo probabili, quia tunc necessitas

efficit, ut periculum evadat remotum; unde, si potes, tenêris; idque docet idem *D. Thom. loc. mox cit.*, ubi, postquam dixit prohibendos esse à communione infidelium eos, de quorum salute probabiliter timetur, addit nisi urgeat necessitas. Dicit tamen *Cont. Tourn. loc. cit. v. contrarium, cum Sylvio*, quòd si periculum sit tale, ut probabilior sit lapsus, tunc nullo modo potes, nec debes illi te exponere, quia quisque plus suam quàm aliorum salutem respicere debet. Sed huic responderi posset, quòd in tali casu extremæ necessitatis, modò lapsus non sit moraliter certus, licèt sit probabilior, tenereris te fortiùs præmunire orationibus, et operibus piis, et deinde fidere de majori auxilio Dei; rationabiliter enim tunc esset sperandum, fore, ut Deus augeat auxilium, ubi major urgebit necessitas.

454. — Dubitatur 5. An pœnitens, qui versatur in occasione proxima voluntaria, possit unquam absolvi? Hic ante omnia oportet animadvertere quatuor propositiones proscriptas in hac materia; I. *Propositio 41. damnata ab Alex. VII. dicebat: Non est obligandus concubinaris ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij (vulgò regalò), dum, deficiente illâ, nimis agrè ageret vitum, et aliæ epulæ tedio magno concubinarium afficerent, et aliâ famula nimis difficilè inveniretur.* II. *Prop. 61. damn. ab Innoc. XI. dicebat: Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quinimò directè et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* III. *Prop. 62. ad eodem Innoc. damn. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* IV. *Prop. 65. Licitum est querere directè occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi.* Sed dubium fit, an qui non adhuc occasionem proximam removerit, possit primâ vel secundâ vice absolvi?

Prima sententia affirmat, et hanc tenent plures auctores, prout *Suarez d. 52. sect. 2. n. 5. Pal. t. 2. tr. 2. dub. 2. p. 9. §. 5. n. 18. Spor. n. 325. Elbel n. 108. Mazzotta t. 5. p. 577. Viva in prop. 41. damn. ab Alex. VII. n. 16.* (citans *Cajet. et Cordub.*, sed *P. Milante* negat hos AA. esse pro hac sententia) et *Holz. t. 2. p. 148. n. 584. cum Tambur. ac communiore*, ut asserit: et consentit *Ronc. c. 4. q. 2.*, pro prima

vice, casu quo pœnitens nondum advertit ad obligationem removendi occasionem. Ratio, quia (ut ajunt) talis pœnitens potest esse benè dispositus ad absolutionem, etiam nondum occasione dimissâ. si verè proponat dimittere. Sed hic distinguendum cum *S. Carolo Borromæo (in Instruct. suis confessoris tradita)* inter occasiones quæ sunt in esse, prout cum aliquis concubinam domi detinet, vel dum aliqua famula peccat cum hero, quoties ab eo tentatur: et inter occasiones quæ non sunt in esse, utpote si quis ludendo prolabitur in blasphemias, aut versando in cauponis prorumpit in rixas et ebrietates, aut convivendo cum sociis, ruit in verbis et cogitationibus obscænis, etc. In occasionibus hujus secundæ speciei, quæ non sunt in esse, rectè docet *S. Carolus*, quòd si pœnitens firmè proponat ab eis se cavère, potest per unam aut duas, etiamque tres vices absolvi. Quòd si postmodum emendatio non apparet, differri ei debet absolutio, donec ille cum effectu occasionem derelinquat. In occasionibus verò prioris speciei quæ sunt in esse, ait *S. Carolus*, pœnitentem neque primâ vice absolvendum (quasumque promissiones proferat), nisi priùs occasionem amoveat. Et hanc sententiam censeo (saltem ordinariè loquendo) omninò sequendam; eamque tenent *Cardenas* in prop. 61. damn. ab *Innoc. XI. cum Bon. Villal. et Candido, Cont. Tourn. de peccat. part. 1. cap. 2. append. Reg. 1. Conc. p. 638. n. 1. P. Segneri Instr. Conf. c. 5. Auctor libri cui titulus: Istr. per li Confessori novelli t. 1. n. 227. item Nav. Men. c. 16. n. 20.* ubi ait: *Concubinaris cohabitans concubinæ non debet absolvi, antequam ab ea separetur. Coninch. d. 8. de pœnit. d. 17. n. 115.* ubi: *Eos, qui vivunt in concubinato, nullo modo extra casum gravis necessitatis expedit absolvere, antequam de facto separetur. Azor p. 8. l. 5. c. 5. q. 2. Resp. non posse licitè eum absolvi, antequam ab ea (scil. concubina) separetur; item Rodr. Sylv. Fernand. Margarita, etc. ap. Pal. dict. n. 18. ex D. Augustino in c. Satisfactio, de pœn. dist. 5.* ubi sic dicit: *Satisfactio pœnitentiæ est peccatorum causas excidere, neque eorum suggestionibus aditum indulgère.* Ergò tenetur pœnitens ante absolutionem occasionem auferre, aliàs suggestionibus aditum non præcluderet. Ratio 1. hujus sententiæ (ut ait *Cardenas*) videtur esse, quia prima sententia videtur damnata in præfata prop. 61. ab *Innoc. XI.* Sed hæc ratio non convincit; nam

aliud est posse absolvi qui occasionem non vult omittere, ut dicebat propositio, aliud, qui licet non velit omittere ante absolutionem, bene tamen vult omittere statim post absolutionem. Ratio 2., quia præceptum tollendi occasionem voluntariam est negativum, id est non permanendi in occasione (prout est præceptum non retinendi alienum), et hoc obligat semper et ad semper: unde qui potest occasionem statim removère, et non movet, est in actuali transgressione præcepti, et ideò indispositus. Sed hæc ratio neque omninò satisfacit, vel saltem intelligenda est in solo casu, quo pœnitens nolit statim post absolutionem tollere occasionem, et tantum promittat auferre in futurum; at si pœnitens in actu confessionis firmè proponeret occasionem removère statim ac domum redit, non video cur dicendus esset hic indispositus, et quòd præcepto contraveniat. Ratio potior et vera hæc mihi videtur esse: ablatio occasionis est res magnopere ardua, et non fit nisi quis magnam vim sibi inferat, ut avellatur ab illa occasione, ad quam propter præteritam sui animi adhæSIONEM remanet valde propensus; et ideò, si occasio non auferatur ante absolutionem, pœnitens de facili post absolutionem se decipiet, falsò sibi suadendo quòd tentationibus resistet, et sic, occasione non dimissà, profectò redibit ad vomitum. Qua de re, si talis vellet absolvi, antequam occasionem deserat, esset indispositus, quia se constitueret in probabili periculo infringendi propositum: ac propterea confessarius, qui eum absolveret, ipsum relinquendo in tali periculo, utique peccaret tam contra officium iudicis, quàm medici, quia absolveret indispositum, non applicando illi remedium suæ salutis necessarium.

Dices: Pœnitens qui habet pro se opinionem probabilem, debet absolvi, quia cum sit dispositus, habet jus ad absolutionem, juxta dicenda n. 604. Ergò si quis efformaret sibi conscientiam probabilem juxta primam sententiam, teneretur confessarius eum absolvere. Respondetur 1. quòd illicitum est (ut diximus mox suprà num. 455.) se voluntariè exponere probabili periculo peccandi, unde peccat pœnitens, qui vult absolutionem recipere, antequam occasionem dimittat, cum se immittat in probabile periculum infringendi propositum, et ideò tamquam indispositus nullum jus habet ad absolutionem. Respondetur 2. Dato et

non concessio, quòd pœnitens possit absolvi semel vel iterum ante dimissam occasionem, tamen, ut communiter dicunt DD. et ipsi adversarii concedunt, pœnitens non habet jus ut statim absolvatur; et propterea bene potest (et si potest, tenetur confessarius, ut partes sui muneris rectè agat) tamquam medicus differre illi absolutionem, usquedum occasionem auferat.

Dixi tamen *ordinariè*; nam meritò excipiendus est 1. cum *Lugo d. 14. n. 131. Holz. n. 586. et Spor. n. 525.*, casus quo pœnitens afferat extraordinaria signa doloris, quia tunc propter hujusmodi signa confessarius prudenter potest judicare non adesse in pœnitente periculum illud proximum infringendi propositum; signa enim illa indicant pœnitentem uberiorem recepisse gratiam, quàm magis constanter se geret in occasione removenda. Nihilominus, ait *Ronc.*, quòd ipse etiam in hoc casu absolutionem differret, usquedum occasio auferatur, si absolutio commodè differri posset; et ita etiam ego agerem.

Excipiendus 2. cum *Viva loco suprà cit.* casus quo pœnitens, si absolutio differatur, non possit ad confessarium redire; vel non nisi post longum tempus: tunc enim, si ille jam fuerit confessus peccata sua, et confessarius prudenter judicare valeat eum firmam habere voluntatem tollendi occasionem statim ac poterit, tunc potest et debet ipsum absolvere, quia tunc pœnitens habet jus, ut statim absolvatur. Nec obstat dicere, quòd ipse tunc remaneret in eodem periculo (ut mox dictum est) infringendi propositum. Nam respondetur, quòd hoc casu tale periculum de proximo fit remotum: sicut enim ratione gravis damni (ut infrà dicetur) non tenetur pœnitens occasionem auferre, eò quòd periculum per se proximum ratione illius necessitatis evadit remotum; ita in casu nostro periculum illud infringendi propositum fit remotum ratione magni oneris, quòd pœnitens deberet subire iterum repetendi confessionem apud alterum; tunc enim est constitutus in morali necessitate recipiendi absolutionem, antequam occasionem dimittat. Hoc tamen non admittendum, si pœnitens ab alio confessario jam fuerit admonitus de occasione tollenda, et non abstulerit; quia tunc habetur tamquam recidivus, et minimè est absolvendus, nisi fortè afferat extraordinaria signa doloris, ut suprà.

4. §. — Dubitatur 4. An possint absolvi, qui sunt in occasione proxima necessaria? Ut suprâ innuimus, illa quidem dicitur occasio necessaria, quæ non potest relinqui vel physicè, vel moraliter; *physicè*, nempe si quis esset in carcere aut triremi, à quo discedere non posset; vel si esset in articulo mortis, in quo non haberet tempus vel modum expellendi amicam: *moraliter* verò, nempe si occasio tolli non posset sine scandalo; in his casibus benè absolvi potest, occasione non sublata, cum non teneatur pœnitens tunc illam auferre. Sed hic dubium fit, an possit quis manère in occasione proxima, si aliter deberet pati notabile detrimentum temporale in vita, fama, aut fortunis? Negat *Merbesius de pœnit. diss. 4. n. 11.* dicens, pro nullo damno temporali aliquem excusari à dimittenda occasione proxima; et in parte consentit *Wig. tr. 5. n. 50.* ubi ait, esse obligationem auferendi occasionem, etiamsi infamia sit subeunda. Communiter tamen affirmant DD. non tenèri pœnitentem occasionem dimittere, si aliter grave damnum temporale passurus sit, dummodò interim sit paratus uti mediis præscriptis; ita *Nav. Man. c. 5. n. 20. Sanch. Dec. l. 1. cap. 8. n. 5. Lugo d. 14. n. 152. cum communi, Pal. tr. 2. d. 2. p. 9. §. 5. num. 8. Cont. Tourn. de peccat. part. 1. cap. 2. append. Reg. 5. Anacl. p. 619. n. 46. Holzm. n. 580. v. Dixi. Bonac. de matr. q. 4. p. 14. n. 11. Viva qu. 5. a. 2. n. 6. Elbel num. 104. Laym. c. 4. n. 9. Renzi c. 2. sect. 1. qu. 15. Sporer num. 526.* (qui tamen n. 528. cum *Palao* non excusat aliquem mediocriter divitem, qui ne patiatur damnum centum ducatorum, occasionem non vellet deserere) et consentit *Concina p. 265. n. 17.* si pœnitens ex dimissione occasionis deberet pati infamiam, aut gravissimum detrimentum. *Ratio*, quia occasio peccandi non est in se peccatum, neque affert necessitatem peccandi; quapropter benè potest eum ea consistere vera detestatio peccatorum, et firmum propositum non relabendi, ac adhibendi debita remedia. Et quamvis præceptum vitandi occasionem proximam per se obliget ad non permanendum in occasione, tamen illud intelligendum est obligare, cum quis voluntariè in occasione persistit, non verò si maneat ex necessitate; moraliter autem hæc necessitas intervenit, quando sine magno detrimento, aut incommodo nequit occasio dimitti; etenim tunc periculum formale et proximum opportunis adhi-

bitis mediis ad non relabendum, fit materiale et remotum; non enim qui est in periculo, sed qui amat periculum (ut dicitur in *Eccles. 5.*) peribit in illo; non autem amat periculum, qui invitus subit. Hinc optimè *S. Basilius (in Constit. Mon. c. 4.)* dixit: *Qui urgenti aliquâ causâ, et necessitate, se periculo objicit, vel permittit se esse in illo, cum tamen aliàs nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitus illud subire: et ideò magis providebit Deus, ne in illo pereat.* Idem satis confirmatur ex *c. Laudabilem de frig. et mal.* ubi sic habetur: *Quòd si ambo (sermo est de conjugibus ab initio impotentibus) consenserint simul esse, vir eam, etsi non uxorem, saltem habeat ut sororem.* Ergò (ut notat *Sanch.*) ne ipsi infamiam patiantur, benè eis permittitur simul habitare cum periculo tactuum. Remedia autem pro his qui reperiuntur in occasione proxima præsertim peccati turpis; sunt videlicet, major oratio, frequentior usus sacramentorum, quotidie ante imaginem Crucifixi renovare promissionem non amplius peccandi, vitare ne versetur solus cum sola, fugere ab aspectu complicitis, et similia.

Hinc dicit *Sporer num. 522.* cum communi, *Busemb. ut suprâ Mazzotta t. 5. p. 574. Pal. l. c. num. 12. cum Grass. Fernand. etc. Laym. c. 4. n. 9. cum Nav. cap. 5. num. 41. Sanchez, Sa, Henr. Cajet. et Philarch.* quòd ii qui ab officio, negotiatione, aut domo in qua peccant, discedere nolunt, quia sine magna difficultate non possunt, absolvi sunt, si sint parati remedia adhibere. Idem dicit *Viva qu. 5. art. 4. n. 9.* de chirurgis qui medendis mulieribus, et de parochis qui in excipiendis earum confessionibus pluries peccant, si aliter ipsi non possent vivere juxta suum statum. *Vide dicta l. 2. n. 65. vers. Quæritur.*

436. — Hæ sententiæ probabilissimæ sunt; verum in praxi omnes conveniunt expedire, ut iis, qui versantur in occasione proxima etiam necessaria, differatur absolutio. Imò, ut ego quid sentiam in hac re, ingenuè dicam: nunquam absolverem eum, qui est in occasione proxima extrinseca (nam de intrinseca aliter infra loquar), præsertim si occasio sit de materia turpi, semper ac absolutio commodè differri posset. Censeo enim, quòd confessarius tanquam medicus teneatur aptare suo pœnitenti remedia opportuniora, ut ille suam faciat salutem; reorque nullum aliud aptius antidotum mini-

strari posse ei, qui est in occasione proxima, quàm dilationem absolutionis; dum experientia docet, quòd pœnitentes, postquam absoluti discedunt, ut plurimum negligunt media præscripta adhibere, et sic facillimè recidunt. Cùm è converso, quando ipsis absolutio denegatur, vigilantius satagunt remedia exequi, et tentationibus obsistere, impulsique quidem à timore, ne cùm ad confessarium redibunt, iterum sine absolutione dimittantur. Et casu quo pœnitens prius admonitus ab alio confessario media præscripta neglexerit, et eodem modo fuerit relapsus, dico omninò dimittendum esse sine absolutione, nisi fortè extraordinaria signa doloris exhibeat. Et etiam huic adhuc extraordinaria compunctione donato, ordinariè loquendo, absolutionem denegarem, quando commodè absolutio posset differri. Fortassè alicui hæc tradens nimis rigidus videbor; sed ego, cùm pœnitentes offendissem hujusmodi occasionum laqueis irretitos, sic semper egi, et semper agam; hæc enim via incedens non me rigidum, sed maximè erga eos benignum esse puto, quandoquidem nullus isto aptior modus mihi videtur, ut ipsi à peccatis et ab æterna damnatione eripiantur, et è contrario crederem, quòd, si benignè agendo absolutionem quam petunt eis præstarem, causa essem, ut miserè in vitiis marcescerent. Quisque suo sensu abundet. Utinam verò omnes confessarii cum hujusmodi pœnitentibus ita se gererent, multò quidem minora crimina committerentur, et longè plures animæ proditionem vitarent! Ego sentio, et dico, quòd ubi agitur de liberando pœnitente à peccato formali, licèt permittatur manère in materiali, tunc confessarius curare debet, in quantum christiana prudentia concedit, uti opinionibus benignioribus, gravi tamen fundamento roboratis. Ubi verò opiniones benignæ propinquius admovent ad periculum peccati formalis, ut accidit in hac materia occasionis proximæ, dico, quòd confessario uti expedit sententiis rigidioribus; sic enim magis consulet suorum pœnitentium salutem.

457. — Dubitatur 5. An qui in occasione necessaria etiam adhibitis remediis semper eodem modo relabitur, possit absolvi, nisi prius occasionem deserat?

Prima sententia, quam tenent *Lugo de pœnit. d. 14. n. 157. Pal. t. 2. d. 2. p. 9. n. 5. Holzm. de pœn. num. 385.* item

Gob. Faber, Pallav. et alii apud Croix l. 5. n. 261. et probabilem putat *Tamb. in Meth. Conf. l. c. n. 10.* dicit, posse eum absolvi toties quoties, modò habeat sufficientem dolorem et propositum. (Advertit tamen *Lugo, n. 160.* quòd, cùm aliquis semper immediatè post confessionem facillè recidit, is censetur carèrè vero dolore et proposito, et ideò non absolvendus).

Secunda sententia tamen verior, quam tuentur *Busemb. suprà num. 449. Ronc. de pœn. c. 4. q. 5. Cont. Tourn. loc. cit. Viva in prop. 41. Alex. VII. n. 17. cum Suar. Nav. et Reg. Mazzotta t. 5. p. 377.* qui vocat communem; item *Caj. Tann. Carden. et alii cum Croix l. cit.* qui vocat veram, tenet, hunc non posse absolvi, nisi occasionem deserat, cum jactura adhuc vitæ, si opus sit, quando nulla emendatio, nec probabilis spes emendationis appareat. Ratio, quia homo tenetur eum omni jactura vitæ periculum proximum peccati formalis. Et licèt aliquando ob justam causam possit permitti periculum peccati, nunquam tamen potest permitti peccatum; cùm autem nulla spes appareat emendationis, periculum utique fit formale, et à peccato sejungi non potest, et ideò omninò est vitandum cum quocumque damno temporali etiam vitæ. Hic enim currit illud *Marc. c. 9. v. 46. Si oculus tuus scandalizat te, ejice eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis.* Et aliunde *Luca c. 9. v. 25. Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat?*

Dices cum *Lugo*: Ergò iste neque primà vice poterat absolvi, cùm idem adfuerit periculum. Respondeo, quòd dispar est ratio, nam, cùm occasio est necessaria, ope mediòrum periculum materialiter proximum fit formaliter remotum; at cùm adhibitis remediis non adest spes emendationis, periculum evadit formaliter proximum, et ideò omninò vitandum eum quocumque incommodo. *Sin autem* (ait *S. Carolus in Instruct. Confess.* loquens de puella, quæ domi haberet occasionem necessariam) *post similes præcautiones comperiat confessarius pœnitentem in illud peccatum relabi, deneganda prorsus est absolutio, donec deseruerit proximam peccandi occasionem, quiddid tandem evenire debeat.* Hinc *c. Falsas 6. de pœn. dist. 5. et c. Fratres 8. ib.* dicitur debère dimit-

tere sua officia milites, negotiatores, curiales, etc. qui norint illa non posse exercere sine peccato; sic enim loquitur S. Gregor. VII. in cit. c. Falsas: Ideoque quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exercere non possit (difficultas notatur, advertit Glossa, non impossibilitas), si culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, nisi negotium, aut officium deserat. Idem clarius confirmat Innoc. II. in dict. c. Fratres, dicens: Falsa etiam sit pœnitentia, cum pœnitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet.

Secus verò dicendum cum Holz. d. n. 583. Laym. de pœn. c. 4. n. 10. et Sporer num. 526. cum Sanch. Nav. et aliis communissimè, si in præsentī hujusmodi pœnitens afferat extraordinaria signa doloris; tunc enim jam effulget spes emendationis.

458. — Hic pro complemento hujus puncti refert adjicere ea quæ tradidit D. Carolus Borromæus in Instruct. Confessar. ubi distinguens inter occasiones proximè de se inductivè ad peccatum, ut est domi retinere concubinam, et occasiones proximas peccandi ob pravum habitum alicujus, sic dixit: Pœnitentem in aliqua ex his occasionibus versantem, si urgens sit illa occasio, ut qui concubinam aleret, non debet sine dubio confessor absolvi (intellige, ne primâ quidem vice), nisi hanc occasionem antea sustulerit. Pro aliis verò occasionibus (minùs impellentibus), quales sunt aleæ vacatio, aspectus minùs pudici, colloquia, gestus, etc. non absolvatur, nisi eas dimittere pœnitens polliceatur. Quòd si jam aliàs pollicitus sit, nec emendatus fuerit, absolutio differatur, donec emendationem agnoverit.

Deinde hæc addidit: De operibus quæ ad malum inclinant, ut saltationum publicarum, improborum hominum, cauponarum frequentatio, et alia hujusmodi, quorum occasione si homo peccare consueverit, nequaquam debet absolvi, nisi primùm eam omninò dimiserit. Quòd si confessori visum fuerit ex prima aut secunda pœnitentis pollicitatione, et non amplius, ipsum occasionem hanc dimissurum, poterit eum absolvi; absolutionem autem differat, si promissis non steterit, donec amandatum omninò fuisse occasionem agnoverit.

Et quia potest contingere, ut pœnitens cum his omnibus à confessore propositis occasionem non possit dimittere sine periculo (intellige damni, vitæ, famæ, vel honorum), aut scandalo, debet adhibere remedia; et primò differatur absolutio (intelligendum etiamsi pœnitens ille prima vice confiteatur peccatum) donec emendationis signa dederit. Quòd si inde infamiae periculum pœnitenti acciderit (nempe si incurrat infamiam, nisi tunc communicet), et confessor talia contritionis in eo signa perspexerit (ut prudenter dispositum judicet), debitamque ad excipienda remedia dispositionem observaverit, tunc poterit absolvi. Quòd si tamen non emendatus pœnitens fuerit (scil. etiam adhibitis remediis), non absolvatur, donec occasio illa sublata fuerit.

459. — Queritur IV. An possint absolvi illi qui in peccatis sunt consuetudinarii, aut recidivi? Distinguendum est inter consuetudinarium sive habituatam, et recidivum. Consuetudinarius intelligitur hic qui primâ vice suum pravum habitum confitetur, et iste benè potest absolvi, etiamsi nulla emendatio præcesserit, modò eam seriò proponat, ut cum sententia communissima dicit Croix l. 6. p. 2. n. 1820. Ratio, quia talis pœnitens ex una parte non est præsumendus malus, ita ut velit indispositus ad sacramentum accedere; ex illa benè præsumitur dispositus dum peccata sua confitetur, cum ipsa spontanea confessio sit signum contritionis, nisi obstet aliqua positiva præsumptio in contrarium; omnes enim conveniunt, quòd dolor per confessionem manifestatur. Vide Juenin. Instit. theol. t. 7. p. 408. Salm. de sac. in gen. c. 1. p. 1. dub. 1. n. 11. Nec valet dicere, quòd eadem prava consuetudo est signum indispositionis; nam licèt pravus habitus reddat peccatorem propensorem ad peccatum, non tamen dat præsumptionem suæ infirmæ voluntatis. Attende quæ docet Catechismus Rom. de pœnit. n. 60. Si, auditâ confessione, judicaverit (sacerdos) neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolore pœnitentis omninò defuisse, absolvi poterit. Nota omninò defuisse.

Recidivus autem est ille, qui post confessionem in eadem peccata relapsus est. Hic dubitatur, an possit absolvi? Adsunt tres sententiæ.

Prima sententia, quam tenent Sylv. Henr. Tanner. Sancius, etc. ap. Salm. tr. 17. de juram. c. 2. p. 9. §. 11. n. 169., dicit hunc

absolvendum esse toties quoties confitetur, nisi ex aliqua circumstantia judicetur indispositus; aliàs semper dispositus est censendus, utque talis jus habet ad absolutionem. Sed hæc sententia falsa est, ut infra dicemus.

Secunda sententia omninò opposita, quam tenent *Merbes. de pœnit. p. 141. Reg. 2. et 3. Juen. Instit. theol. de pœnit. t. 7. c. 1. ar. 1. q. 5. et Genett. t. 4. c. 7. q. 13.*, dicit nunquam peccatorem habituatam censendum esse dispositum ad absolutionem, nisi diu conversionem suam per emendationem probaverit. Et idem sentit *P. Conc. p. 360. §. 4. per totum*; quamvis alibi *p. 722. n. 24. et p. 719.*, sic in praxi temperet suam doctrinam, dicens: *Et ut errandi periculum declines, si vides binâ vel trinâ absolutione te posse infirmum curare, esto in misericordia dives. Emendatio peccatoris securior omnibus regulis est norma vel impertiendi vel denegandi absolutionem.*

Tertia sententia communis, quam sequimur, et tenent *Sanch. Dec. l. 2. c. 52. n. 43. et l. 5. c. 5. n. 18. Pal. de juram. d. 4. p. 9. n. 5. Bon. eod. tit. t. 2. d. 4. q. 1. p. 5. in fine, Lugo d. 14. n. 166. Petroc. t. 4. de pœn. c. 7. q. 9. Spor. eod. t. c. 2. n. 552. Az. t. 2. l. 11. c. 5. q. 4. Viva de 2. præc. q. 7. art. 7. n. 4. Laym. c. 4. n. 10. Holz. p. 149. n. 589. Anacl. p. 62. n. 49. P. Milante in d. prop. 60. exerc. 35. Wig. t. 15. num. 98. et Salm. l. c. n. 170. cum Suar. Sayr. Hurt. Prado, Rodr. Lop. etc. docet, quòd peccator recidivus rediens cum eodem habitu pravo non potest absolvi, nisi afferat extraordinaria signa suæ dispositionis.*

Prima pars est contra primam sententiam dicentem, quòd recidivi debent absolvi semper ac ad sacramentum accedunt. Et probatur ex prop. 60. damnata ab *Innoc. XI.* quæ dicebat: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodò ore proferat se dolere et proponere emendationem.*

Ratio est, quia, ut confessarius possit pœnitentem absolvere, debet esse moraliter certus de ejus dispositione; unde, quamvis peccator primâ vice se confitens censendus sit dispositus, eò quòd (ut diximus) nulla ei obstat præsumptio in contrarium; tamen quando jam in alia confessione ipse fuit admonitus, et eodem modo cecidit, nullo adhibito conatu,

et nullo impleto ex mediis à confessario præscriptis, frequens ille relapsus signum præbet, vel saltem prudentem dat suspicionem, quòd sua pœnitentia non sit vera: qui enim firmè proponit (benè ait *Lugo d. 14. n. 160.*) rem sibi moraliter possibilem, non ita facilè sui propositi obliviscitur, sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficiliùs, aut rariùs cadit. Hinc *S. Isidorus l. 2. Sent. c. 16.* sic ait: *Ille pœnitentiam dignè agit, qui sic præterita mala deplorat, ut futura iterùm non committat.* Et *S. Augustinus ap. eumd. Isidor.* sic optimè scripsit: *Qui pectus suum tundit, et se non corrigit, solidat peccata, non tollit.* Idèò *S. Carolus Borrom. in sua Instruct. ad Confess.* benè docuit: *Proroganda est absolutio eis qui à multis annis in iisdem peccatis perseverarunt, nec ut emendantur laborarunt.* Et hoc ait *Lugo l. c.* accidere posse etiam in confessione venialium, in quibus pœnitens sit habituat. Nam licèt communiter dicant DD. quòd faciliùs absolvi possint qui in eadem recidunt venialia, quia ipsorum occasiones sunt frequentiores, quas evitandi non-ades obligatio tam stricta; tamen meritò dicit *Elbel p. 229. n. 112.*, sæpè timendum esse, ne sint nullæ et sacrilegæ confessiones illorum, qui propositum de prædictis venialibus vitandis nimis generaliter concipiunt. Unde benè advertit cum *Spor. n. 559.*, quòd hujusmodi pœnitentes potius quàm se vexent, ut omnia sua venialia exactè consteantur, attendant ad illa clavibus subjicienda, de quibus noverint verum habère dolorem, et propositum.

Dicunt verò *Sanch. Laym. Lugo, Pal. Viva, Spor. cum alijs ll. cc.* quòd his non obstantibus, benè poterit absolvi recidivus usque ad tertiam vel quartam vicem, etiamsi eodem modo relapsus fuerit, et nullum adhibuerit remedium. Veneror tantorum DD. auctoritatem; sed ego eorum opinioni nunquam acquiescere potui: etenim cum pœnitens jam fuerit in alia confessione admonitus, et eodem modo reinciderit, nullumque ad se emendandum conatum adhibuerit, eadem suspicio utique recurrit, quâ fit ut confessarius non possit habère de ejus dispositione moralem certitudinem, sufficientem respectivè ad hoc sacramentum, ut infra explicabitur.

Secunda verò pars est contra secundam sententiam, quæ cum intolerabili rigore dicit nunquam absolvi posse consuetudinarium, nisi per longam experientiam constet de ipsius

emendatione. Ratio nostræ sententiæ est, quia relapsus, tametsi præbeat aliquam suspensionem, non tamen certum exhibet signum indispositionis; benè enim contingere potest, quòd pœnitens verè habuerit firmam voluntatem non relabendi, et tamen vi pravi habitûs sit relapsus, ut advertit *S. Anselmus* (de *Simil. c.* 189.) dicens quòd consuetudinarii, *pravo usu irretiti, nolentes in eadem vitia dejiciuntur.* Unde quoties pœnitens affert signa extraordinaria doloris, per ea tollitur suspicio illa de indispositione, et tunc confessarius prudenter judicare poterit suum pœnitentem satis esse dispositum. Unde rectè ait *P. Milante in prop. 60. damn. ab Innoc. XI. suprâ relata n.* 459. quòd ibi non excluditur absolutè consuetudinarius utcumque talis, sed qui nullam dat emendationis spem. Igitur consuetudinarius, qui dat aliquam emendationis spem; modò hæc sit solida et fundata, potest absolvi. Tot autem auctoritates SS. Patrum, quas adducunt adversarii, nihil aliud probant, quàm magnam illam difficultatem, quæ adest in extirpando pravo habitu; sed benè docet *Lugo d. 14. n.* 166. cum *Suar. Sanch. Reg. Henr. et aliis communiter*, quòd dispositio sufficiens est dolor et propositum præsens, non emendatio futura, atque ita pœnitens potest absolvi, licèt judicetur relapsurus. Nec verum est, quòd sola temporis probatio unicum sit signum mutatæ voluntatis; nam voluntatis mutatio pendet à divina gratia, quæ tempore non indiget, sed in instanti operatur, et ideò non solùm per experimentum temporis, sed etiam per alia quidem signa patefieri potest. Imò aliquando alia signa præsentis dispositionis multò meliùs manifestant mutationem voluntatis, quàm experientia temporis; nam signa illa directè indicant dispositionem pœnitentis, experientia verò tantùm indirectè; adeò ut non rarò evenire poterit quòd aliquis etiam longo tempore se à vitiis pro mundi hujus honestate contineat, ut ait *D. Gregor.*, et nihilominus non sit ritè dispositus. Propterea, quoties pœnitens affert vera signa doloris et propositi, toties benè absolvi poterit, ut clarè colligitur ex *c. Septies 25. de pœn. dist. 5.* ubi *D. Hieronymus* sic inquit: *Septies cadit justus. Si cadit, quomodo justus? Si justus, quomodo cadit? Sed justus vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit. Non solùm septies, sed septuagies septies delinquenti, si convertatur ad pœnitentiam, peccata donantur.* Et *D. Joan-*

nes Chrysost. Hom. 14. in 2. ad Cor. scripsit: *Temporis moram non quæro, sed animæ correctionem; hoc itaque fac demonstres, sintne compuncti, sintne in meliùs immutati, et res tota confecta est.* Hinc Auctor libri Romæ editi, cui titulus (*Istruz. per li novelli Confess. p. 1. c. 15. n.* 556.) sic inquit: *Se la ricaduta nasca dalla propria fragilità, senz' altra causa estrinseca voluntaria è quasi temerità il dire, che ogni ricaduto sia indisposto* (1). Ac ideò in *c. 9. nu.* 215. dicit, quòd peccator relapsus propter mali habitûs vim statim absolvendus est, si firmam habeat voluntatem adhibendi media ad se emendandum: additque: *E giudichiamo, che il fare altrimenti sia troppo rigore, e che il Confessore facendolo s' allontanarebbe dal vero spirito della Chiesa, e del Signore, e della natura del Sacramento, il quale non solamente è giudizio, ma è medicina salutare.*

460. — Sed rogabis, quænam sint hæc signa extraordinaria doloris, cum quibus recidivus statim possit absolvi? Plura hujusmodi signa traduntur ab AA. suprâ allatis locis citatis quæ sunt videlicet: I. Major dolor patefactus per lacrymas, suspiria, aut cordialia verba, ajunt *Lugo, Laym. Milante, Holzm. Croix, Tamb. Lohner, Renzi, et Salm. de Pœnit. c. 5. p. 4. n.* 65. in fine. Dicit autem *Gon. t. 4. c. 5. q.* 19. non esse sæpè credendum lacrymis peccatorum, nam sæpè lacrymæ proveniunt ab humano affectu. Vice non sæpè meliùs hic auctor dixisset non semper; nam reverà, ut benè ait *P. Mil.*, hujusmodi lacrymæ, præsertim in mulieribus et rudibus, non semper sunt signa veræ pœnitentiæ; quandoque enim proveniunt ex aliqua passione, quam pœnitentes exponunt; vel ex motivo negatæ absolutionis, vel damni passi aut imminenti. Cæterùm lacrymæ pœnitentium ut plurimum oriuntur ex compunctione cordis, maximè si effundantur post auditam concionem vel monitionem confessarii præbentis aliquod compunctionis motivum. Hinc *S. Leo (Ep. 82. Theodor. Epis.)*

(1) *Id est*: Si relapsus oriatur ex carnis fragilitate, nulla alia causa extrinseca et voluntaria influente, quasi temerarium est dicere omnem recidivum esse indispositum... (additque): credimus insuper absque nimio rigore contrarium fieri non posse, et confessarium sic agentem à vero spiritu tum Ecclesiæ tum Domini recedere, nec non à natura hujus sacramenti, quod non solùm judicium est, sed et salutaris medicina.

sic docuit: *In dispensandis Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas gemitusque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem credamus ex Dei inspiratione conceptam.* Nota cum credamus, quapropter ordinariè, nisi aliud percipiatur oppositum. credendus est pœnitens ex inspiratione Dei lacrymas effundere. Hic etiam facit illud quod attulimus *D. Joannis Chrysostomi* mox supra, ubi dixit compunctionem signum esse veri doloris.

II. Minor numerus peccatorum, ut dicunt *Busemb. Wigandt, Laym. Sporer, Anacl. P. Segneri, Lohner, Gob. Mazzotta, Tamb. et Renzi.* Hoc tamen intelligendum, cum pœnitens fuerit in eisdem occasionibus et tentationibus peccandi: aut si ille post ultimam confessionem diu se continuerit, v. gr. per 20 vel 30 dies, cum antè assuetus fuerit prolabi pluries in hebdomada: vel si relapsus fuerit post magnum conflictum, ut rectè ajunt *Croix et Anacl.* III. Studium adhibuit ad emendationem: *Lugo, Laym. Sporer, Salmant. Mazzotta*: aut si pœnitens adhibuerit jejunia, elemosynas, orationes et missas, ut bonam faceret confessionem, et ad absolutionem se disposeret. Fuga spontanea occasionum; *Croix, et Mazz.* Impletio mediorum præscriptorum à confessario: *Wigandt, Busemb. et Maz.* IV. Si pœnitens quærat media ad se emendandum; *Laym. Lugo, Salm. Mazz. Wigandt, Holzm. Milante, etc.* aut si promittat remedia adhibere; vel antè præstita meliùs exequi; *Lugo Segneri, Croix, et Mazzotta*; maximè (ait *Lugo*) si nunquam admonitus fuit de mediis adhibendis; sed hujusmodi promissionibus puto non omninò fidendum, cum pœnitentes facilè promittant, ad absolutionem obtinendam, omnia exequi quæ confessarius imponit, sed non rarò postea negligunt. V. Spontanea confessio, ut dicunt *Laym. P. Segneri, Tamb. et Mazz.*; dummodò pœnitens non confiteatur ex obligatione præcepti paschalis, vel impulsus à parentibus, pædagogo, aut domino; nec propter quemdam usum se confitendi in aliquibus festis, nempe Nativitatis Domini, Assumptionis B. Mariæ, etc., sed accedat omninò spontè et verè à lumine divino inspiratus, ad solum finem adispiscendi Dei gratiam. Præcisè hæc spontanea confessio signum esset dispositionis, si pœnitens, ut accederet ad sacramentum, notabilem conatum adhibuit, scil. longum iter est aggressus, abstinuit à lucro illius diei,

magnum conflictum internum, sive externum superavit, et similia. VI. Si accedit ductus ab aliquo extraordinario motivo, nempe concionis auditæ, mortis alicujus amici, vel ex timore terræmotûs, alluvionis, pestis, etc. *P. Milante et Croix.* VII. Si pœnitens priusquam accedit, restituerit ablatum, vel reparaverit famam proximi læsam. *Milante.* IX. Addo cum *Milante*, si post peccata pœnitens ad monitionem confessarii significet se adeptum fuisse novam cognitionem suæ iniquitatis, vel periculi suæ damnationis. Addit *Croix n. 1821.* esse etiam signa extraordinaria, si pœnitens dicat se pœnituisse statim post peccatum, si cupiat satisfacere, si magnam pœnitentiam bono animo acceptet, si protestetur ex seipso malle mori, quàm relabi. Hæc signa dico saltem deservire posse ad alia signa dispositionis adjuvanda.

Hæc autem signa dispositionis recidivorum auctores præfati non casu tradiderunt, sed experientiâ docti. Unde puto nequaquam errare eum qui se dirigit cum sententiis communiter receptis ab hujusmodi DD. non humilis notæ. Dicere autem, quòd ipsi scripserint ex passione affecti, ut suæ ipsorum doctrinæ cum plausu exciperentur, vel propter aliquid hujusmodi, non videtur carere aliquâ labe temeritatis. Quòd si hoc non est censendum, non debet credi hos tam graves DD. à Deo lumine suo fuisse destitutos in re quæ directionem respicit conscientiarum totius populi christiani; tantò magis quòd circa tales sententias nulla Ecclesiæ proscriptio intercessit. Nec officit quòd plures opiniones quæ circumferuntur, non sunt ab Ecclesia damnatæ, et tamen ab aliis communiùs ut laxæ reputantur; nam Ecclesia non omnes opiniones, quæ casus particulares respiciunt, damnat, quavis non approbet; sed sententias, quæ universalitatem conscientiarum spectant, Ecclesia nec approbat, nec tacet, ut dixit *S. Aug. Ep. 119. Ecclesia Dei multa tolerat, et tamen quæ circa fidem sunt, vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet.*

461. — Cæterùm, ut ad propositam materiam redeamus, certum est 1. Quòd confessarius tenetur differre absolutionem, usque dum fiat moraliter certus de dispositione sui pœnitentis, saltem per experimentum temporis, vel medio-

rum, si pœnitens sufficiens nondum præbeat signum suæ dispositionis. Vide *Salm. de pœnit. c. 5. p. 4. n. 66.* Attamen notandum est (prout diximus de sacram. in gen. n. 57.), quòd in aliis sacramentis, cum materia sit physica, physica requiratur certitudo; sed in hoc sacramento pœnitentiæ, cum materia sit moralis, prout sunt actus pœnitentis, sufficit certitudo moralis, sive respectiva. Sic enim docuit *D. Th. 1. 2. q. 91. a. 5. ad. 5. Nec oportet, quòd omnis mensura sit omninò infallibilis...., sed secundum quod est possibile in genere suo.* Et *2. 2. q. 47. ar. 9. ad 2. Certitudo non est similiter quærenda in omnibus, sed in unaquaque materia, secundum proprium modum; quia verò materia prudentiæ sunt singularia contingentia, circa quæ sunt operationes humanæ, non potest certitudo prudentiæ tanta esse, quòd omninò sollicitudo tollatur.* Unde quoad nostrum propositum spectat, sufficit quòd confessarius habeat prudentem probabilitatem de dispositione pœnitentis, et non obstet ex alia parte prudens suspicio indispositionis; aliàs vix ullus posset absolvi, dum quæcumque signa pœnitentium non præstant nisi probabilitatem dispositionis, ut rectè docet *P. Suarez de pœnit. d. 52. s. 2. n. 1.* ubi ait, quòd oportet, et sufficit, ut *confessarius prudenter et probabiliter judicet pœnitentem esse dispositum.* Et hoc videtur satis exprimi in *Catech. Rom. de pœnit. n. 60.* ubi dicitur: *Si audita confessione (sacerdos) judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolore pœnitenti omninò defuisse, absolvi poterit.* Ergò semper ac confessario positivè non innotescit, pœnitenti omninò defuisse dolorem, ipsum absolvere potest. Hinc Auctor sup. cit. (*Istruz. per li nov. Conf. p. 1. c. 13. n. 560.*) cum *Esparsa* sic loquitur: *Donde noi fermiamo qui per ultimo la conclusione, ch' è la chiave di tutta questa materia; non ricercarsi altro per amministrare la Penitenza, che un giudizio prudente probabile della disposizione del pœnitente. Onde se le circostanze non fondano un dubbio prudente, ch' egli non sia sufficientemente disposto, non dee il Confessore inquietare se stesso, nè il pœnitente per averne l'evidenza, che non è possibile (1).* Et huic conducit textus

(1) *Id est.* Ex his tandem deducamus hanc conclusionem quæ est quasi clavis totius materiæ præsentis: ad pœnitentiæ sacramentum conferendum nil aliud requiritur quàm judicium prudens et probabile de dispositione

c. A nobis 2. de sentent. excom. ubi dicitur: Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur, judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinione sequitur, quam et fallere sæpè contingit, et falli.

462. — Certum est 2. et commune apud omnes, quòd possit confessarius differre absolutionem pœnitenti etiam disposito, et etiam sine ejus consensu, semper ac prudenter judicet dilationem esse utilem ejus emendationi. Ita *Salm. de pœnit. c. 5. p. 4. n. 68. Lugo d. 14. n. 168. Holz. n. 587. Ronc. c. 4. q. 5. r. 1. Croix n. 1764. Viva in prop. 60. damn. ab Innoc. XI. n. 15. Carden. in eum. prop. n. 24. cum Suarez, Sa, Sanch. et aliis passim, contra paucos.* Ratio, quia pœnitens, quamvis habeat jus ad absolutionem ratione confessionis peractæ, non tamen habet jus ut statim absolva- tur; confessarius enim, cui non solum judicis, sed etiam medici competit munus, benè potest, imò meo judicio (ut supra dixi) tenetur differre absolutionem, quando judicat tale remedium esse necessariò utile saluti sui pœnitentis.

465. — Magnum dubium quod vertit est, an hoc remedium dilatæ absolutionis sæpiùs expediat adhibere, vel ne, pœnitenti jam sufficienter disposito ad absolutionem sine ejus consensu? Commune est apud DD. nullo modo expedire absolutionem differre, quando dilatio magis obfutura, quàm profutura censetur; ita *Viva in prop. 60. damn. ab Innoc. XI. n. 9. et Salm. ibid. n. 67. Lugo d. 14. n. 168. Sanch. Dec. l. 2. c. 55. n. 45. et Mazzotta t. 5. p. 577. cum aliis communiter.* Idem dicendum, cum ex dilatione absolutionis pœnitens pateretur notam infamiæ, ita *Croix n. 1764. et Mazzotta l. c. cum Sanch. Pal. Cont. Tourn. ibid. Concina, Anacl. Laym. Bon. Holz. Sporer, et aliis quos attulimus n. 455.* Extra autem hos casus sentit *Hurtadus res. 21. n. 206.* semper expedire differre absolutionem consuetudinariis, imò *Concina p. 719. n. 19. ac Juenin. et Merbes. loc. cit. dicunt tale remedium ipsis esse necessarium, ut ipsi operibus suam conversionem comprobent.* Quinimò *Juenin.* in opere de sacram. tract. de pœn. sic rigidissimè loquitur: *Qui mortaliter peccarunt, non*

pœnitentis. Unde si circumstantiæ non ingerant dubium prudens quòd non sit sufficienter dispositus, non debet confessarius illum nec semetipsum turbare ob habendam evidentiam, quæ possibilis non est.

debeant absolvi, nisi multò ad viri prudentis iudicium tempore operibus conversionem probarint... Toti antiquitati persuasum fuit contritionem non esse unius diei opus, sed multorum mensium. imò et nonnunquam annorum. Et in *Instit. theol.* t. 7. de pœnit. cap. 1. art. 1. qu. 5. addit, hoc servandum esse, etiamsi pœnitens semel patrauerit aliquod enorme peccatum, ut perjurium, adulterium, homicidium, et similia. Loquens verò de peccatore habituato, inquit, *numquam ipsum censeri dispositum ad absolutionem, nisi diu conversionem per emendationem probaverit.* Alii verò, ut *Busembaum*, *infra*, *Viva in prop.* 60. *damn. ab Innoc. XI. Dicast. d. 10. dub. 29. Croix n. 1768. Salm. tr. 6. c. 3. p. 4. n. 68.* etc. dicunt rarò expedire quòd pœnitenti disposito differatur absolutio. Melius dicendum quòd certa regula in hoc statui non possit, sed confessarius ex circumstantiis occurrentibus se dirigere debet, et postquam Deo se commendavit, ut erit à Deo inspiratus, absolutionem differat, vel impertiatur. Unde sapienter Episcopi Belgii Bruxellis congregati, in decreto ad suos. anno 1697. sic statuerunt. *Confessarius à quibusvis peccatoribus gravioribus, etiam recidivis, statà lege non exigat, ut per notabile tempus præviè exercuerint opera pœnitentiæ; sed cum SS. Patribus expendat Deum in conversione peccatoris, non tam considerare mensuram temporis, quàm doloris. Vide ap. Croix l. 6. p. 2. num. 1824.*

Ut autem hic meum proferam iudicium, dico, quòd si pœnitens relapsus sit ob causam seu fragilitatem intrinsecam, ut accidit in peccatis pollutionis, delectationis morosæ, odii, blasphemix, et similibus; rarò puto differendam esse absolutionem recidivo sufficienter disposito per signum extraordinarium. Et casu quo dilatio videtur expedire (quidquid dicant *Juenin. et Merbes.* requirentes dilationem per menses et annos), veriùs dicendum absolutionem non differri debere plus quàm ad octo, vel ad decem dies; prout dicitur ab auctore libelli cui titulus: *Istruz. per li Confessori di terre, e villaggi c. 1. §. 4.* approbati Neapoli à doctissimo et Illustr. Episcopo D. *Julio Torno*, (ibique citatur *Ludovic. Habert in Praxi S. pœnit. tr. 4. p. 417.*) et ab alio auctore jam citato (libri *Istruz. per li novelli Confess. c. 9. n. 213.*). Hi censent dilationem mensis esse excessivam et periculosam, quia post tantum temporis difficilè pœnitentes redibunt. Et huic favet

N. SS. P. Bened. XIV. in sua Epist. Encycl. quæ incipit, Apostolica, ubi alloquens confessarios, qui ex justa causa differunt pœnitentibus absolutionem, sic hortatur: *Illos ut quantocius revertantur, invitent; atque animos addant, ut ante reditum ea quæ illis agenda præscribuntur, ritè perficiant, ex quo fiet, ut ad sacramentale forum regressi, absolutionis beneficio donentur.* Ad summum dico absolutionem differendam usque ad quindecim dies. Dixi 1. si pœnitens sit relapsus ex causa intrinseca; nam si reinciderit ex occasione extrinseca, dico absolutionem omninò differendam esse usquedum tollatur occasio, si sit voluntaria; si verò necessaria, donec periculum recidendi ex proximo fiat remotum. Et ad hoc ordinariè loquendo certè non sufficiet dilatio 10 vel 15 dierum. (*Vide quæ diximus de hoc puncto supra n. 452. Quæst. III.*). Dixi 2. rarò, nam regulariter censeo non discendum à sententia communi, quam tradunt *Sanch. Dec. l. 2. c. 52. n. 43. Laym. c. 6. n. 10. Lugo d. 14. n. 106. Fill. tr. 7. Instruct. c. 3. Abelly de pœn. c. 3. s. 20. n. 5. Dicast. d. 10. dub. 29. Nav. c. 3. n. 21. Croix n. 1822. cum communi* ut asserit, *Salm. de pœnit. c. 5. p. 4. n. 68. circa fin. Spor. c. 2. num. 150. Tol. l. 3. c. 15.* nempe non esse differendam absolutionem pœnitenti, qui relapsus est ex intrinseca fragilitate, quia in tali pœnitente magis sperandum profuturam fore gratiam sacramenti, quàm dilationem absolutionis.

464. — Sed dices, cur differenda est absolutio pœnitenti qui est in occasione extrinseca, et non illi qui relapsus est ex prava consuetudine, eum eodem modo impellat ad peccandum occasio extrinseca, ac prava consuetudo? Respondetur: Alio quidem longè diverso modo ad peccatum impellit occasio extrinseca, quàm pravus habitus; occasio enim per objecti præsentiam, quæ vividas excitat cogitationes, vehementer movet sensus pronos ad peccandum, affectumque ad peccatum reddit intensiorem; et ideò pœnitens maximam sibi vim inferre debet, non solum ad superandam tentationem, sed etiam ad conandum, ut periculum per fugam familiaritatis cum persona complicitis ex proximo fiat remotum. Prava autem consuetudo, eum non habeat objectum extrinsecum præsens, non ita utique sicut occasio ad peccandum impellit; unde fit, ut pœnitens minorem vim sibi inferre debeat ad abstinendum à pec-

cato. Præterea, cùm pravus habitus sit quid intrinsicum et inseparabile à persona, extirpatio habitus minus, quàm remotio occasionis, pendet à propria voluntate; et ideo magis sperandum, fore, ut Deus bonam voluntatem per majora auxilia adjuvet ad perseverandum. His positus, imprudenter agit confessarius, si absolvit eum qui est in occasione extrinseca, saltem antequam experiatur quòd ille per fugam reddat periculum remotum; nam aliàs eum relinquit in probabili periculo infringendi propositum, eò quòd talis pœnitens post obtentam absolutionem facillè negliget fugam necessariò adhibendam, et sic sine dubio relabetur. E converso prudenter absolvitur recidivus ex causa intrinseca, si verè est dispositus per signum extraordinarium doloris; quia periculum in eo infringendi propositum est magis remotum, cùm ex una parte non adsit causa extrinseca ad peccatum impellens, et ex alia majora Deus præbebit auxilia pœnitenti ad extirpandum pravam habitum, qui ipsi nolenti a detestanti inest; hinc magis sperandum, fore, ut ille emendetur per auxilium gratiæ in sacramento susceptæ, quàm per dilationem absolutionis. Sæpè juvat (ait doctus P. La Croix, qui egregiè tractat de hoc sacramento pœnitentiæ) *relapsis absolutio, tum ob auxilia gratiæ quæ confert sacramentum, et quibus potest muniri absolutus, quia pia exercitia ab efficacia sacramenti habent majorem vim, eruntque Deo gratiora et efficaciora, utpote facta ab amico Dei, et ex institutione Christi inerit eis major vis satisfactoria; tunc etiam spes est usurum ferventius medijs præscriptis, nam dilatio multos offendit, quia non redeunt, sed redduntur obdurati.* Idque expressè approbatur à D. Th. Suppl. q. 25. a. 1. ad 4. ubi inquit: *Dicendum quòd majus remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia, quàm ex assuetudine nostrorum operum.* Hinc rectè dicunt Salm. de pœnit. c. 5. p. 4. n. 68. *in fine: Cur de peccatore non habente gratiam per dilationem, quàm de constituto in amicitia Dei per absolutionem meliùs sperandum est?* Et præsertim quoad peccatum pollutionis Toletus l. 5. c. 15. sic inquit: *Vix puto esse aliud efficacius remedium quàm frequentissimam confessionem adhibere; est enim hoc sacramentum maximum frænnum, et qui hoc non utilis, non sibi promittat emendationem nisi per miraculum.* Hocque remedio frequentis confessionis pro recidentibus in tale vitium legimus D. Philippum

Nerium maximè usum fuisse. Et huic doctrinæ alludit id quod habetur in Rituali Romano de sacr. pœnit. ubi: *In peccata facillè recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpè confiteantur, et si expediat, communicent.* Ergò Rituale, dum dicit remedium frequentis confessionis utilissimum esse facillè recidentibus in peccata, supponit pravam habitum ab eis non adhuc esse avulsam; sed, hoc non obstante, docet gratiam sacramenti multum conferre ad emendationem.

Quidam rigiditatibus addicti, qui per unicum rigoris trahunt animas conducunt, nimis generaliter loquentes, asserunt omnes recidivos perversiores fieri, cùm absolvuntur antequam emendantur. Sed hos magistros meos rogarem, numquid recidivi, cùm sine absolutione dimittuntur, gratiæ sacramenti carentes, omnes validiores fiunt, et emendantur? Quot miseros ipse cognovi, qui ob denegatam absolutionem se dejecerunt in desperationem, et per plures annos à sacramento aversi aberrarunt? Cæterum unusquisque in hoc puncto impertiendæ vel differendæ absolutionis dirigere se debet juxta lumen à Deo sibi donatum. Hoc certum est, quòd in hac materia tam errent, qui æquo sunt faciliores, quàm qui æquo rigidiores sunt in absolvendo; utrumque extremum perniciosum; multi enim confessarii ob nimiam facilitatem absolvendi in causa sunt, ut plures animæ in perditionem abeant; sed alii ob nimiam rigiditatem non minoris sunt detrimenti. Unde haud scio, utrum confessario minori scrupulo debeat esse indispositos absolvere, quàm dispositos dimittere. Tandem, ut meæ conscientiæ dictamen exponam, sic concludo: Aliquando poterit alicui recidivo prodesse dilatio absolutionis. Semper quidem proderit detertere hujusmodi relapsos ex intrinseca fragilitate, negationem absolutionis minando. Ordinariè verò loquendo magis proderit eis absolutionem impertiri, cùm dispositi accedunt per signum extraordinarium doloris. Utinam dico et omnes confessarii absolverent recidivos cùm solum signa extraordinaria illi afferunt! Sed quod dolendum est, maxima pars confessariorum undique, nullo prorsus signo extraordinario exhibito, indiscriminatim sine ulla admonitione, nulloque præstito remedio, hujusmodi relapsis semper absolutionem impertiuntur, et hoc est unde ruina tot animarum emanat.

DUBIUM III.

QUALIS CONFESSIO REQUIRATUR.

ARTICULUS I.

An debeat esse integra materialiter?

- 463 Quæ sit integritas materialis?
 466 Quantum extendatur numerus, dicendo plus minus? Et quomodo exquirendus numerus in consuetudinario?
 467 An sint necessariò explicandæ circumstantiæ aggravantes?
 468 Qu. I. Quot sententiæ sint in hac quæstione? An in furto explicanda sit quantitas?
 469 Quær. II. et Dub. 1. An incestus cum consanguineis differat specie ab incestu cum affinibus?
 470 Dub. 2. An in peccato incestus cum consanguineis explicandi sint gradus consanguinitatis?
 471 Plura notanda circa examen conscientiæ, et integritatem confessionis.
 472 An peccata mortalia dubia necessariò sint confitenda?
 473 Dub. 1. An teneamur confitèri mortalia positivè dubia?
 474 Dub. 2. An mortalia negativè dubia?
 475 Quid si quis velit Eucharistiam recipere?
 476 Quid si quis sit scrupulosus, vel timoratæ conscientiæ?
 477 Dub. 3. An teneatur quis confitèri aliquod mortale in dubio an illud sit confessus?
 478 Dub. 4. An, qui confessus est mortale uti dubium, teneatur repetere quando certum agnoscit? Quid, si pœnitens post confessionem sciat materiam sui peccati fuisse gravem, sed ipse nullo modo id noverit tempore quo peccatum commisit?

463. — **R**ESP. Ad confessionem per se, et ordinariè requiritur integritas materialis, sita in eo, ut postquam diligentius te excusseris, et conscientiæ tuæ sinus, et lateras (ita loquitur Trident. sess. 14. c. 5.) exploraveris, confitearis omnia mortalia memoriæ occurrentia, nondum confessa, eorumque numerum, et circumstantias, quæ speciem mutant. Patet ex Trid. l. c. et est certum. Ratio est, quia aliàs nec iudicium sacramentale rectè administrari, neque æquitas in pœnis statuendis servari potest.
 « Dicitur 1. per se, et ordinariè: quia per accidens, et extraordinariè sufficit integritas formalis. Vide dub. seq.

466. — « Dicitur 2. numerum, intellige certum, qui si non constet, dic probabilem, addendo plus minus. Quòd si deinde deprehendas te errasse, non tenèris iterum confitèri, nisi notabiliter fuerit major. *Fagun. Sanch. Hurt. contra Regin. Fill. et Sa.*, qui dicunt, verba illa, plus minus, tantum extendi ad unum, vel duo supra numerum indicatum». (*Lugo d. 16. n. 97. Cab. T. J. c. 10. n. 8. Tamb. et Rone. dicunt illud plus minus sic sumi: circa ter, intelligi bis vel quater: circa 10. intelligi 8 vel 12. circa triginta, 27 vel 33. circa centum, 95 et 105. circa mille, 950 et 1050.*) « Sed quamvis hoc sit verum in numero parvo, denario v. g., non tamen in aliis, v. g. centenario, millenario, etc., quia verba illa non habent sensum absolutum, sed respectivum, ad numerum, cui adduntur; qui tantò fuerit major, tantò etiam major verbis istis intelligetur, dummodo tamen sit parvus respectu alterius, cui adjungitur; quod prudentis arbitrio aestimandum est. Ita *Diana p. 5. tr. 5. r. 194. ex Navarr. Item Cardin. de Lugo d. 16. num. 94.* Quòd si autem nec probabilis haberi potest, dicenda est consuetudo peccandi, tempus, et frequentia in die, septimana, mense, vel anno. *Vide Fill. t. 7. c. 4. n. 82. Diana p. 5. t. 4. r. 94. Gasp. Hurt. d. 9. diff. 5. Lugo dist. 16. n. 79.* »
 Benè hic advertit *Spor. de pœnit. t. 5. p. 224. n. 451.* confessarium non debere esse nimis anxium circa exquirendum numerum peccatorum in pœnitente consuetudinario, quia sæpè est impossibile talem numerum certum habere; plures enim ad importunitatem confessarii solum divinando respondent centies, millies; sed quis prudens eis fidem præstabit? Unde meliùs faciet confessarius, si diligenter statum conscientiæ exquirat; et exinde interrogando pœnitentem de lapsibus plus minusve in die, vel hebdomada, vel mense, saltem in confuso numerum peccatorum apprehendat durante consuetudine commissorum, quin certum iudicium faciat, eum periculo errandi.

467. — « Dicitur 3. quæ speciem mutant: quia etsi probe habile sit, quod docent *Suar. Conc. et alii*, etiam eas quæ notabiliter in eadem specie aggravant (hoc est, quæ juxta eujusque conscientiam excedunt ordinarium peccandi modum) esse explicandas, ob rationem allatam in responsione: contraria tamen sententia, quam ex *D. Th. Sylv. Nav.*

» docent Vasq. Reg. Bonac. Lugo d. 16. s. 3., etiam proba-
 » bilis est, et tuta: saltem si excipias 1. gradus consanguini-
 » nitatis in incestu. 2. Quantitatem furti, injuriæ, etc. quæ
 » egent satisfactione. 3. Quando uno actu plures sunt occisi,
 » vel infamati, vel apud plures. 4. Odium diuturnum; quia
 » tunc solent plures actus fieri. Vide Regin. loc. cit. » (*Odium*
diuturnum, sicut etiam concupiscentia carnalis in mulie-
ratione circumstantiæ aggravantis, quàm propter numerum
peccatorum, quæ in illa diuturna mora replicantur, ut di-
cunt Salm. de pœn. c. 8. p. 2. n. 14. et alii communissimè;
vide dicta l. 2. de pecc. n. 37.) « 5. Peccatum inter confessa-
 » rium, et pœnitentem. Vide Fill. de imped. matrim. c. 5.
 » q. 5. 6. Si circumstantia invehat censuram, vel reservatio-
 » nem, vel ad necessariam pœnitentis directionem a confes-
 » sario prudenter interrogetur. »

468. — Quærit. I. An circumstantiæ peccatorum mortalium
 notabiliter aggravantes sint necessariò confitendæ? Adsunt
 tres sententiæ omnes valde probabiles.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Skar. d. 22. s. 5.
 n. 5. Soto in 4. d. 18. q. 2. art. 4. Sauch. Dec. l. 2. c. 21.
 Gonet, Man. t. 6. p. 440. Juenin. t. 7. p. 46. Genet. t. 4.
 c. 6. qu. 3. Conc. p. 505. Croix l. 6. p. 2. num. 977. Antoine
 p. 504. Wigandt tr. 5. n. 26. item Estiùs, Canus, Henr.
 Fag. ap. Salm. ibid. n. 22. et Alens. Sylv. Caj. Major, Con.
 et alii apud Dian. p. 1. tr. 7. r. 1. Probatur 1. ex Rituali
 Rom. de sacr. pœn. ubi dicitur: *Quòd si pœnitens numerum,*
speciem, et circumstantias explicatu necessarias non expres-
serit, sacerdos eum interroget. Ergò non solùm sunt expli-
 candæ circumstantiæ speciem mutantes, sed etiam notabi-
 liter aggravantes; hoc enim significant verba illa, *speciem,*
et circumstantias. Id confirmatur ex Catech. Rom. p. 2. c. 5.
 §. 7., ubi dicitur circa mortalia explicandas esse circumstan-
 tias, *quæ pravitatem valde augment, vel minuunt.* Probatur
 2. ratione, quia eadem ratio, quæ suadet circumstantiis
 speciem mutantes esse confitendas, urget etiam pro circumstantiis
 notabiliter aggravantibus, eùm utraq; judicium confessarii
 notabiliter mutent. Nec officit, quòd Trident. sess. 14. c. 5.,
 tantùm primas docuerit confitendas; nam respondet P. Sua-
 rez, quòd concilium tantùm voluit definire id quod certum

erat, hanc verò quæstionem in opinione theologorum inde-
 cisam reliquit.

Secunda sententia, quam tenet Sporer de pœn. c. 5. §. 5.
 n. 410., citans pro se Laym. et Suar. (adhæretque Busemb.)
 dicit necessariò esse confitendam circumstantiam *quid*, quæ
 scil. attingit integritatem substantialem peccati in individuo,
 prout est quantitas furti. Ratio, quia aliàs confessarius non
 poterit efformare debitum judicium de substantia peccati.

Tertia sententia mihi probabilior negat esse obligationem
 confitendi circumstantias aggravantes, et hanc tenent S. An-
 ton. 5. p. tit. 14. c. 19. §. 7. et tit. 17. c. 17. §. 5. S. Bernard.
 Sen. t. 5. de confess. S. Bonav. in 4. d. 17. p. 3. art.
 2. q. 5. Soto in 4. d. 17. q. un. Cabassut. Theor. Jur. c.
 10. n. 15., asserens hanc esse graviorem et communiorem
 cum Pal. Nav. Vasq. etc. Pal. tr. 25. d. un. p. 9. Bon.
 q. 5. s. 2. p. 2. §. 5. diff. 5. n. 5. Tolet. l. 5. c. 7. n. 7.
 Holzm. n. 471. Salm. de pœn. c. 8. p. 2. n. 25. Ronc. c. 2.
 q. 6. (qui à prima sententia se revocavit) Lugo d. 16. sect. 5.
 cum Scoto, Nav. Adrian. Reg. et probabilem putant Suarez
 l. c. n. 15. Abelly p. 157. vers. Quæres, et plurimi alii cum
 Diana loc. cit.

Probatur 1. ex D. Th. in 4. d. 16. q. 5. art. 2., qui suâ
 auctoritate magnum quidem pondus huic sententiæ præsti-
 tit; oportet autem hic ejus textum integrum transcribere,
 ut pateat S. Doctorem pro hac sententia certè fuisse; ibi sic
 docet: *Quidam enim dicunt, quòd omnes circumstantiæ,*
quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confitèri
necessitatis est, si memoriæ occurrant. Alii verò dicunt, quòd
non sint de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ quæ
ad aliud genus peccati trahunt; et hoc probabilius est; sed
addendum est, quæ ad aliam speciem mortalis trahunt;
cujus ratio est, quòd venialia non sunt de necessitate confes-
sionis, sed solùm mortalia, quæ quantitatem infinitam quo-
dammmodo habent: et quia circumstantiæ aggravantes, quæ
aliam speciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt qui-
dem, sed non mortalis peccati, non sunt de necessitate con-
fessionis; tamen eadem confitèri perfectionis est, sicut de ven-
ialibus dictum est. Communiter conveniunt AA. D. Thomam
in hoc loco nostram sententiam tenuisse et signanter Canus
in Recoll. de pœn. p. 2. §. Sed enim, p. 559. ubi ait: D. Tho-

mas expressè tenet solas circumstantias, quæ speciem mutant, esse confitendas. Idem sentit S. Anton. ut infra videbimus. Idem Sotus ap. Juenin. l. c. p. 468. ubi dicit : *D. Th. sententiâ mutasset, si vitam usque ad finem suæ Summæ produxisset.* Hæc tamen prophetia est P. Soti, non verò sententia D. Thomæ. Attamen P. Conc. p. 503. n. 4., aliter explicat præfatum textum, et dicit, quòd S. Doctor non loquitur ibi de circumstantiis, quæ adjiciunt malitiam constituentem peccatum mortale, sed de iis quæ confinia peccati venialis non transiliunt; idque deducit ex ratione, quam S. Thomas ibi subdit: *Cujus ratio, quia venialia non sunt de necessitate confessionis, sed solum mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent.* At veniâ tanti viri non videtur hæc interpretatio locum habere; nam respondetur 1. quòd quæstio, quæ à D. Thoma ibi proponitur, est signanter de circumstantiis, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt. Illud autem notabilem quantitatem non potest quidem intelligi circa peccatum veniale, sed circa mortale, primò quia nullus unquam de hoc dubitavit; quis enim dixit aut censeri potest dixisse, circumstantias peccati venialis esse necessariò confitendas, cum apud omnes comperit sit ipsa venialia non esse de necessitate confitenda? Secundò, quia D. Thomas ibi loquitur de circumstantiis, quæ notabilem quantitatem peccato addunt, hæc autem notabilis quantitas necessariò debet intelligi de circumstantia peccati mortalis, non autem venialis. Et quòd ita sit, clarè patet ex ratione illa quam subdit S. Doctor, *quòd venialia non sunt de necessitate confessionis;* quæ quidem ratio non jam respicit suam principalem sententiam, ut intelligit P. Conc., nempe quòd non oporteat confiteri circumstantias notabiliter aggravantes, utpote quia sunt venialia: sed respicit illud: *Addendum est* (quod immediatè præcedit), *quæ ad aliam speciem peccati mortalis trahunt.* Quibus verbis apertè D. Th. significat, quòd circumstantiæ peccati mortalis mutant speciem certè sunt confitendæ, quia hæc quantitatem infinitam quodammodo habent; non verò circumstantiæ peccati venialis, etiamsi sint diversæ speciei, et de hoc rationem reddit, *quòd venialia non sunt de necessitate confessionis.* Deinde id clariùs confirmat addens: *Et quia circumstantiæ aggravantes, quæ aliam speciem peccato non tri-*

buunt, vel quæ tribuunt quidem, sed non (nota) mortalitatis peccati, non sunt de necessitate confessionis. Ergò S. Doctor distinguit inter circumstantias quæ tribuunt aliam speciem, sed non peccati mortalis, et inter circumstantias quæ non tribuunt novam speciem (id est peccati mortalis, ut sine dubio intelligendum, aliàs comparasset peccatum veniale cum veniali), et utrasque circumstantias dicit non esse de necessitate confessionis. Hinc S. Anton. dict. §. 7. D. Thomam sequens dicit: *Et illas quidem circumstantias quæ trahunt peccatum in aliam speciem, de necessitate oportet confiteri secundum Thomam; alias circumstantias confiteri, cum non sint venialia de necessitate confessionis, perfectionis est, et non necessarium.* Deinde, postquam alias species circumstantiarum exposuit, inquit: *Tertiæ sunt quæ important disconvenientiam, ut furari multum (puta, prout inferiùs addit) furari centum florenos multò gravius est, quàm furari unum; et istas quæ peccatum aggravant confiteri est perfectum, sed quia non mutant speciem, nec aggravant in infinitum, non est necessarium eas confiteri secundum Thomam:* additque, *Petrus de Palude* asserere hanc esse communem sententiam. Unde concludit S. Archiepiscopus, confitendas tantum circumstantias, quæ mutant speciem, et aggravant in infinitum, adducens exemplum de furto in loco sacro.

Probatur 2. rationibus. Ratio 1. quia in Trident. sess. 14. cap. 5., sic dicitur: *Eas circumstantias in confessione explicandas quæ speciem peccati mutant, quòd sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, neque iudicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, et pœniam quam oportet pro illis pœnitentibus imponere.* Ex quibus verbis videtur non obscure concil. excludere obligationem confitendi alias circumstantias quàm mutant speciem: quia has sufficere satis innuit ad hoc, ut confessarius rectum efformet iudicium de gravitate criminum, et de pœnâ imponenda. Ratio 2. quia alias pœnitentes semper inter angustias fluctuant, cum semper dubitare possent de integritate suarum confessionum, in determinando quæ circumstantiæ sint vel ne notabiliter aggravantes: et ideò dicit D. Th. l. c. qu. 5. ad 2. *Determinata quantitas peccati non potest sacerdoti innotescere, quia nec ipse peccator scit; unde sufficit quòd cognoscas quantitatem*

quæ ex specie peccati consurgit. Unde hujus sententiæ Lugo assignat rationem à priori, dicens, quòd Christus nihil aliud præcepit quàm confessionem peccatorum; qui autem explicat circumstantias mutantes speciem peccati, jam verè confitetur et explicat essentiam, cum peccati quidditas sive essentia tantum sumatur ex ipsius ratione specifica. Ratio 3. quia si teneremur manifestare circumstantias notabiliter aggravantes, teneremur etiam confitèri notabiliter minuentes, nempe si quis peccavit ex ira, metu, intensiori passione, ex inductione aliorum, et similibus; quam obligationem etiam adversarii negant. Ratio ultima et potior, quam tradunt doctissimus Cabassutius, Lugo, Salm. et Roncagl., est, quia nemo tenetur servare legem dubiam, ut fusè probatum est in *moralis systemate*, lib. 1. de conscientia, cum communi DD. ex S. Isidoro in c. *Erit autem*, dist. 4. et c. *Cum in jure*. 51. de offic. et pot. jud. del. et c. *Suam de simon. et ex D. Th. Quodlib. 14. de verit. q. 17. art. 3.* ubi ait: *Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientiâ illius præcepti.* Scientia autem ut certum est apud omnes, et docet idem *D. Th. p. 1. q. 1. art. 2.*, est certa notitia alicujus rei; unde cum lex confitendi circumstantias aggravantes sit valde dubia, ad illam non tenemur, et ideò (benè ait Lugo) Tridentinum non explicavit hanc obligationem illas confitendi, quia non satis concilium id colligere potuit ex Christi verbis, et sacramenti institutione.

Nec obstat 1. Rituale Rom. dicens esse obligationem confitendi speciem, et circumstantias explicatu necessarias. Nam resp. quòd aliquando etiam adest obligatio confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, ut rectè dicunt Lugo d. 16. n. 121. et Salm. de pœnit. c. 8. p. 2. n. 27., quando scilicet inducunt censuram, vel reservationem, aut quando (ut diximus) confessarius interrogat, putatque necesse id seire ad medicinam, vel restitutionem imponendam. Quoad auctoritatem Catechismi oppositam, videtur quòd illa nimis probat, nam videtur imponere obligationem explicandi circumstantias non solum aggravantes, sed etiam minuentes, quod non est credibile, quis enim unquam dixit, quòd si quis confiteretur homicidium, et taceret illud commisisse ex vehementi passione, vel in rixa, sacrilegam faceret confessionem? Unde debemus fatèri hic mentem Catechismi non satis intelligi.

Non obstat 2. dicere, quòd circumstantiæ notabiliter aggravantes debeant explicari, ut confessarius debitam pœnam imponat. Nam benè respondet Lugo, in pœnitentia injungenda non requiri omnimodam, sed tantum quamdam æqualitatem, quæ utique servari potest, si manifestetur species peccati, licèt non explicentur circumstantiæ aggravantes. Hinc *D. Th. l. c. ad 2.* ubi hanc quidem objectionem sibi efformat, sic respondet: *Sufficit, quòd sacerdos cognoscat quantitatem, quæ ex specie peccati consurgit.* Non obstat 3. dicere quòd prima opinio saltem est tutior, et ideò omninò servanda in materia sacramenti ex prop. 1. damn. ab *Innoc. XI. n. 107. et Croix n. 978.* quòd qui sequitur secundam sententiam, non exponit sacramentum periculo nullitatis, cum ad valorem sacramenti sufficiat confessio formaliter integra, quæ jam probabiliter habetur in confessione peccatorum, etsi non explicentur circumstantiæ aggravantes. Unde etiam infertur, quòd qualibet opinio probabilis negans aliqua peccata differre specie, non subjacet damnationi, quia si fortè ante Deum est falsa, nihilominus jam adest confessio formaliter integra. Hinc probabiliter dicunt *S. Anton. l. c. Lugo d. 16. n. 12. et Salm. de pœnit. c. 8. d. 2. n. 25. cum Pal. et Dicast.* quòd per se loquendo pœnitens non tenetur quantitatem furti explicare. Dicitur *per se loquendo*, nam aliunde, quia ut plurimum confessarius inquirere debet de quantitate furti, ad hoc, ut sciat quomodo se gerere debeat circa absolutionem impertiendam, et obligationem restitutionis imponendam; ideò ut plurimum tenetur pœnitens confitèri in furto circumstantiam quantitatis.

469. — Quær. II. Utrum qui commisit incestum, explicare debeat qualitatem, atque gradum? Duo igitur hic vertunt dubia:

Dubitatur 1. An incestus cum consanguineis differat specie ab incestu cum affinibus? affirmant *Lessius l. 4. c. 5. n. 79. Salm. de 6. præc. Decal. c. 5. p. 4. n. 50. Ronc. de 6. præc. c. 5. q. 2. Croix l. 6. p. 2. n. 1074. et alii.* Ratio, quia, ut dicunt, licèt omnes incestus eandem reverentiam sanguinis debitam offendant, diversa tamen difformitate eam ledit incestus cum consanguineis, quàm incestus cum affinibus; nam inter consanguineos conjunctio provenit ex vinculo intrin-

seco, id est ab identitate ejusdem sanguinis per generationem accepti; conjunctio autem inter affines provenit ex vinculo extrinseco, nempe ex copula habita cum ipsorum consanguineis. Alii tamen probabilius negant differre incestum cum consanguineis ab incestu inter affines, ut *Lugo d. 16. n. 515. et 516. Sanch. de matr. d. 16. num. 7. et 8. Tamb. in Meth. Conf. c. 7. §. 7. num. 48. cum Megala, Soto, et Caj. in 2. 2. q. 154. a. 9.* Ratio, quia (ut ait *Lugo*) materialiter se habet, quòd conjunctio oriatur ex sanguine, aut ex matrimonio, cum ex eodem motivo prohibetur copula cum consanguineis, quam affinis. Et pro hac sententia sine dubio est *D. Th. 2. 2. q. 154. a. 9. ad 2.* ubi sic docet: *Persona affinis jungitur alicui propter personam consanguinitate conjunctam, et ideo quia unum est propter alterum ejusdem rationis, inconvenientiam facit consanguinitas, et affinitas.*

Benè tamen excipiendum puto incestum inter privignum et novercam, interque socerum et nurum, ut dicunt *Salm. de pœnit. tr. 26. c. 5. d. 4. n. 51. in med.* et indicat *Lugo n. 516.* Ratio, quia debitum reverentiæ, quod est motivum speciale prohibendi congressum parentum cum filiis, est etiam motivum prohibendi copulam inter novercam et privignum, vel socerum et nurum. Incestus autem cum affinis, extra primum gradum, commune est inter DD. esse ejusdem speciei.

470. — Dubitatur 2. An in confessione sint explicandi omnes gradus incestus commissi cum consanguineis usque ad quartum gradum.

Prima sententia affirmat cum *Nav. c. 7. num. 4. et Angel. Vasq. Suar. etc. ap. Salm. ibid. n. 55.* Ratio, quia est specialis reverentia inter unum gradum consanguinitatis, et alium. Idem tenent *Bon. de matr. q. 4. p. 16. n. 7. cum Laym. Con. Valent.*, sed alia ratione ducti, quia aliàs non explicaretur substantia sive individuum peccati.

Secunda sententia docet, solum incestum cum consanguineis in primo gradu, tam lineæ rectæ quam transversalis, specie differre ab aliis gradibus. Quoad primum gradum lineæ rectæ, hæc sententia videtur omninò tenenda (contra *Tamb.*) tanquam communis cum *Salm. ibid. n. 56. Caj. Lug. Ronc. etc.* Ratio, quia cuique patet hujusmodi incestum longè esse diversum ab aliis; imò rectè *Lugo de pœn. d. 16. n. 514. et Cont. Tourn. de 6. præc. art. 4. concl. 2.* docent explicandum,

an pater peccarit cum filia, vel cum matre filius, cujus culpa habet diversam malitiam ratione specialis reverentiæ matri debite. An autem differat incestus in primo gradu lineæ rectæ ab aliis ejusdem lineæ gradibus? Affirmat *Croix cum Bonasp.*, sed negat probabilius *Lugo n. 515.* Majus dubium est, an incestus cum consanguineis, in primo gradu lineæ transversalis, nempe cum fratre aut sorore, differat specie ab aliis gradibus? Affirmat *Less. l. 5. c. 5. n. 79. Lugo n. 145. Salm. ibid. n. 28. 51. et 55. Ronc. de 6. præc. c. 5. q. 2. Croix l. 6. p. 2. n. 1074. et Sanch. de matr. l. 7. d. 52. n. 11.* Ratio, quia reverentia, quæ debetur fratribus vel sororibus, est diversæ rationis ab ea quæ debetur aliis consanguineis; còtus enim cum sorore videtur ab ipso jure naturæ interdicitus. Quoad cæteros verò gradus consanguinitatis, dicunt *Less. n. 90. Ronc. l. c. et Salm. de 6. præc. decal. c. 5. p. 4. n. 56. in med. et de pœnit. c. 8. p. 2. n. 51. in fin.* non differre specie incestum; sed gradum propinquiorem inducere circumstantiam tantum aggravantem.

Tertia sententia, quam tenent *Cajet. in S. Th. 2. 2. q. 154. a. 9. Bon. l. c. n. 6. Pal. d. 4. part. 7. num. 11. Pontius c. 52. n. 5. Tamb. c. 7. §. 7. n. 48. cum Megala, Dian., etc.* item *Palud. Gabr. Vict. Nav. Arm. Vega, Henr. Led. Scotus, Abul. Soto, ac alii multi apud Sanch. l. c.* (qui cum *Fill.* vocat valde probabilem) censet, omnes incestus inter consanguineos, excepto tantum primo gradu in linea recta, esse ejusdem speciei. Ratio 1. quia, excepto dicto primo gradu lineæ, alii gradus tantum constituunt circumstantiam aggravantem, quam explicandi valde probabile est (ut vidimus *suprà n. 468.*) non esse obligationem. Ratio 2. quam assert *Caj.* est, quia commixtio conjugalis inter consanguineos, præterquam cum parentibus, est tantum vetita ab Ecclesia, non verò de jure naturali; olim enim jam licitum fuit filiis Adam suis sororibus copulari. Nec obstat dicere, quòd sive malitia talium incestuum oriatur ex lege naturali, sive ex prohibitione Ecclesiæ, semper hujusmodi incestuosi peccant contra reverentiam, quæ conjunctis debetur; Ecclesia enim, cum aliquid præcipit, ponit materiam præceptam in ea specie virtutis, ratione cujus illud præcipit, Ecclesia autem propter eandem reverentiam sanguini debitam jubet ab his congressibus fideles abstinere. Nam respondetur, quòd licet Ecclesia, prohibendo

commixtionem propinquorum usque ad quartum gradum, elevaverit hujusmodi abstinentiam ad virtutem pietatis naturaliter debite sanguine junctis, non per hoc tamen effecit, quod propinquitas horum graduum induceret diversitatem specificam naturalem; naturalis enim diversitas specifica graduum tantum est desumenda ex difformitate per se naturali, quæ probabiliter non adest inter gradus consanguinitatis (præter primum lineæ rectæ, ut diximus), magis enim et minus non variant speciem. Et pro hac sententia videtur indubitanter esse (ut non dubitat *Cont. Tourn. loc. cit. in fine*, licet hic auctor sit pro contraria sententia) etiam *D. Th. 2. 2. q. 154. a. 9. ad 5.* ubi sic ait: *In commixtione personarum conjunctarum aliquid est, quod est secundum se indecens et repugnans naturali rationi, sicut quod commixtio fiat inter parentes et filios, quorum est per se et immediata cognatio, nam filii naturaliter honorem habent parentibus.... Aliæ verò personæ, quæ non conjunguntur secundum seipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex seipsis indecentiam, sed variatur circa hoc decencia vel indecentia secundum consuetudinem, et legem humanam, vel divinam, id est positivam de jure divino. Et idem videtur docere *D. Augustinus (ap. D. Th. in eod. a. 9.)* dicens: *Commixtio sororum et fratrum quantò fuit antiquior compellente necessitate, tantò postea facta est damnabilior religione (id est Ecclesia) prohibente. Prima sententia est minùs probabilis; secunda et tertia æquè probabiles videntur.**

471. — « 1. Ad integritatem confessionis prærequiritur » diligens examen, pro capacitate poenitentis, temporis mora, » et cæteris circumstantiis. Ad id autem sufficit diligentia » mediocris, qualem vir prudens in arduis negotiis adhibet, » vel qualem moraliter loquendo docti, et timorati adhibere » solent, etiamsi quis putet, majore diligentia plura se reper- » turum. *Bon. t. 1. d. 5. qu. 5. Laym. lib. 5. tr. 6. c. 8.* Post » mediocrem autem istam diligentiam non tenetur de an- » teacta vita ulterius cogitare; et si quid occurrat, quod » videatur non esse in confessione explicatum, potest sibi » persuadere, cum cæteris id memoratum fuisse. *Dian. p. 5. t. 4. r. 107. ex Sanch.* Animadvertite tamen prop. 11. inter » proscriptas ab *Alex. VII.*

« 2. Examen hoc à confessario potest supplèri, quod

» tamen *Suarez* reprobatur in confessionibus longis diligen- » tiorum, eò quòd impossibile ferè sit, ut quis diligenter » rogatus omnia recordetur; et tantum admittit in rudibus: » (*Adverte id quod habetur circa hoc in Catech. Rom. part. 2. c. 5. n. 60. ubi: Si sacerdos hujusmodi homines prorsus imparatos cognoverit. humanissimis verbis à se demittet, hortabiturque, ut ad cogitanda peccata aliquod spatium sumant, ac deinde revertantur. Quòd si fortè affirmaverint se in eam rem omne studium contulisse, quoniam sacerdoti maxime reverendum est, ne semel dimissi amplius non redeant, audient erunt, præsertim si emendandæ vitæ studium aliquod præ se ferant, adducique possint, ut negligentiam suam accusent, quam se alio tempore accuratâ meditatione compensaturos promittant.*) » quos etiam monet *Sa. verb. Confessio*, » bonâ fide confessos non nimis rogandos de confessionibus » præteritis, nisi intelligatur aliquid necessarium defuisse. » *Vide Fagund. Dian. p. 5. t. 4. r. 89.* » (*Vide dicenda n. 505.*)

« 5. Non est necessarium peccata scribere, ne memoriâ » excidant, ut contra *Bon. docent Suar. Vasq. et alii.* Imò » *Sotus* dicit id non consulendum, ob periculum evulga- » tionis. Melius tamen *Laym. Conin. et alii* asserunt suaden- » dum esse, dummodò vitetur anxietas nimia, propter quam » scrupulosis prohiberi potest.

« 4. Invalida est confessio non integra, ex ignorantia, » vel negligentia moraliter culpabili, ut verius docent *Suar.*; » et alii communiter, contra *Sot.*, quia *Trident.* requirit » diligens examen.

« 5. Non officit integritati, per se loquendo, si quis sub- » inde gravius lapsus, id alteri prius confiteatur, et deinde » ordinario suo venialia tantum (qui imprudenter id ægrè » feret, prohibebit, aut reprehendet); nisi tamen eâ occa- » sione maneat in morali occasione peccandi, aut ideo cir- » cumeat, ut liberiùs peccet; tunc enim graviter peccabit, » et ob defectum attritionis confessio erit nulla. Ita *Fill. Laym. l. 3. t. 6. Card. de Lugo d. 16. n. 57.*

« 6. Ex circumstantiis minuentibus illæ tantum explicandæ » sunt, quæ vel omninò tollunt malitiam, vel ex mortali » faciunt veniale, ut parvitas materiæ, indeliberatio, etc. » (verba gratiæ si die veneris ignorans comedisset carnes);

» vel aliqui notabiliter mutant iudicium confessarii ; saltem
» quoad speciem.

472. — « 7. Ad servandam integritatem confessionis , pec-
» cata mortalia dubia ut dubia , loquendo de dubio propriè
» dicto , sunt aperienda , ut docent *Suar. in 5. p. t. 4.*
» *d. 22. sect. 9. num. 7. Sanchez, Dian. Card. de Lugo*
» *d. 16. num. 65. Bon. d. 5. q. 5. sect. 2. part. 2. diff. 4.*
» *et alii commun. contra Conin.* Ratio est , tum quia pec-
» cata , quæ sunt in conscientia , debent manifestari , at
» dubia ut dubia sunt in conscientia : tum quia in negotio
» salutis , et medio ad hanc necessario non tam habet locum
» illud axioma : *Melior est conditio possidentis* , quàm hoc :
» *In dubio tutior pars eligenda est.* (Excipiuntur tamen scrupu-
» pulosi , et ii , quibus diu post patratum peccatum suboritur
» aliquod dubium , si aliàs soliti sint sollicitè confessionem
» instituire : quia non est dubium prudens). Quòd si post-
» modum accipiat notitiam certam , idem rursus esse confi-
» tendum tanquam certum , docent *Tur. et Sanchez 1. mor.*
» *c. 10. n. 69.* Dubitat tamen *Card. de Lugo d. 16. sect. 2. n.*
» *79. et 92.* suadetque id ut securius. *Vide Diana p. 5. t.*
» *4. res. 60. et 107.* Si verò peccatum confessus sit ut certum ,
» et postea de eo dubitet , an fecerit , non tenetur iterùm
» confitèri ut dubium. *Lugo , et Tamburin. exped. conf. d. 1.*
» *c. 1.* qui idem censent , etsi postmodum certò comperiat ,
» se non fecisse. Monent autem *Suar. et Tamb. l. c.* si quis
» sola peccata dubia confiteatur , monendum , ut addat ali-
» quòd certum ex aliàs confessis ; quòd si id haberi non
» possit , absolvendum sub conditione.

475. — Quæritur igitur , an sit obligatio confitendi pec-
cata mortalia dubia , vel in dubio an fuerint confessa ? Tres
questiones hic occurrunt discutiendæ , valde scitu necessariæ
ad praxim. Dubitatur 1. an teneamur confitèri mortalia po-
sitivè dubia , nempe si utrimque adsint rationes probabiles ,
quòd peccatum mortale fuerit vel non fuerit commissum ?

Prima sententia affirmat , et hanc tenent *Merbes. de Euch.*
p. 548. q. 5. Hab. t. 6. p. 244. qu. 6. Concina t. 9. p. 529.
n. 40. et alii antiprobabilistæ , qui dicunt in opinionibus æquè
probabilibus tutiorem sequendam esse.

Secunda sententia verò communissima negat , eamque te-
nent *Sanch. l. 1. Dec. c. 10. n. 76. Suar. in 5. p. t. 4. d. 22.*

sect. 9. n. 6. (ubi hanc tuetur , etiãsi probabilius sit pecca-
tum esse commissum) *Sylvest. v. Confessio 2. qu. 1. §. 5. Syl-*
vius in 5. part. qu. 6. art. 4. ad 5. Ronc. c. 2. q. 7. Anacl.
p. 606. n. 55. Escob. tr. 15. num. 185. Bonac. d. 4. qu. 4.
part. 1. Holzm. p. 112. n. 458. cum communi, Viva de
Euch. qu. 4. art. 7. n. 9. (pariter asserens esse communem)
Tambur. Meth. Comm. c. 1. §. 9. n. 65. (dicens hanc esse
certam apud omnes) *Fill. tr. 7. c. 4. n. 109. Diana part. 4.*
tr. 3. r. 5. Spor. de pœnit. num. 589. et Salm. de Euch. c. 7.
p. 5. n. 29. cum Gerson. Henr. Dicast. et aliis probabilistæ
communiter. Ratio , quia quisque potest licitè se conformare
opinionì verè probabili. Rectè verò advertunt *Holzm. num.*
465. et Viva loc. cit. n. 5. cum Sanch. Henr. et aliis , quòd
in articulo mortis , si quis dubitet an peccatum grave patra-
verit , vel an illud confessus sit , sciens nunquam sacramen-
tum pœnitentiæ post tale peccatum suscepisse , tunc ad effu-
giendum damnationis periculum teneretur , non jam peccatum
illud positivè dubium confitèri , sed vel absolutionem sacra-
mentalem suscipere , vel saltem actum contritionis elicere. At
hic dices : Contritio necessaria includit votum confessionis ;
unde cum possit fieri confessio , non sufficit contritio. Res-
pondet *Holzm. n. 462.* quòd contritio reverà ex se habet vim
delendi peccatum , et in tantum non delet mortalia certa sine
voto confitendi , in quantum , cum adsit præceptum divinum
illa confitendi , non verè contereretur , qui , cum posset ,
hanc obligationem nollet implere. Sed hoc currit ubi pec-
catum mortale est certum , et ideò materia necessaria confes-
sionis : non verò si peccatum est dubium ; tunc enim , cum
illud non sit materia necessaria , sicut contritio sine voto con-
fessionis delet venialia , ita et mortalia dubia.

474. — Dubitatur 2. an teneamur confitèri mortalia ne-
gativè dubia ?

Prima sententia communior affirmat , et hanc tenent *Bu-*
semb. ut supra, Sanch. l. c. n. 66. Suar. n. 7. Lugo d. 16.
sect. 2. §. 5. Pal. part. 9. num. 17. cum Nav. Sylvest. et Laym.
Anacl. p. 606. num. 54. Diana p. 10. tr. 12. n. 2. Escob. l.
15. n. 176. Tamb. Meth. Conf. l. 2. c. 1. §. 5. n. 44. Laym.
de Consc. c. 5. §. 4. n. 57. Ronc. cap. 2. q. 7. r. 1. Sporer
num. 592. Salm. de pœn. c. 8. p. 5. n. 55. ex D. Th. in 4.
d. 21. qu. 1. art. 5. ad 5. ubi sic ait : *Et similiter periculo*

se committit qui de hoc quod dubitat esse mortale, negligit confitèri. Non tamen debet asserere illud esse mortale, sed cum dubitatione loqui, et iudicium sacerdotis expectare, cuius est discernere inter lepram, et lepram. Ratio 1. est, quia in Trid. sess. 14. c. 5. sic habetur: *Oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri.* Si ergo ex concilio confitenda sunt omnia mortalia, quorum conscientia habetur; etiam sunt confitenda mortalia dubia, quorum dubia habetur conscientia. Ratio 2. quia lex confessionis est in possessione, unde in dubio peccatum est confitendum. Ratio 3. quia hæc videtur universalis, et inveterata praxis fidelium, et ideò supponitur emanasse ex Christi institutione, et per traditionem usque nunc fuisse observatam.

Secunda sententia verò negat, quam tenent *Merb. p. 548. q. 5. Habert t. 6. p. 244. q. 6.* ubi sic ait: *Qui dubitat absque ratione probabili, dubium deponere debet.* *Coninch. tr. 2. d. 7. dub. 8. Holz. p. 115. n. 459. Marchant. in Tribun. tr. 4. tit. 6. q. 5. Sa v. Eucharistia, n. 25. Mazzotta tr. 1. d. 1. q. 5. c. 5.,* et probabilem vocant *Laym. l. c. n. 57. in fine, Viva de pœn. qu. 2. art. 2. n. 7.* citans *S. Anton. Palud. Less. Tap. Prap. Amic. Haunol. etc.* item *Boss. Henr. Ferr. de Jan. etc. ap. Guimen. ac Croix l. 6. p. 2. n. 609.,* qui vocat probabiliorum ex rationibus intrinsicis. Et reverà, licèt prima sententia sit valde probabilis, et magnà auctoritate roborata, hæc tamen secunda non videtur suâ probabilitate destituta. Ratio 2. quia Tridentinum *loc. cit.* non obligat pœnitentes nisi ad confitenda omnia peccata mortalia, quorum conscientiam habent. Non dicit, uti sunt in conscientia, nempe vel ut certa, vel ut dubia, sed quorum conscientiam habent, quod importat habere notitiam certam peccati; conscientia enim (ut ait *S. Bern.*) nihil aliud est, nisi cordis scientia, et iudicium practicum de peccato commisso. Conscientia autem dubia neque est scientia, neque iudicium, sed suspensio iudicii; unde minimè diei potest habere conscientiam peccati, qui nullam rationem habet quòd illud commiserit; et sic respondetur primæ rationi oppositæ. Id confirmatur ex eodem Trid. *ibid.* ubi additur: *Constat enim nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut, postquam quisque diligentius se excusserit..., ea peccata confiteatur*

quibus se... Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa intelliguntur. Ergò sicut pœnitens non tenetur confitèri venialia, ita nec peccata dubia, cum dicat concilium, pœnitentem nihil aliud confitèri debere nisi mortalia quorum meminit, dubitare autem non est quidem meminisse, imò potius est non meminisse. Ratio 2. quia non est pro delicto dubio onus certum imponendum: nec in dubio an lex existat, adest legis obligatio (ut sapienter ait *Bened. XIV. Notif. 80. num. 19.*); nam licèt sit lex confitendi certa mortalia, et ideò qui certus est de mortali commisso, et dubitat negativè (nam si dubitet positivè, mox infra dicemus) tenetur confitèri, non tamen existit certa lex confitendi mortalia dubia. Et sic respondetur secundæ rationi oppositæ.

Nec obstat auctoritas *D. Thomæ* allata; ibi enim *S. Doctor* reverà non loquitur de eo, qui post diligentiam efformat sibi iudicium, quòd peccatum suum sit dubiè mortale, et ideò dubium deponit ex regula præfata, nempe quòd non datur certa obligatio, ubi delictum est dubium; sed loquitur de eo qui certus est de sua actione mala, et nescit discernere an fuerit vel ne mortalis, hic utique tenetur diligentiam adhibere, ut dubium deponat; unde cum nescit illud deponere, tenetur stare iudicio confessarii; cuius est discernere inter lepram et lepram. Neque obstat praxis fidelium, ut opponitur; nam respondent *Holzmann. et Elbel cum Herincx,* quòd meritò dubitatur an fideles confiteantur mortalia dubia ex persuasionem obligationis, vel an ob majus conscientie levamen; propter hoc enim fideles adsolent confitèri etiam peccata dubia positivè, quorum confessionis obligationem ipsi etiam adversarii ferè omnes non agnoscunt. Item ait *Holzmann,* quòd præfata praxis fortè sit continuata ex errore, qui non potest inducere consuetudinem obligatoriam.

475. — Hinc referunt *Henriq. l. 8. c. 45. n. 2. Sa v. Euchar. n. 25. et Gran. Leand. et alii ap. Guimen. de Euch. prop. 5. num. 2.,* non tenèri ad confessionem, qui vult communicare, et negativè dubitat, an peccaverit mortaliter, tum quia non magis urget præceptum præmittendi confessionem ad communionem, quam præceptum servandi integritatem confessionis, utrumque enim est de jure divino; tum quia præceptum

Tridentini præmittendæ confessionis (sess. 15. c. 7.) non obligat nisi eum, qui est sibi conscius mortaliter peccati, nequit autem dici conscius de suo peccato qui de illo dubitat. Sed huic obstat magna difficultas, nempe quòd accedens ad communionem cum mortali negativè vel positivè dubio, se exponat periculo frustrandi effectum sacramenti. Huic difficultati aliquis respondere posset cum Sanchez, Pontio, Vasq. Perez, Hozes, et aliis citatis l. 1. n. 51., non esse illicitum suscipiendis sacramenta uti opinione probabili, ad differentiam sacramenta conferentium, qui nequeunt ea ministrare nisi cum sententia tutiori vel saltem moraliter certa: sufficit autem ad sacramenta suscipienda; ut quis accedat probabiliter dispositus. Si quis autem nolit hæc responsione uti, debet dicere cum Holzm. oportere quòd eo casu communicaturus contraeretur, vel absolutionem sacramentalem recipiat (quamvis peccatum illud reticeat), ut obicem auferat peccati illius si fortè adfuit.

476. — Cæterùm in praxi (ordinariè loquendo) omnino suadenda est poenitentibus confessio mortalium tam negativè, quàm positivè dubiorum, cum id ordinariè prosit ad conscientie tranquillitatem. Dixi ordinariè, nam scrupulosi omninò eximi debent ab obligatione confitendi peccata dubia; ipsi enim tantùm confitèri tenentur certa mortalia, et de quibus certè nunquam sint confessi; (vide mox dicenda n. 477. in fine), ut communiter docent Sanch. d. c. 10. num. 85. Laym. n. 57. et Croix n. 611. cum Busemb. Con. Aversa, Stoz, Caj. Med. Henr. Nav. Rodr. etc.

Item eximi debent ab obligatione confitendi peccata mortalia dubia ii qui sunt timorate conscientie, et non solent deliberatè lethaliter peccare; hi enim in dubio rationabiliter, imò moraliter certò credere possent non consensisse, quia præsumptio sumitur ex communiter contingentibus; ita Croix n. 612. Bon. de pecc. d. 2. q. 2. part. 5. n. 19. et Sayr. Reg. Bosco, et Herincz apud Croix l. 1. n. 546. ac Habert t. 5. de Consc. c. 2. in fine, ubi sapienter ait: Si vir probate pietatis anxius sit, an consenserit delectationi veneræ, moraliter certus esse debet non consensisse; quia moraliter fieri nequit, ut voluntas tam firma in bono proposito mutetur, quin dilucidè advertat. Idem docent Salmant. Scholast. tr. 15. d. 10. n. 195. dicentes: Qui habet animum satis firmum in bono,

proinde nunquam aut rarò in aliquod grave consensit, et sensualitatis motus fastidio sunt, non est cur ex qualibet permissione aut non resistentia statim consensum pertineat; ea namque animi dispositio videtur sufficienter periculum auferre. Ratio hujus à priori est, quia is qui habitualiter Deo adheret, et valde timet, ne divinà gratiâ privetur, si contingat aliquando ab eo averti, magnam sibi vim inferre debet, ut remorsum conscientie contemnat, et in peccatum deliberatè se projiciat: id autem non potest agere, nisi certò advertat malum quod amplectitur; nam ut ait doctissimus P. Alvarez (apud Croix lib. 1. n. 547.): Plenus consensus in mortali est tanta iniquitas, ut celari aut ignorari non possit, sed in recenti facillè agnoscitur. Hinc Dominus dixit S. Theresiæ: Nemo me amittit, nisi certò id cognoscat. Ad præsumendum autem, quòd non adfuerit plenus consensus in homine pio, maximè prosunt hæc sequentes conjecturæ, quas tradit Croix l. 1. n. 547., nimirum: si talis serium et sæpe repetitum propositum habuerit nunquam peccandi mortaliter, et nesciat illud certò revocasse: si, cum advertit malum, terreatur, et illicò tentationem repellat, statimque dubitet, an consenserit: si meminèrit se timidè processisse: si nesciat, an in vigilia, vel somno aliquid egerit, vel cogitaverit, si enim fuisset vigilans, jam id advertisset, et sciret. E converso oppositum est censendum de eo qui est assuetus de facili in peccata mortalia prolabi, quia in dubio præsumitur iste consensisse: si enim obstitisset, utique recordaretur conatùs illius quem sibi intulisset ad tentationem repellendam. Unde rectè concludit Croix l. 6. p. 2. n. 612., quòd vix unquam in hujusmodi hominibus, tam primi quàm secundi generis, datur dubium merè negativum, præsumptio enim (ut ait cum Soto, Sanch. Moya, etc.) probabilitatem fundat consensùs præstiti, vel dissensùs.

477. — Dubitatur 5. an teneatur quis confitèri aliquod peccatum mortale certè commissum, in dubio an illud fuerit vel ne confessus? Respondetur: Si dubium est negativum, equidem tenetur illud confitèri, ut communiter docent Sanch. lib. 1. c. 10. num. 71. et Nav. Suar. Dic. ac alii passim cum Salm. de poenit. c. 8. p. 5. n. 54. Contrà verò, si dubium est positivum, ita ut ille probabiliter credat se peccatum illud jam confessum fuisse, adest sententia non tenèri ad illud

confitendum, et hanc tuentur *Suar. Nav. Sylvest. Bonac. Lugo, Salm. Croix. etc.* Verùm sicut mihi probabilis minimè visa fuit opinio alibi relata eorum auctorum, qui dicebant non esse obligationem implendi vota, quæ probabiliter impleta sunt, ita nec valeo hanc approbare sententiam quoad peccatum probabiliter confessum, cum obligatio confessionis sit certa, et satisfactio dubia. Non autem reprobo id quod iidem citati auctores tradunt, nempe quòd ille, qui diligens fuit in suis peccatis confitendis, si postea dubitat, an aliquod peccatum omiserit, postquam multum elapsum sit tempus à quo illud patravit, non tenetur ad confitendum, cum possit credere eo casu moraliter certè jam de illo confessum fuisse. Et subjungit *P. Conc. p. 538. n. 45.*, quòd si quis priùs ex prava consuetudine in plura peccata lapsus fuerit, et postea sit verè conversus per constantem vitæ integritatem, si tunc dubitet, an omiserit in confessione generali vel particulari facta cum debita diligentia aliquod peccatum vel circumstantiam, confessarius prohibeat illi ne recogitet quidem de præterita vita, sed potiùs imponat, ut piis meditationibus tempus impendat. Scrupulosi autem minimè tenentur peccata præterita confitèri, nisi certi sint quòd illa numquam confessi fuerint, ut communissimè dicunt *Cajet. Nav. Med. Hurt. Becan. Reg. etc. cum Croix n. 611.* Adduntque *ib. Sa, Stoz, et alii* scrupulosum non tenèri confitèri nisi quæ potest jurare fuisse mortalia, et nunquam dixisse. *Vide dicta de hoc lib. 1. n. 16.*

478. — Dubitatur 4. an qui confessus est aliquod peccatum mortale uti dubium, teneatur postea illud repetere, quando uti certum agnoscit?

Prima sententia negat, et hanc tenent *Tamb. Method. Conf. l. 2. c. 1. §. 4. n. 24. Holzmann. n. 489. Sporer t. 5. p. 216. cum Arriaga, Pel. etc. Escob. lib. 15. n. 17. Elbel p. 248. n. 167. cum Bosco, Stoz, Herincx, etc.*, et hanc patrocinatur *Lugo d. 16. n. 78.* Ratio, quia peccatum illud jam explicatum fuit, uti erat in conscientia tempore confessionis, jamque directè absolutum fuit.

Secunda sententia verò communis (quam sequimur) affirmat (1) et hanc tenent *Busemb. ut suprà, Bon. d. 5. qu. 7. p. 4.*

(1) « Sed vera et communissima sententia affirmat. » *Hom. Ap. tr. 16. n. 54. Edit.*

n. 15. Sanch. lib. 1. c. 10. n. 69. Roncaglia c. 2. qu. 8. Conc. p. 557. n. 59. Viva qu. 2. art. 5. Dian. p. 10. tract. 16. r. 79. cum aliis communiter, Cardenas d. 51. c. 2. in Select. qui vocat oppositam improbabilem; et Lugo loc. cit., quamvis primam sententiam tutatus fuerit, tamen sic concludit: Cæterum, quia in re morali non est facilè recedendum à communi sententia nolo in hoc puncto aliquid definire, sed securiorem partem consulere. Ratio hujus sententiæ est, quia, licèt peccatum fuerit directè absolutum, non tamen fuit expositum uti erat in conscientia, prout præcipit Tridentinum, nec explicata fuit substantia peccati, quæ consistit in ejus cognita gravitate; ideoque ad supplendam integritatem confessionis opus est illud ut certum manifestare. Nec obstat id quod opponit *Sporer*, nempe quòd si quis confitetur se fornicatum fuisse decies plus minus, si postea certò adverteret undecies peccasse, teneretur iterùm confitèri. Nam respondetur cum *Roncag. Diana, et aliis*, quòd dispar currat ratio inter primum et secundum casum; in hoc enim secundo casu non ita notabiliter judicium confessarii variatur sicut in primo, nam hic error numeri moraliter non est circa substantiam, quia juxta humanum modum loquendi in numero decimo, additâ illâ dictione plus minus, moraliter includitur undecimus, et ideo sic habet communis praxis fidelium, qui non putant se esse obligatos ad explicandum modicum numerum, quando illum cum incertitudine, dicendo plus minus, exposuerint. In primo verò casu, quando quis confessus est peccatum uti dubium, et deinde certum agnoscit, error est circa substantiam, quia in accusatione dubia nullo modo includitur certa, nec humano modo unquam dubia accusatio delicti tanquam certa accipitur.

Probabilissimè autem dicunt *Sanch. l. 1. c. 10. n. 69. Bon. d. n. 15. et Salm. de pœnit. c. 9. p. 4. n. 27. cum Suar. Con. Nugn. Dic. Valer. Cordub. Vict. etc. communissimè*, quòd si quis confitetur peccatum, quod nec ipse, nec confessarius sciebat esse mortale, et postea novit esse mortale ex genere suo, non tenetur iterùm illud confitèri. Ratio, quia hoc casu jam pœnitens exposuit confessario suum peccatum, uti in sua conscientia erat tunc, et nunc est, et in præsentia nihil novi occurrit, nisi quòd cognoscat nunc materiam illius peccati esse gravem, quod priùs nesciebat.

ARTICULUS II.

Quando sufficiat confessio integra formaliter?

- 479 *Quæ sit integritas formalis? Et quis censeatur physicè impotens ad integritatem materiale? I. Mutus. An hic teneatur confitèri scripto, aut per signa? II. Surdus. III. Ignarus idiomatis. An hic teneatur confitèri per interpretem. IV. Moribundus.*
- 480 *An absolvendus moribundus qui dat signa doloris sacerdoti præsentì, quin possit ullum peccatum explicare?*
- 481 *An absolvendus infirmus sensibus destitutus, qui per testimonium adstantium ostendit desiderium absolutionis? An tunc absolutio danda sit absolutè, vel conditionatè?*
- 482 *Quid si nullum dederit signum pœnitentiæ?*
- 485 *Quid si fuerit destitutus in actu peccati?*
- 484 *Quando sufficiat integritas formalis ob periculum mortis?*
- 485 *An in periculo contagii possit confessarius absolvere, audito uno peccato?*
- 486 *An tempore conflictûs, vel naufragii?*
- 487 *Quis censeatur moraliter impotens? Et quid si peccatum non possit explicari sine violatione sigilli?*
- 488 *Quinam igitur excusentur ab integritate materiali?*
- 489 *An sit obligatio confitendi peccatum, si non possit dici sine infamatione complicitis?*
- 490 *Ex quibus causis liceat manifestare complicem confessario qui eum noscit?*
- 491 *Bulla Benedicti XIV. prohibens exquirere à pœnitente nomen complicitis peccati.*
- 492 *Sententia auctoris, id nullo casu esse licitum.*

479. — **R**ESP. Etsi ad hoc sacramentum requiratur semper aliqua confessio, non tamen semper opus est, ut ea sit integra materialiter, modò sit talis formaliter seu moraliter, id est quantum, moraliter loquendo, hic et nunc potest fieri, etsi postea debeas, si possis, supplere defectum, non statim, sed quando rursùm confitèri obligaberis, aut voles. Porrò, quando talis confessio sufficiat, sequentes regulæ docent:

« *Prima.* Quandocumque quis ad materialiter integrè confitendum physicè est impotens, sufficit integritas formalis, quia præceptum divinum non obligat ad impossibile. Unde

» possunt in sequentibus casibus absolvi: I. Mutus, etsi unum
 » tantùm, vel alterum peccatum per nutus significaverit,
 » nisi tamen scripto possit confessario exhibère, ad quod
 » tunc eum tenèri probabilius est, ut communiter docetur,
 » contra *Cajet. Nav. et alios.*

Quæritur, an mutus teneatur confitèri per scripturam, si aliter non possit?

Prima sententia negat, et hanc tenent *Pal. p. 8. num. 11. et Soto, Navar. Led. Vict. Val. Barb. etc. ap. Salm. de pœnit. c. 7. p. 2. n. 17.* Quia, ut dicunt, modus sic confitendi semper est obnoxius periculo manifestationis.

Secunda sententia verò probabilior et communior affirmat, et hanc tenent *Lugo d. 5. n. 87. Croix n. 1194. Anacl. p. 605. n. 58. Bon. d. 5. sect. 2. p. ult. Elb. p. 257. n. 154. cum Henno, Cleric. Ronc. c. 1. qu. 1. r. 2. cum Fag. et Salm. ibid. n. 16. cum Vasq. Bec. Hurt. Henr. Gran. etc. ex D. Th. in 4. dist. 17. q. 5. art. 4.* Ratio, quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media non difficilia. Id tamen intelligendum (ut benè advertunt *Bonac. et Salm. cum Dic.*), si in tali confessione per scripturam moraliter absit manifestationis periculum, aut grave incommodum extraordinarium. Mutus autem non solum in periculo mortis tenetur sic confitèri, sed etiam tempore præcepti paschalis, ut meritò docent *Pal. p. 8. n. 10. Laym. c. 6. n. 4. Ronc. l. c. et Salm. ibid. n. 15. et n. 17. in fin. cum Cajet. Nav. Tol. Soto, Sa, etc.*

« II. Surdus, qui non potest omnia explicare (1). *Laym. l. 5. t. 6. c. 8.* III. Ignarus idiomatis, tempore præcepti, vel alterius necessitatis, etsi non integrè intelligatur, si neque confessarius linguæ gnarus, neque interpres haberi possit; imo, etsi adsit interpres: non enim tenetur per eum confitèri, ut docent *Suar. Vasq. Dian.* nisi fortè in periculo mortis, in quo aliqua minora confitèri sufficit. » (*Sed etiam tempore mortis probabile est eum non tenèri, ut Salm. de pœnit. c. 7. p. 2. n. 21. cum Cajet. Sot. Pal. etc. Nisi infirmus dubius sit de contritione, ut Viva q. 4. art. 5.*

(1) « Intelligitur hoc de omninò surdis, quia surdastrì debent adduci in aliquem remotum locum, ut eorum confessiones audiantur. » *Hom. Ap. tr. 16. n. 55.*

n. 10. Sufficit tamen tunc dicere unum veniale, Salm. ibid. n. 25. et Viva cum communi. Quid tempore pestis, vel contagii? Vide n. 483.) « Vide Card. de Lugo d. 15. n. 61. IV. Moribundus usu linguæ subito destitutus, si petat absolvi, ac det signa doloris, vel antè dederit coram aliis: modò id fecerit in ordine ad sacramentum, quod de quovis in eo statu præsumentum videtur. Quo casu, si (saltem coram ipso infirmo) sive ab uno, sive pluribus, mediatis, vel immediatis testibus detur testimonium, sacerdotem non tantùm posse, sed probabiliter etiam tenèri absolvere (saltem sub conditione) docent Dian. et Lugo d. 17. num. 84. etc. ex multis aliis: item Bon. citans declarationem Cardinalium pro se: et Præp. q. 4. dub. 5. etc., eò quòd sic et ægri necessitati et reverentiæ sacramenti consulatur. Dixi saltem, quia Tamb. l. 2. exped. conf. citans Coninch. Præp. et Lugo docet, posse et debère absolvi absolutè, etsi sit absens, qui de signo coram se dato testatus fuit. Denique, si nullum signum dederit, nullo modo absolvendus est, cum actus judicialis non exerceatur, nisi præcesserit accusatio. Licèt enim recentiores quidam, ut Tamb. de exped. conf. l. 2. c. 10. citans Homobonum, et Molf.; item Phil. Servius in Amico fideli, p. 1. c. 1. Anton. de lit. Barth. de S. Fausto, etc. censeant posse, imò debère absolvi sub conditione, dummodò aliàs probè et christianè vixerit, eò quòd præsumi possit interiùs elicuisse contritionem, idque Diana p. 4. t. 4. r. 92. et p. 9. t. 6. r. 20. ex aliis duodecim judicet probabile: ab aliis tamen meritò rejicitur, ut Suarez, Vasq. Coninch. Mercer. Card. de Lugo d. 17. s. 5. Malder. etc. ipseque Dian. l. c. et alii 12. apud Aversam; quia deest omnis externa confessio, quam esse partem essentialem hujus sacramenti, constat ex Trid. sess. 14. can. 9. et ex nullo signo rationabiliter præsumi potest, ut suppono. Vide Card. de Lugo l. c. Aversam q. 10. s. 18. ubi notat, absolutionem, quæ iis, qui inscripti sunt in Societatem Rosarii, solet in infirmitate impendi sine omni confessione, non dari tanquam sacramentalem, nec in ordine ad conficiendum sacramentum, sed ad indulgentiam, et remissionem pœnæ consequendam.

480. — Circa absolutionem moribundo impertiendam, plura sunt notanda: et certum est, quòd moribundus, qui

signa dat pœnitentiæ sacerdoti præsentì, absolutè est absolvendus. Et expedit illum toties absolvi, quoties nova ipse præstet signa doloris: Tamb. in Meth. Confess. l. 2. c. 10. §. 1. n. 7. Et Auctor de Offic. Confess. insertus in Opere La Croix cum Laym. et Lugo. Objeiciunt Sotus, Canus, at Ledesma, et dicunt: Si deficit materia, ubi cadet absolutio? Non cadet quidem (ut ajunt) directè super peccata infirmi, aliàs ipse non teneretur postmodùm ea confitèri; non indirectè, cum nullum peccatum explicetur, et directè absolvatur. Resp. quòd absolutio cadet directè super omnia peccata illius sub ratione generica peccati, ut accidit in naufragio, bello, etc. talis autem confessio in casu nostro satis habetur in illo signo præstito doloris, sive in petitione absolutionis; his enim actibus infirmus jam se peccatorem fateatur: indirectè autem super peccatis particularibus, et idèd pœnitens tenetur postea illa in particulari explicare. Falsum autem est dicere, quòd absolutio tunc ferretur causà incognitâ, quia potius dicendum quòd eo casu fertur causà cognitâ, meliori modo quo potest, licèt non plenè cognitâ, ut ait Croix l. c. Et hoc est certum ex mox dicendis.

481. — Dubit. 1. An possit impertiri absolutio moribundo sensibus destituto, qui per testimonium adstantium desiderium ostendit absolutionis, dando signum doloris, vel absolutionem postulando? Negant pariter Canus, Ledesma, et Alvarez, Turrian. etc. apud Dianam t. 5. tr. 5. r. 4. Sed oppositum omninò affirmandum cum sententia communi, quam tenent Suar. d. 25. sect. 1. Tol. l. 5. c. 8. n. 2. Laym. c. 6. n. 4. Lugo d. 17. sect. 4. et 5. Elbel p. 258. n. 201. Cone. p. 544. n. 1. Holzm. n. 595. Moya disp. 6. quæst. 1. Auctor ap. Croix, Salmant. de pœn. c. 8. p. 6. n. 148. cum Bellarm. Sylvest. Palud. Tolet. Lugo, Valent. Suar. Vasq. Laym. Sa, Gonet, et aliis pluribus comm. Id tenent etiam Scotus apud Ludov. Cuspensem de pœn. disp. 4. sect. 22. et S. Th. Opusc. 65. de Sacram. Unct. ubi sic ait: Si infirmus, qui petiit unctionem, amisit notitiam, vel loquelum, antequam sacerdos veniret ad eum, ungit eum sacerdos; quia in tali casu debet etiam baptizari, et à peccatis absolvi. Idem sentit S. Antoninus, cujus verba referuntur in Sacerdotali Romano (ap. Lug. d. 17. n. 56.) ubi dicitur: Infirmitus, etiamsi malus et obstina-

tus diu perseverans in peccatis, et diu non confessus, si petiit sacerdotem, ut confiteretur, et interea faciente aliquo confessionem generalem pro eo, sacerdos faciat absolutionem ab omni peccato. Probatur ex concilio Arausicano in c. Qui recedunt, caus. 26. q. 6. ubi sic habetur: Subitò obmutescens... pœnitentiam accipere potest, si voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu. Item ex concil. Carthag. III. can. 54. ubi: Ægrotantes si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium, hi, qui sui sunt, periculo proprio dixerint, baptizetur. Similiter de pœnitentibus agendum est. Rursus conc. Carthag. IV. can. 76. sic statuit: Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, et accipiat pœnitentiam. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus Eucharistia. Probatur etiam ex S. Leone Papa in c. Is qui 8. causa 26. q. 6. et in Epist. 89. ubi sancivit: Si aliqui vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulò antè posebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et pœnitentiæ, et reconciliationis beneficium consequantur. Probatur etiam ex Rituali Romano de Sacram. pœn. §. Ordo ministrandi, ubi: Quòd si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confitèri, vox et loquela ægro deficiat, nutibus et signis conetur, quoad fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est. Perperam autem opponunt adversarii hoc Rituale Romanum fuisse ab aliquo privato doctore confectum, etsi approbante Pontifice; unde dicunt non excedere privatam auctoritatem, cum non habeat auctoritatem, sed tantum approbationem Pontificiam. Verum rectè eos confutant Lugo d. 17. n. 48. et Dian. l. c.; nam Paulus V. in bulla exprimit hoc Rituale auctoritate Sedis apostolicæ prodiisse, his verbis: Postquam Pius Papa V. Breviarium et Missale edenda censuit, restabat, ut sacri Ecclesiæ catholicæ Ritus apostolicæ Sedis (nota) auctoritate prodirent. Deinde subdit: Quapropter hortamur in Domino Episcopos, paro-

chos, etc. ut in posterum Romanæ Ecclesiæ auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti quæ catholica Ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolatè observent. Hancque nostram sententiam probabiliter ait Croix n. 1139. cum Lugo, Dicast. etc., locum habere, etiamsi adsit unicus testis, et mediatas, testans signa data ab infirmo; per tale enim testimonium satis fit sensibiliter nota confessario confessio infirmi.

Neque obstat decretum Clementis VIII. ubi damnavit confessionem factam absenti per epistolam, vel nuntium; nam, ut refert Coninchius lib. de Absol. Morib. ex testimonio Petri Lombard. et Card. Bellarmini, idem Clemens interrogatus postea de prædicto casu moribundi, respondit, minimè voluisse eum comprehendere, sed talem moribundum omninò absolvendum esse. Idemque testatur Suarez ap. Tanner. q. 9. n. 16. ex ore ipsius Clementis VIII. et Pauli V. Idem dicit Elbel num. 207.

Utrum verò tunc absolutio danda sit absolutè, vel conditionatè? Communiùs censent DD. absolutè, quia tunc (ut ait Tamb. in Meth. Conf. l. 2. c. 10. n. 8.) sacerdos ex assensu probabiliter rectè operatur; ita etiam Lugo d. 17. n. 90. Spor. n. 540. cum Vasq. Fill. etc. et idem sentit Viva in Append. ad prop. damn. §. 11., dicens, quòd in ca u necessitatis (aliàs semper quærenda est certitudo moralis) sacramenta absolutè sunt ministranda, semper ac habetur probabilitas de materia: conditionatè verò, ubi habetur tantum dubium prudens. Sed Croix, quamvis idem asserat l. 6. p. 2. n. 1769, scil. quòd absolutio danda sit absolutè, cum habetur probabilitas de materia; in præsentì tamen casu d. l. n. 1156. dicit, absolutionem dandam esse conditionatam; et idem censent Wig. tr. 15. n. 95. Bon. de pœnit. qu. 5. sect. 2. p. 2. §. 4. n. 8. et Suar. d. 25. sect. 1. n. 12. cum Ang. Sylvest. S. Antonin. et communi, ut ipse asserit. Et hoc tutius videtur, præcipuè ubi prudenter de signis datis dubitatur, ut de facili dubitari potest, præsertim si infirmus sit rusticus.

482. — Dubitat. 2. Quid si nullus adsit testis de signo pœnitentiæ præstito ab ægroto, et æger sensibus destitutus nullum pariter det signum, an hic absolvi possit?

Prima sententia negat, et hanc tenent Busemb. ut sup. Lugo d. 17. sect. 5. Suar. d. 25. sect. 1. Petroc. t. 4. p.

169. q. 10. *Abelly* p. 159. n. 2. *Laym.* c. 8. *Ronc.* c. 5. q. 7. et *Dian.* p. 5. t. 3. r. 8. cum *Henr. Naldo, etc.* Ratio brevis, sed valde urgens est, quia tunc deest materia sacramenti, quæ debet esse sensibilis.

Secunda sententia verò communior affirmat posse et debere absolvi, dummodo infirmus christianè vixerit, et hanc tenent *Merbes. de pœnit.* t. 2. p. 252. q. 85. *Morinus* l. 10. c. 10. *Genettus* t. 4. 296. q. 5. *Holzmann.* p. 151. num. 594. *Spor.* n. 245. *Elbel* n. 208. *Viva* l. c. *Salm.* de pœnit. c. 8. p. 6. n. 137. *Tamb.* c. 10. n. 12. *Croix* n. 1162. cum *Carden.* et probabilem putat *Conc.* p. 549. n. 15. cum *Salmer. Juenin. Pontio, Vanroy, Raynaud. Henr. à S. Ign. Mach. Pell. etc.* quos citat n. 4. Idem docet *D. Antonin.*, cujus verba adducuntur in cit. Sacerdotali Romano (apud *Lugo* d. 17. num. 56.) ubi dicitur: *Infirmus qui amisit loquelam, vel usum rationis, si benè vivebat, quamvis non petierit sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt... debet præsupponi contritus; et sacerdos faciat absolutionem ab omni peccato. Id* clarè confirmatur à *D. Augustino* l. 1. de *Adulter. conjug.* c. 26. ubi habetur: *Catechumenis in hujus vitæ ultimo constitutis, si morbo aut casu aliquo sic oppressi sunt, ut petere baptismum non possint, prosit eis quòd eorum in fide christiana nota voluntas est, ut eo modo baptizentur quò baptizantur infantes, quorum voluntas nulla patuit. Etiam si voluntas ejus incerta est, multò satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi relit an nolit sic non apparet.* Deinde pergit *S. Doctor* eod. lib. c. 28., et docet eandem rationem esse habendam baptismatis, et pœnitentiæ, dicens: *Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentes, finiendæ vitæ periculum præoccupaverit; nec ipsos enim ex hac vitæ sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.*

Sed dices, ubi hic habetur materia sacramenti (nempe confessio et contritio) quæ debet esse sensibilis? Respondent *Genettus* et *Juenin*, quòd si in peccatore moribundo, ut diximus, signum simplex doloris datum efficiat, ut ipse præsumatur dispositus, quantò magis id efficiet bona vita antea? Sed hæc responsio non satisfacit; nam ad impertiendam absolutionem non sufficit præsumptio doloris interni, sed requiritur externa manifestatio peccatorum, quâ deficiente,

deficit materia sacramenti. Nec satisfacit alia responsio *Juenin*, nempe quòd actus pœnitentis, juxta *Scotum et alios*, non sunt materia ex qua constat sacramentum pœnitentiæ, sed tantum materia circa quam, hoc est dispositio ad recipiendum sacramentum; dispositio autem non debet necessariò esse sensibilis; nam huic obstat quòd hoc sacramentum fuit à Christo Domino (ut docet Tridentinum) institutum in modum judicii, unde omninò requiritur peccatorum accusatio saltem generica, ut sententia absolutionis proferri possit. Melius igitur respondent *Viva, et Salm. ll. cc. cum Aversa, Molf. et aliis*, quòd eo casu benè adest prudens dubium, quòd moribundus vel antè destitutionem noverit suæ damnationis periculum, vel post destitutionem ad illud advertat in aliquo lucido intervallo, in quo præsumitur velle et petere absolutionem signis verè sensibilibus, nempe per suspiria, motus corporis, saltem per anxiam respirationem, quamvis tunc ista signa confessarius non percipiat: sufficiunt enim talia signa in tanta necessitate, saltem ex prudenti dubio præsumpta, ad dandam absolutionem sub conditione: quidquid dicat *Genettus* dandam esse absolutè; cum enim nullum signum certum adsit, benè advertunt *Petrocor. et Salm. Sporer. Holzmann, Croix, Elbel, Viva, etc.*, absolutionem omninò præstandam esse sub conditione, quæ sacramenti injuriam reparat, si fortè desit materia sacramenti. Hæc sententia est satis probabilis, non solum extrinsecè ex auctoritate tot gravium auctorum, sed etiam intrinsecè: saltem ob rationem, quia in casu extremæ vel urgentis necessitatis licitum est uti materiâ dubiâ, ex principio maximè apud theologos probato, ut ait *Juenin Inst. theol.* t. 7. p. 554. et 557. Hoc casu enim possumus uti opinione adhuc tenuis probabilitatis, ut rectè ajunt *Sanch. l. 2. de matrim.* d. 56. n. 8. et *Dec. l. 1. c. 9. n. 25. Viva dict. §. 11. vers. Ratio, et Croix* n. 1162. cum *Gobat.* et fusè probat *Carden. in prop. damn. ab Innocentio XI. diss. 4. c. 7. num. 48. cum Nav. Soto, et Filguera.* Ratio, quia necessitas efficit, ut licitè possit ministrari sacramentum sub conditione in quocumque dubio; per conditionem enim satis reparatur injuria sacramenti, et eodem tempore satis consulitur saluti proximi. Et maximè hic advertendum, quòd sacerdos, quando potest, tenetur sub gravi absolvere infirmum, ut dicunt *Mazzotta*

t. 5. p. 564. et Suar. Vasq. Con. Sylvest. Caj. cum communiter apud Viva l. c. Utque colligitur ex c. Si presbyter, ubi dicitur: Si presbyter pœnitentiam negaverit moribundo, reus erit animarum. Benè tamen advertit hîc Ronc. de pœn. c. 5. in fine, non esse sæpius absolvendum moribundum sensibus destitutum intra breve spatium temporis sine novo signo certo, nisi bis vel ter, servatâ proportionatâ distantia; quia reverà tunc cessat necessitas quæ adfuit in antecedentibus absolutionibus præstitis. Secus verò dicendum, si destitutio perseverat per longum tempus (1).

485. — Dubit. 5. An possit absolvi qui fuerit sensibus destitutus in actu peccati, putâ adulterii, duelli? Negant Genettus p. 500. q. 6. Habert t. 6. p. 468. Juen. t. 7. p. 555. et Conc. p. 549. n. 15. Sed affirmant Holz. p. 152. n. 594. Auctor de Offic. Confess. (apud Croix) et probabilem putat Elbel p. 261. n. 211. cum Pontio, Carden. Gormaz, et Stoz. Hi dicunt talem infirmum etiam absolvendum esse sub conditione, modò constet fuisse catholicum. Hacque opinione dicunt Merb. t. 2. p. 258. v. Summa, et Dupasq. t. 8. p. 225. quemlibet sacerdotem posse uti, saltem appositâ conditione: probatque Merbesius auctoritate D. Augustini l. c. de Adult. conjug. c. 28. qui dicit: Ego non solim alios catechumenos, verum etiam ipsos qui viventium conjugis copulatî retinent adulterina consortia, si desperati, et intra se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebris usque ad baptismum statuerant detineri? Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Objicit Petrocorensis S. Doctorem loqui hîc de eo tantùm qui signum dederit pœnitentiæ, quod infert ex illis verbis, si intra se pœnitentes jacuerint; unde (dicit) supponitur, quòd tales pœnitentes jam aliquod suæ pœnitentiæ signum dederint; aliàs quomodo possent nosci intra se pœnitentes? Rectè respondet Merbesius, quòd illud,

(1) « Non negatur, quòd si sensu destitutio diutius perseverat, cum actuale mortis periculum adsit, potest pluries repeti absolutio, v. g. ter aut quater in die. » Hom. Ap. tr. 16. n. 57.

intra se pœnitentes, non debet intelligi absolutè, sed dubitanter, nempe si fortè pœnitentes jacuerint: et hoc fit manifestum ex verbis sequentibus S. Doctoris: Quis enim novit utrum fortassis adulterinæ carnis illecebris usque ad baptismum statuerant detineri? Cùm ergò D. August. dixerit, Quis enim novit, supponit hujusmodi peccatores nullum conversionis signum præbuisse, aliàs jam notum esset ipsos statuisse adulterina consortia non detinere. Et hæc sententia satis probabilis mihi est ob eandem rationem, quæ adducta est in præcedenti Dubio; si enim licitè absolvi potest et debet ægrotus sensibus destitutus, qui nullum dederit pœnitentiæ signum, si christianè vixerit, eò quòd de ipso prudenter præsumi potest, quòd in extremo vitæ, si aliquod lucidum intervallum habet, velit absolutionem sacramentalem recipere; sic etiam potest et debet absolvi (intellige semper sub conditione) homo catholicus, etiamsi in actuali peccato sensibus destituatur; pro hoc enim etiam meritò præsumi potest, quòd ipse in proximo periculo suæ damnationis constitutus cupiat omni modo suæ æternæ saluti consulere. Dixi homo catholicus; nam secus dicendum de hæretico, ut rectè advertit Holzm. num. 594. Hæretici enim, etiamsi in eo casu dent signa pœnitentiæ, non debent absolvi, nisi expressè absolutionem petant, quia tales numquam prudenter præsumi valent ea signa præbere in ordine ad confessionem, à qua summopere abhorrent.

484. — « Secunda. Quando pœnitenti, vel confessario » imminet periculum vitæ, quod nec illum integrè confitèri, » nec hunc audire patiatur, sufficit integritas formalis. Ratio est, quia tunc materialis non est possibilis moraliter, » quod valet seq. cas.

« 1. Si pœnitens, v. g. infirmus, uno, alterove peccato » dicto, deficiat, vel sit grave periculum, ne deficiat.

« 2. Si infirmus volens confitèri, dum ei fertur Viaticum, » deprehendatur multas confessiones fecisse invalidas, et » gravitas morbi non patiatur dilationem absolutionis. Gran. » Dian. p. 3. t. 5. r. 75. » (Vide dicta n. 260.)

« 3. Si ipse sacerdos in periculo constitutus, videatur antè » moriturus, quàm pœnitens absolvatur.

« 4. Si tempore pestis prudentum judicio, moraliter certum

» periculum sit , ne confessarius inficiatur : qui si tamen totam tam audire velit , tenebitur ad eam pœnitens.

485. — Similiter docent *Concina p. 559. n. 2. Wigandt tr. 15. n. 102. Abelly p. 159. Bon. de pœn. d. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. n. 15. cum Vas. Con. etc.* quòd , quando infirmus laborat morbo contagioso , et confessarius nequit absque periculo , etiam à longè ipsum audire diutius immorando ; tunc confessarius , audito aliquo peccato , potest eum statim absolvere. Sic etiam probabiliter excusat *Ronc. c. 5. qu. 1. r. 2.* à confessione materialiter integra , si hæc sit valde proluxa cum gravi nota pœnitentis , dum urgeat necessitas communicandi , vel celebrandi , et non suppetat tempus. Cæterùm minimè quidem est excusandus is , de quo ob prolixitatem confessionis facilè alii suspicarentur ipsum multis esse culpis gravatum.

486. — « 5. Si immineat conflictus , vel sit multitudo moribundorum , v. g. in naufragio , nec possint omnes audiri. » In quo casu possent etiam omnes simul , dicto uno peccato , quod minùs infamat (vel etiam secundum quosdam , si aliter fieri non possit , dicendo in genere se esse peccatores) absolvi , dicendo : *Ego vos absolvo , etc. Vide Sa , v. Absolutio , et Con. de sacr. d. 7. dub. 9. (Non erit autem impotentia sufficiens , si multus fuerit ad eundem confessarium concursus , ut volebat prop. 59. inter damnatas ab Innocentio XI.)* »

487. — « Tertia. Quando ex confessione certi peccati , vel circumstantiæ timetur meritò grave damnum proprium , vel alienum , sive confessarii , sive alterius , corporale , vel spirituale , potest id reticèri. Ratio est , quia præceptum divinum de integritate non obligat eum tanto incommodo , quod tantum esse posset , ut peccares confitendo , v. g. I. Si sacerdos certum peccatum sit revelaturus (intellige eum *Con. Card. de Lugo d. 26. n. 527.* quòd pœnitens ipse non teneatur revelare). II. Si sciat , v. g. mulier , ex certo peccato sibi , vel confessario fore periculum ruinæ. III. Si pœnitenti inde immineat grave damnum , vel periculum vitæ , vel famæ. In his tamen casibus videtur requiri necessitas confitendi , v. g. ob communionem annuam , vel si longo tempore alioqui esset differenda. » (*Dicunt Lugo , Henr. etc. apud Salm. de pœn. c. 8. p. 5. n. 125. sufficientem etiam ha-*

bère necessitatem dimidiandi confessionem , qui esset in peccato mortali , et deberet per duos , vel tres dies alium confessarium expectare.) « *Vide Fill. t. 27. c. 6. Card. de Lugo l. c. Ubi* » monet , talia damna , aut pericula non facilè fingenda esse ; » et quidem in religioso vix posse locum habère.

« Quarta. Si quis aliquid peccatum , vel circumstantiam non possit confitèri sine violatione sigilli , v. g. si invalidè absolvisset simoniacum , nec posses confitèri , nisi illi , qui » facilè inde posset conjicere , quisnam ille esset.

488. — « Ex omnibus supra dictis sequitur excusari etiam » sequentes ab integritate materiali : I. Qui habent casum » reservatum , de quo infra , et *Laym. l. 5. t. 6. c. 12.* » (*Sed circa hoc vide n. 265. v. Qu. II.*) « II. Scrupulosum , qui per » petuò angitur de oblitis. » (*Ita etiam Holzm. n. 550. cum comm. , et Elbel n. 150. cum Laym. Ills. et Stoz.*) « III. Quem » sacerdos absolvit ante finem , nolens omnia audire , ut habet *Bon. hic. IV. Quem fallit memoria , ita ut dicat , se » scire in genere , quòd peccaverit mortaliter , non occurrere » autem speciem peccati : etsi tunc veniale aliquid addere sit » consultum. Ita Conin. et Laym. l. c. contra Sol. et Medinam.* » V. Eum qui extremè rudis , vel simplex , dicit se dolère de » peccatis , nullum tamen in specie , ne veniale quidem , » sciat dicere : qui etsi , speculativè loquendo , posset absolvi , » practicè tamen non expedit , sed datà benedictione permittatur communicare. Ita *Laym. loc. cit. VI. Qui aliquid peccatum non potest confitèri sine complicitis infamatione , v. g. » si peccasses eum matre , vel sorore , quam confessarius nosset , tunc enim , si alium confessarium non potes habère , » quem aliàs adire tenereris , sufficeret , imò deberet dici , » quòd animo eum ea , vel in genere eum aliqua fornicationem , vel incestum commississes , reticendo gradum primum , » vel secundum , quoad licèbit sine manifestatione complicitis , » eum proposito confitendi integrè sacerdoti alteri proximà » occasione. Ita probabiliter *Nav. cap. 7. Bon. Coninck. Valent. Præp. hic dub. 6. Gormaz. etc.* Ratio est , quia quando duo » præcepta divina concurrunt , naturale et positivum , quæ simul servari non possunt , præferendum est naturale , quia strictius obligat. Etsi probabilius contrarium docent *Filliuc. Suar. Vasq. Less. Card. de Lugo art. 16. n. 594. Hurt. Con. et alii commun.* Unde talis saltem non tenebitur tacère *Tom. VI.**

» id peccatum, ne complicem infamet, nisi commodè possit
 » (quod *Card. de Lugo* extendit etiam ad non complicem
 » sine ejus manifestatione peccatum explicari non potest);
 » ideoque confessario curandum, ne nominentur personæ,
 » nisi ad pœnitentis directionem opus esset; tunc enim infamia ista non tanti aestimatur, eamque sibi imputet, qui
 » peccavit. Conferendum tamen est commodum directionis
 » cum infamia. Ratio supradictorum omnium est, quia in
 » his casibus moraliter non potest fieri confessio materialiter
 » integra. *Laym. c. 8. Fag. p. 1. c. 5. Vide Dian. p. 5. t. 4.*
 » *res. 64. et 151. et p. 1. t. 7. res. 49. Les. lib. 2. c. 11. d. 11.*
 » *Tamb. de exp. conf. l. 2. c. 9. §. 2. ubi docet, probabile*
 » *esse, quòd talis pœnitens propter solam consolationem,*
 » *quam sentit ab amico, vel docto confessario, possit ei confitèri, etsi alium haberi possit.*

489. — An sit obligatio confitendi peccatum mortale quod non possit explicari sine manifestatione complicitis?

Prima sententia negat, et hanc præter *Nav. et alios apud Busemb. ut supra*, tenent *Hostiens. et Innoc. in c. Omnis de pœn. et rem. ac Diana p. 1. tract. 7. r. 49. cum Soto, et Petig.* Ratio, quia (ut dicunt) præceptum naturale servandi famam proximi præferendum est positivo servandi integritatem confessionis; et hanc probabilem putant *Busemb. et Mazz. t. 5. n. 568. cum Bon. Med. etc.*

Secunda sententia verò communis, quam sequimur, affirmat, et hanc tenent *Gonet d. 10. q. 4. Pal. p. 11. n. 7. Conc. p. 541. n. 6. Juenin. t. 7. p. 469. et Salm. de pœnit. c. 8. p. 5. n. 128. cum S. Bonav. S. Anton. Caj. Suar. Lugo, Laym. Sylvest. Tol. Vasq. Ang. Con. Pontio, et aliis plurimis, ex D. Th., qui Opuscul. 12. q. 7. sic ait: Si speciem peccati (pœnitens) exprimere non possit, nisi exprimendo personam cum qua peccavit, putà si cum sorore concubuit, necesse est, ut exprimendo peccati speciem exprimat personam. Sed si fieri potest, debet quærere talem confessorem, qui personam sororis non cognoscat. Et idem docet S. Bernard. in Form. hon. vitæ, dicens: De nullo sinistrè loquaris, nisi in confessione, ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum. Ratio est, quia præceptum integrè confitendi servari debet semper ac licitè servari potest; satis autem licitè in casu nostro servari potest, cum manifestatio alieni criminis non sit illicita,*

quando fit ex rationabili causa, ut docet idem *D. Th. 2. 2. qu. 75. ar. 2.* ergò servari debet; et sic respondetur rationi oppositæ primæ sententiæ; ultraquam quòd complex consentiendo in peccato, jam amisit jus ad suam famam in ordine ad confessionem illius peccati. Diximus *peccatum mortale*; nam ob peccatum veniale explicandum, aut mortale aliàs confessum, non licet grave crimen alterius manifestare, ut rectè dicunt *Lugo d. 16. n. 412. et 415. Viva q. 5. ar. 7. n. 5. Tamb. l. 2. c. 9. §. 2. n. 15. et Ronc. c. 5. q. 3. r. 1. contra Renzi, et Verric.*

Tenetur verò pœnitens, quando commodè potest, alium petere confessarium, cui incognita sit persona complicitis, ut ejus fama servetur; nec satis probabilis videtur opinio, quam tenent *Tourn. Præl. theol. de pœnit. qu. 6. art. 4. Renzi c. 2. sect. 2. qu. 10. cum Fag.* qui citat *Suar. (sed non benè, ut mox videbimus), item Med. et Gers. ap. Lugo d. 16. n. 592.*, nempe quòd hoc sit tantum de consilio; nam communiter hoc esse de præcepto dicunt *Suar. d. 54. sect. 2. n. 1. ubi: Si pœnitens possit ei confitèri, qui non cognoscit personam complicitis, tenetur id facere: et in hoc omnes conveniunt, Laym. c. 8. n. 12. cum communi, Antoine p. 607. n. 59. Roncag. c. 4. qu. 5. r. 2. Viva qu. 5. art. 7. n. 5., qui habet certum, ac Lugo loc. cit. cum Vasq. et Con.*

490. — Dixi, quando commodè potest, nam juxta plurimum sententiam excusant pœnitentem ab exquirendo alium confessarium sequentes causæ, nempe I. Si urgeat periculum mortis, aut præceptum annualis confessionis vel communionis, ita *Sporer p. 226. n. 472. et Viva dict. ar. 5. II.* Si pœnitens non celebrando vel communicando incurreret infamiæ notam, ita *Suar. d. 54. sect. 2. n. 15. Lugo d. 16. n. 416. Ronc. et Renzi loc. cit. III.* Si quis existeret in peccato mortali, et deberet expectare ultra biduum; ut *Suar. l. c. n. 8. Viva l. c. et Renzi, cum Fagund.* Sed mihi videtur durum esse ei qui est in mortali manère sine absolutione etiam per diem; et huic non videtur dissentire *Antoine c. 2. qu. 15. r. 5., ubi dicit absolutè non tenèri ad expectandum, qui est in statu culpæ mortalis, et Lugo n. 416. putat talem minùs obligari ad differendam confessionem, licèt postea sic subdat: Non parum hic faciet. si per biduum differt confessionem.*

Et *Hernex*, ac alii apud *Salm.* de pœnit. c. 8. p. 5. n. 125., nimiam putant dilationem bidui, vel tridui. IV. Si credatur complex cessisse juri suæ famæ, putâ si frater peccavit cum sorore, quam scit sejungi non posse à comitatu matris, ut alium adeat confessarium. *Ronc. loc. cit.* V. Si alicui solito quotidie celebrare vel communicare, grave esset omittere celebrationem, vel communionem. *Lugo d. 16. num. 416.* VI. Si quis difficulter alteri quàm consueto confessario conscientiam aperiret. *Ronc. ib.* VII. Si aliàs privaretur jubilæi, vel indulgentiæ beneficio. *Renzi l. c. cum Cotonio, et Fagund. ap. Lugo d. n. 416.* VIII. Sæpè excusantur matres et uxores manifestantes peccata filiorum et virorum confessario qui hoc novit; id enim communiter faciunt ad consilium petendum, vel ad leniendum dolorem; alioquin ipsis nimis durum foret novos confessarios adire. *Croix l. 6. p. 2. n. 1143.* IX. Si quis propter consolationem, quam sentit ab amico vel docto confessario, nollet alium quærere, cum plures DD. ut *Nav. Less. Azor, Cajet., et Tann.* (vide dicta l. 4. n. 975. v. *Sed*), dicant non esse plus quàm veniale manifestare crimen proximi uni vel alteri viro probo; unde ait *Tamb.*, satis excusari ab hujusmodi culpa veniali, qui ob præfatam causam crimen complicitis cogniti confessario prudenti patefaceret.

491. — Hic autem sedulo advertenda est bulla *N. SS. P. Bened. XIV.* incipiens, *Ubi primum* quam reperies in *fine Operis*, decr. IV. ubi Pontifex rigorosè prohibet confessariis, ne exquirant à pœnitentibus nomen complicitis peccati. Ibi enim maximè detestatur praxim illorum, qui à pœnitentibus (verba bullæ) *complicitis nomen exquirent, atque ad illud sil i revelandum, non inducere modò suadendo conarentur, sed, quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigerent atque compellerent.* Deinde Pontifex contravenientibus sequentes pœnas imponit, dicens: *Statuentes insuper..., ut quicumque... ausus... fuerit docere licitam esse hujusmodi praxim, prout ea in relato nostro Brevi... reprobatur, vel scribere aut loqui præsumperit in ejusdem damnatæ praxis defensionem; vel ea quæ in dicto Brevi contra eandem praxim decreta sunt impugnare, aut in alienos sensus temerè detorquere seu interpretari; incidat ipso facto in excommunicationem, à qua non possit... nisi à nobis absolvi.* Loquens autem de confessariis

exquirentibus nomen complicitis, eidem pœnitenti, si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegando, dicit: *Noverint sese. ultra peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum confessionum, aliisque etiam gravioribus pœnis fore subjiciendos.* Et inferiùs addit Pontifex quòd quicumque non ex confessione sua, sed aliunde aliquem noverit confessarium exquirentem nomen complicitis cum denegatione absolutionis, tenetur illum intra solitum terminum denunciare sub pœnis consuetis. Excipit tamen casum, quo confessarius ex simplicitate hoc faceret, dicens: *Quamvis impudens et malus, simplex tamen quidam et nudus actus fuerit, id est iis circumstantiis destitutus, que de prava credulitate, vel de mala adhæsiõne ad praxim in... nostro Brevi reprobata, tanquam ad licitam, eundem confessarium suspectum reddant.*

Rectè autem dicunt *P. Conc. p. 695. num. 21.* et Auctor *Commentar. ap. Antoine p. 506.*, quòd hic Pontifex tantum damnavit illorum abusum confessariorum, qui tum procurandæ complicitis (ut loquitur bulla) correctionis, aliorumque bonorum... specioso prætextu colorare, tum emendicatis quibusdam doctorum opinionibus defendere non dubitarent. Cæterum confessarii benè possunt et tenentur, ad integritatem confessionis servandam, exquirere circumstantias necessarias, nempe quæ vel speciem mutant, vel exquirendæ sunt, ut pœnitentis conscientiæ consulatur, putâ si confessarius exquirat, an persona complicitis sit in primo vel secundo gradu, si ligata voto, si sit ancilla, si habitet in eadem domo, licèt veniat in cognitionem complicitis.

492. — Præterea, ultra necessitatem explicandi circumstantias peccati, *Mazz. t. 5. p. 569. n. 1. ex Lugo, Soto, Armilla, Diana, Aversa, etc.*, loquens de præfata bulla, sic ait: *Si gravia damna timerentur à complice, quæ solus confessarius posset impedire, esset ei manifestandus complex.* Auctor autem citatus *Comment. in Antoine l. c.* sic dicit: *Accidere interdum potest, ut adigendus sit pœnitens ad revelandum complicem, cum nempe agitur de gravibus malis vitandis, que in perniciem reipublicæ vergere possunt. Ut impediatur malum, si fieri potest, obligatur pœnitens ad exquirendum consilium confessarii, qui pro sua prudentia aut per se, aut per ipsum pœnitentem remedia conquirat, et nisi revelare velit pœni-*

tens, minimè est absolvendus; nam ex lege non minus iustitiæ quàm charitatis, tenetur ille pro virili curare, ut in tuto sit publica salus. De damno vitando quando privatæ alicui personæ imminere potest, non loquor, nam ferè semper suppressis complicum nominibus consilium præbere potest sacerdos. Ita præfati AA. Hic tamen quid de hoc sentiam, mihi lubet exponere. Nulli dubium quòd aliquando tenetur pœnitens complicem manifestare ad aliquod grave damnum impediendum; sed spectatâ tam rigorosâ (ut vidimus) Pontificis prohibitione, ad finem vitandi proximi infamiam, sacramenti injuriam, sigilli violationem, scandalum, etc. prout exprimitur in bulla, non est licitum confessario nomen complicis exquirere ad finem faciendæ correctionis. Unde, casu quo pœnitens verè teneatur complicem patefacere, tantum poterit confessarius pœnitenti imponere in genere, ut complicem revelet alicui, qui scandalum possit impedire, sed nunquam licebit confessario dicere, *revela mihi*. Si verò pœnitens ex se, et sponte sua rogaret confessarium, ut complicem corrigeret, tunc confessario multa prudentia opus est, nam ordinariè loquendo non expedit, ut se immittat in hujusmodi rem; ipsi enim tantum incumbit curare damnum sui pœnitentis, non alienum, et solummodò intra confessionem, non extra; et ex alia parte confessarius difficulter assumet hoc munus corrigendi sine periculo scandali, et offensionis sacri ministerii.

ARTICULUS III.

Quæ sint reliquæ conditiones confessionis?

- 495 *Confessio debet esse vocalis. Quando licet, aut sit obligatio confitendi scripto?*
 494 *Debet esse secreta.*
 495 *Debet esse vera.*
 496 *Quando mendacium in confessione sit veniale?*
 497 *Quando mortale?*

495. — « **R**ESP. Præter integritatem, sunt hæ tres: Prima, ut sit vocalis, scilicet ordinariè, idque propter usum et praxim Ecclesiæ graviter obligantem, nisi subsit justa

causa, ut impotentia, sive physica, sive moralis, quæ si adsit, potest fieri nutu, scripto, aliove signo: v. g. si quis ob anxietatem loqui non possit, aut puella supra modum verecunda aliter se non possit explicare, quàm scripto, quo à confessario lecto, addat voce, de his me accuso. Suar. Vasquez, Card. de Lugo, Laym. l. 5. t. 6. c. 6. n. 5. (Ita etiam Salm. de pœn. c. 7. d. 2. n. 11, cum Vasq. Can. Pal. Con. etc. Iaque expressum habetur in Extrav. Inter cunctas, de privil. ubi dicitur: Nisi articulus necessitatis occurrat, sacerdoti faciendâ est oris confessio. Idem dicunt præfati AA. de eo, qui ob impedimentum linguæ, valde gravem difficultatem se confitendi voce experitur. Idem sentit Tamb. de scrupuloso, qui putat scripto meliùs se explicare) « Imò qui aliter non potest, tenetur juxta communem sententiam confitèri per nutus, aut scriptum tempore præcepti: etsi id quoad scripturam non admittant Nav. Tol. Sot. Val. Dian. extra articulum mortis. » (Vide dicta n. 429. in fin. et num. 479.) « Vide C. de Lugo d. 15. n. 87. Similiter suadendum esse surdis, ut confiteantur scripto (licet ad id non teneantur), ne ab aliis audiantur: eandemque ob causam eos non interrogandos, nisi de planè necessariis, ex Possev. docet Dian. p. 5. t. 4. r. 127. et p. 5. t. 6. r. 5.

Unde resolves:

« Is, qui extra necessitatem totam confessionem facit nutu vel scripto, mortaliter peccat, ac consequenter non absolvitur. Dian. p. 5. t. 4. r. 127. ex Sylvio. Vide Fill. t. 1. tr. 7. c. 1. Cone. d. 6. dub. 1. Suar. d. 21. sect. 5. n. 5.
 494. — « Secunda conditio, ut sit secreta, id est, ut fiat soli sacerdoti, non quidem ex necessitate, sed usu Ecclesiæ. Publica autem, qualis in naufragio, prælio, hospitali, ubi alii adjacent, vel per interpretem fit, non obligat (saltem respectu peccatorum occultorum), nisi ex charitate sui, eum, qui in articulo mortis dubitat de contritione; ac tunc adhuc sufficit ea confitèri quæ minorem parium infamiam. Ita Suar. Fagund. Dian. p. 5. tr. 4. r. 29. etc.

Unde resolves :

« Si quis peccata in prioribus confessionibus oblitus esset ,
 » non tenetur etiam in articulo mortis ea confitèri publicè ,
 » vel per interpretem : quia peccatorum oblitum confessio
 » tantùm obligat ex præcepto positivo divino , quod hoc in
 » casu cessat. Vide *Laym. c. 6. Dian. p. 5. t. 4. r. 128. et 129.*
 495. — « Tertia conditio , ut sit vera : quod requiritur
 » essentialiter in materia substantiali , et necessaria ; quia
 » aliàs in re gravi deciperetur iudex , neque esset confessio
 » integra , ideoque irrita. Non tamen in materia libera , tùm
 » quia falsitas signi in accusatione circa materiam accessoriam ,
 » non facit sententiam irritam : tùm quia talis tantùm peccat
 » venialiter , cùm non sit graviter injurius sacerdoti , nec
 » sacramento. Ita *Navarr. Suarez , etc.*

Unde resolves :

496. — « 1. Non est mortale , nec irritat sacramentum :
 » I. Si in confessione mentiaris leviter circa res non perti-
 » nentes , aut non necessarias ad sacramentum : v. g. si hi-
 » storiam falsam narres , vel si neges veniale , vel mortale ,
 » quod non teneris confitèri.

An peccet graviter , qui negat confessario peccatum aliquod
 veniale commissum , aut mortale aliàs confessum ? Affirmant
Cajet. in 2. 2. D. Thomæ q. 69. art. 1. Armilla ap. Renzi cap.
2. sect. 2. q. 5. Quia (ut dicunt) hic videtur gravem irreve-
 rentiam sacramento irrogare : et de hoc valde dubitat *P.*
Conc. p. 281. n. 6. ex D. Th. loc. cit. qui ait : *Si confitèri*
noluerit veritatem quam dicere tenetur , vel si eam mendaciter
negaverit , mortaliter peccat. Unde *P. Concina* non excusat à
 mortali qui hoc advertenter faceret , eò quòd se exponeret
 periculo gravis culpæ. Sed omninò tenendum oppositum eum
 sententia communi , quam tenent *Busemb. ut supra , et Lugo*
d. 16. n. 98. Laym. c. 8. n. 5. Antoine p. 511. qu. 15. Anacl.
p. 600. n. 17. Holzm. n. 536. Ronc. c. 5. q. 5. r. 1. Renzi l. c.
et Bonac. p. 2. §. 2. n. 12. cum Suar. Sanchez , Reg. et aliis
passim : ratio , quia , cùm illa non sit materia necessaria
 sacramenti , tunc minimè decipitur confessarius in re gravi.

Ad textum autem *D. Thomæ* clara est responsio ; ibi enim
S. Doctor tantùm loquitur de nolente in iudicio civili fatèri
 veritatem , quam dicere tenetur : sed in foro sacramentali cer-
 tum est ex Tridentino nullam esse obligationem confitendi
 venialia ; unde negatio venialis commissi , vel mortalis jam
 confessi non excedit malitiam simplicis mendacii.

« II. Si falsò te accuses de veniali ; quod tamen mortale
 » grave erit , si id facias non dando aliam materiam , cùm
 » sic formam reddas irritam , et sacramentum : nisi tamen
 » facias ex scrupulo , perturbatione. Ita *Suarez , Fill. t. 1.*
 » *tract. 7. c. 4. Laym. lib. 4. t. 6. cap. 8. Dian. p. 5. t. 4.*
 » *res. 96.*

497. — « 2. Sacrilegium est , et absolutio nulla : 1. Si mor-
 » tale , quod confitèri teneris , et putas esse , neges , aut legas ,
 » ne intelligatur. 2. Ut communiter docetur contra *Sylv.* si
 » mortale tibi falsò imponas , nisi tamen fiat ex simplicitate ,
 » et scrupulo , etc. 3. Si neges , vel mentiaris circa peccata
 » aliàs ritè absoluta , quando confessarius , ut iudex , vel
 » medicus de iis aliquid , ut necessarium ad præsentem con-
 » fessionem , interrogat. *Card. de Lugo d. 14. sect. 10. Tamb.*
 » *l. 2. c. 10. §. 2. secus si ad præsentem confessionem non*
 » *faciat. Ibid.*

Si quis affirmat peccatum mortale , quod non fecit , vel ne-
 gat fecisse quod fecit , duplex mortale committit , unum sacri-
 legii contra virtutem religionis ob reverentiam sacramento
 debitam , alterum mendacii sibi graviter perniciosi contra
 virtutem veracitatis ; ita rectè *Holzm. n. 534. et Sporer n. 482.*
cum aliis passim.

ARTICULUS IV.

Quando confessio sit invalida , et quomodo
 iteranda ?

- 498 An valeat confessio apud confessarium excommunicatum ?
 499 An apud surdum , indoctum etc. An apud non audientem
 aliquod peccatum ?
 500 De iudicio peccatorum efformando à confessario.
 501 Quando confessio sit invalida ex parte pœnitentis ?
 502 Quomodo iteranda confessio facta eidem confessario ?

- 303 Quid si peccatum sit inculpabiliter omissum? An ob magnum concursum possit confessio dimidiari?
- 304 Quid de rusticis qui numquam explicarunt species, neque numerum?
- 305 Non est obligatio repetendi confessiones, nisi constet de ipsarum nullitate.

498. — « **R**ESP. 1. Id contingit ex duplici capite. Primò ex parte confessarii, si jurisdictionem non habuit, vel certè impeditam per censuram, » (Semper ac per ipsam sit vitans, secus si sit toleratus. Salm. de pœn. p. 4. c. 9. n. 18. Roncaglia c. 5. q. 1. et alii passim) « vel si formam substantialiter vitavit, vel non intendit absolvere, vel peccatum nullum intellexit.

499. — « Dico, nullum; quia si ob surditatem, somnum, vel distractionem, aliqua, licèt mortalia, non intellexerit, sine culpa pœnitentis, probabilius est valuisse absolutio- nem, ac postea tantùm repetenda esse non audita, ut con- trà Sylv. Anton. Navar. et alios docent Henriq. Laym. l. 5. tr. 6. c. 9. Dian. p. 4. t. 4. r. 198. Addo, sine culpa: quia si semidormienti malà fide confitearis, peccas, et confessio est invalida, ideoque repetenda, Tamb. l. 2. c. 10. §. 5. Denique addunt aliqui cum Tol. si confessarius inductus non potuit discernere mortale et veniale, invalidam esse. Verùm id Suarez, Laym. et alii passim rejiciunt, et quidem etiamsi confessarius putasset esse veniale, quod fuit mortale; ideoque confessionem bonà fide tali factam non esse opus repetere. Ita Henr. Sanch. 1. mor. c. 10. n. 69. Dian. part. 5. t. 4. r. 121. contra Vasq. Dixi, bonà fide, quia, si malà fide, v. g. quia quæsivisti talem confessarium, qui tibi medèri non possit, debes repetere: cum enim actu peccaveris, dum confitereris, non fuisti ritè dispositus, ideoque nec absolutus. Tamb. l. 2. c. 10. §. 5. » (Tunc igitur debet repeti confessio ob ignorantiam confessarii, quando pœnitens jam novit eum insufficientem; vel quando clarè videt confessarium non percipere gravitatem sui peccati. Salm. de pœn. c. 9. p. 4. n. 28. et 29. Suar. d. 28. s. 2. n. 12. et Lugo d. 16. n. 602. cum Gabr. Henr. Med. Sylv. Hurt. etc.) « Denique si finitâ confessione intelligas confessarium » aliqua non percipisse, sive propter somnum, sive distra-

» ctionem, nescias autem, quæ sint illa, tenèris repetere con- fessionem, si brevis fuerit, quia de singulis prudenter potes dubitare: si autem longa fuerit, ait Tamb. l. c., non tenèri ob rationem contrariam; et satis esse confiteri, quòd dubites, an aliquod ex tuis peccatis confessor perceperit. » (Sic etiam tenent Salm. ibid. n. 24. cum Dicast. et Leand. qui dicunt, Christum D. non præsumi imposuisse præceptum integritatis cum tanto onere, scilicet omnia peccata repetendi in tali casu, et idem docet Lugo d. 16. n. 607. cum Sanch. etc. communiter.)

500. — Rectè notant Salm. ibid. n. 26. cum Lug. et Pal. quòd confessarius non tenetur de singulis peccatis certum formare judicium, sed tantùm de obviis, et claris. Et idem ajunt Tamb. cum Sylvest. et Holzm. n. 727. cum Sporer, et communi. Deinde dicunt Salm. ibid. 7. n. 27. cum Suar. Lug. etc., quòd si pœnitens confiteatur peccatum; quod nec ipse, nec confessarius noverit esse mortale, si postea noverit certò fuisse mortale, non tenetur iterùm confiteri. Vide dicta n. 479. in fine.

Eodem loco docent Salm. (dict. n. 27.) cum Soto, Suar. Con. Lugo, Pal. Bon. etc. non esse similiter iterandam confessionem factam bonà fide confessario nescienti discernere species et numerum: neque inter mortale et veniale, etiam in casibus obviis. Ratio, quia, etsi debita pœnitentia non imponatur, absolutio utique valida est, dum ex utraque parte concurrunt jam requisita ad valorem sacramenti. Sic enim censendum est, Christum Dominum hoc sacramentum instituisse, cum tales defectus passim contingant. Hoc tamen dico intelligendum, nisi constet, numerum, vel species explicatas fuisse; aliàs integritas confessionis certò supplenda est, ut rectè advertunt cum communi Lugo dist. 22. n. 77. Elbel. p. 276. n. 254. et eisdem Salm. de pœnit. c. 12. p. 4. n. 49. cum Gabr. et Dicast. Quia, licèt prior confessio fuerit valida, confessio tamen præsens facienda est cum debita integritate.

501. — « Secundò. Invalida est ex parte pœnitentis, si fuit excommunicatus, de quo infra: si mortale tacuit; vel de co se falsò accusavit; si mortaliter negligens fuit in examinanda conscientia: item si non fuit attritus (quod patère solet inde, si sponte quæsierit confessarium surdum; in- doctum, cæcum, etc. Vide Sanch. l. c.): si nolit tollere

» occasiones, etc. Vide *Dian. p. 4. t. 4. r. 201.* quibus addi potest ut plurimum, si peccatum carnale confessus sit suo complici. » (*Hoc hodie certum est ex bullâ Bened. XIV. sub pena excommunicationis in absolventem Papæ reservatæ. Vide Decret. I. Bened. XIV. in fine Operis et vide dicenda n. 555.*

502. — * Resp. 2. Si confessio apud eundem confessarium iteretur, sufficit uno verbo in communi se accusare de peccatis antè illi cognitis, dummodo is eorum recordetur, saltem in confuso, aut statûs, ac vitæ hominis in communi, aut pœnitentiæ à se impositæ, ut docent *Vasq. Tol. Laym. Sa, Dian. p. 5. tr. 4. r. 125.* Imò si nihil horum, sed tantùm quòd sibi confessus fuerit, recordetur, validè, etsi illicitè, absoluturum putant *Laym. et Dian. l. c.* Idem absolutè docent *Granad. et Mercerus in 5. p. q. 9. n. 1.* cum quibus *Dian. p. 5. t. 14. r. 51.* se retractans, probabile censet, quòd etiam licitè possit absolvere.

Quæritur an sit repetenda confessio, si sacerdos oblitus fuerit peccata audita, antequam absolutionem impertierit? Commune est apud DD. non esse repetendam confessionem factam eidem confessario, quando illa fuit proluxa, aut absolutio fuisset dilata, et confessarius recordatur saltem in confuso statûs pœnitentis. Ita *Nav. Sylv. etc.*, quos citat et sequitur *Suar. d. 22. sect. 6. in fine, Laym. c. 9. n. 6. Con. d. 7. dub. 11. n. 109. Bon. q. 5. sect. 2. p. 5. n. 15. Croix n. 1216. cum communi.*

Dubium 4. est, an repetenda sit confessio apud eundem confessarium, quando confessio fuit invalida?

Prima sententia probabilis, quam tenent *Suar. l. c. n. 7. et Con. l. c.* distinguit, et dicit quòd si confessio fuit nulla defectu alicujus partis essentialis in sacramento, nempe quia deficit dolor, aut integritas in pœnitente, aut jurisdictio in confessario, tunc tota repetenda est. Ratio, quia eo casu confessio non fuit sacramentalis. Et huic sententiæ consentiunt in parte *Palud. Adrian. Moya, et Ills. apud Croix n. 1216.* scilicet casu quo confessio fuit irrita defectu jurisdictionis in confessario, quia tunc fuit facta non judici. Secùs verò, si confessio fuit invalida ex parte confessarii ratione tantùm sui muneris, nempe quia ipse non benè pronuntiaverit formam, vel non habuerit intentionem absolvendi. Et hoc est commune

apud omnes (ut ait *Croix l. c.*), modò confessarius remissionem statûs pœnitentis.

Secunda sententia verò communior, et non minùs probabilis, quam tenent *Nav. c. 9. n. 49. Lugo d. 16. n. 658. Tamb. l. 5. c. 2. n. 9. Diana p. 5. tr. 4. r. 125. cum communi, Laym. c. 9. n. 6. cum Sa, S. Anton. Sylvest. Med. Vasq. item Bon. Val. Aversa, et alii ap. Croix d. n. 1216.* dicit, quod undecumque defectus evenerit, sive ex parte confessarii, quia deficit jurisdictio, sive ex parte pœnitentis, quia deficit dispositio aut integritas, non est opus repetere confessionem, sed sufficit si confessarius recordetur statûs pœnitentis, vel resumat notitiam ejus in confuso, et pœnitens in communi se accuset de omnibus priùs confessis. Ratio, quia, licèt prima confessio non fuerit sacramentalis, utpote sacrilega, vel facta non judici, tamen ratificatio illius, dum pœnitens deinde in generali se accusat de culpâ confessis, conjuncta cum notitia antecesser habita à confessario, bene sufficiens reputatur. Item, quia (ut probabiliter censet *Croix l. c.*) talis confessio, cum facta fuerit in ordine ad absolutionem recipiendam, sufficienter dicitur etiam sacramentalis, quatenùs ipsa etiam ad sigillum sacramentale obstringit.

Non autem placet sententia *Lugonis n. 658.* quam sequitur *Aversa ap. Croix n. 1217.* nempe quòd si pœnitens ex mera narratione dixerit confessario peccata sua, et postea de illis in communi se accuset, tunc pariter sufficiet quòd confessarius de ipsis in confuso recordetur. Sed veriùs dicendum cum *Croix loc. cit.* tunc omninò repetendam esse confessionem. Ratio, quia nulla confessio tunc adfuit sacramentalis, nec prima, nec secunda: non prima, quia peccata non fuerunt manifestata in ordine ad absolutionem, ita ut de illis confessarius non teneretur ad sigillum sacramentale: non secunda, quia peccata non sunt sigillatim confessa, ut requiritur in Tridentino, ubi dicitur, quòd in confessione sacramentali debent explicari omnia et singula peccata.

Dubitatur 2. Quid si confessarius ne confusè quidem recordetur statûs pœnitentis, sed tantùm pœnitentiæ injunctæ? Hoc sufficere ad absolvendum dieunt *Nav. c. 9. n. 49. et Busemb. ut suprâ cum Vasq. Tol. Laym. Sa, etc.* Et ratio videtur esse, quia ex ipsa notitia pœnitentiæ poterit confessarius efformare judicium de statu pœnitentis.

Dubitatur 3. Quid si confessarius nec meminertit statûs pœnitentis, nec pœnitentiæ injunctæ, sed tantum quod pœnitentiam imposuerit? adhuc hoc casu dicunt *Suar. et S. Anton. Sylvest. Pal. apud Croix n. 1216.*, sufficere, si memoretur imposuisse pœnitentiam. Sed huic non acquiesco, quia sacerdos, dum sententiam profert, debet efformare judicium saltem de statu conscientie pœnitentis. Casu verò quo confessarius non imposuisset pœnitentiam, nec haberet nunc notitiam saltem confusam status pœnitentis, non poterit quidem licetè absolutionem impertiri, ut rectè dicunt *Lugo n. 642. Croix n. 1218. et Laym. cum aliis supra cit.*, quia tunc non posset convenientem imponere pœnitentiam. Si tamen tunc absolveret, facta confessione in communi, validè absolveret, ut *Laym. c. 9. n. 6. in fine, et Croix l. c. cum Aversa, Illsung., et Diana.*

505. — « Resp. 5. Rarò obest defectus ex parte confessarii, si pœnitens eum inculpabiliter ignorat; quia in confessione sequenti absolvitur etiam ab iis, à quibus se bonà fide absolutum putabat.

Unde resolves :

« Is, qui à puero peccatum aliquod grave, v. g. mollitiem, inculpabiliter omisit, vel quia putavit leve esse, vel nullum, non ideò tenetur repetere alia peccata (vel confessiones intermedias), sed hoc tantum, ut docent *Bon. Sanch. t. 1. l. 1. c. 16. Vasq. in 1. p. t. 4. q. 92. Sancius, Laym. hic cap. 9.*, addens, si simplex rusticus, qui totà vità tantum fecit confessiones generales, nihil confitens in specie, nec aliter instructus sit, etsi validè is sit absolutus, cum onere, ut cum meliùs cognoverit, omnia subjiciat clavibus; si tamen veniat, quando ingens est copia pœnitentium, ut tunc disponi non possit ad omnia repetenda, posse eum absolvi, auditis tamen peccatis ab ultima confessione factis, cum obligatione, ut meliùs faciat. Ita *Laym. l. c. c. 9. n. 4. Vide Dian. p. 5. t. 4. r. 108.* ubi addit ex *Nav. Sylv. Becan. Vasq. Regin. t. 1. l. 6. c. 5. sect. 5. n. 155. et Joan. Sancio*; quòd etsi ex errore culpabili mortaliter, peccatum tale, v. g. mollitici, vel numerum aliamve circumstantiam necessariam omiseris, non ideò teneris re-

petere confessiones intermedias bonà fide, et legitime factas (in quibus ex naturali oblivione defectum illum non fueris confessus), cum validæ fuerint, et maneant validæ.

Opinio suprâ enuntiata apud *Busemb.*, nempe quòd possit dimidiari confessio ob copiam pœnitentium (quamvis *Laym. l. c.* hanc non absolutè teneat) est proscrip̃ta ab *Innoc. XI.* in prop. 89., quæ dicebat: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ.*

504. — Quod autem ad confessionem rusticorum pertinet, dicit *I. Tamb. Meth. Confess. l. 3. c. 2. n. 9. cum Hurt.*, quòd rustici, et pueri, qui bonà fide confessi sunt, omitendo explicare species, et numerum suorum peccatorum, non sunt cogendi ad confessiones repetendas; sed hoc omninò est improbable, quia, licet hujusmodi rustici non teneantur repetere integrè confessiones præteritas, cum illæ satis fuerint validæ, ut dicunt communiter et meritò *Pal. p. 12. n. 5. et Salm. de pœnit. c. 9. p. 4. n. 26. cum Suar. Sylvio, Soto, Lugo, Conc. Adriano, Bon. Gabr. Dic. Præpos. Hurt. Fill. Vill. etc.* (quidquid dicant *Vasq. Turr. etc. ibid. n. 25.*) quia ad tales confessiones jam adfuerunt omnia essentialiter requisita; formalis enim confessio est de essentia, non materialis; tenentur tamen explicare species, et numerum omissum, ut saltem confessionem præsentem integram faciant: ita *Lugo d. 22. n. 77. Bonac. q. 5. sect. 2. p. 3. n. 6. et Salm. ibid. p. 5. n. 15. et c. 12. p. 4. n. 49. cum Sylvest. Nav. Vasq. Reg. et aliis passim.*

Dicit *H. P. Segneri (Instruct. Confess. cap. 1.)* citans *Perez et Lugonem d. 16. n. 583.* (sed hunc non bene, ut infrâ videbimus) quòd si rusticus in confessionibus præteritis dixerit peccata sua modo rudium in confuso, non debet confessarius eum obligare, ut confessiones repetat; quia peccata illa jam fuerunt directè absoluta. Sed neque hoc placet, nam quamvis confessiones illæ fuerint validæ ob integritatem formalem, et peccata directè absoluta fuerint, tamen ipsæ fuerunt deficientes quoad integritatem materiale, quæ semper supplenda est. Et *Lugo l. c.* dicit huic difficultati difficulter responderi posse, tantum ibi ait, quòd ob solam

probabilitatem extrinsecam posset quis opinionem contrariam sequi, utendo sententiâ illorum AA. qui dicunt non esse obligationem iterum explicandi peccatum prius confessum ut dubium, si postea noseatur ut certum. Sed hanc opinionem jam reprobovimus cum communi n. 478.

Dicunt III. *Salmant. de pœnit. c. 9. p. 5. n. 13. cum Henr. Fagnan. Dian. et Dicast.*, quod rustici, qui sine culpa omiserunt explicare numerum peccatorum, non tenentur repetere confessiones, casu quo uniformem rationem vivendi tenuerint in præteritis annis, ita ut ex confessione unius anni confessarius possit alias conijcere. Hoc ita genericè assertum neque satisfacit; nam id tantum censeo posse admitti, quando in principio confessionis pœnitens patefecerit confessario præsentem, quod in annis præteritis semper confessus sit malè, numerum omittendo, et confessarius ab initio, confessionem excipiendo illius anni, efformet simul iudicium de annis præteritis. Secus verò dicendum, si confessarius post confessionem exceptam illius anni advertat, pœnitentem omisisse numerum explicare in superioribus annis; tunc enim, si ex confessione præsentem habeat distinctam notitiam peccatorum, poterit quidem (quin repetantur priores confessiones) formare simul distinctum iudicium de annis præteritis; sed si ex confessione præsentem habeat tantum confusam notitiam de culpâ confessis, ut sæpius accidit in confessionibus longioribus et implicatis, eo casu (ut benè ait *Lugo d. 16. n. 640.*) tenetur sumere distinctam notitiam specierum, et numeri omisi in confessionibus præteritis, nec sufficit tunc ad absolvendum notitia illa confusa status pœnitentis de annis præteritis, cum ex una parte teneatur pœnitens aliquando peccata sua confitèri sigillatim, quod nunquam fecit; et ex altera tenetur confessarius aliquando distinctum efformare iudicium de peccatis.

303. — Cæterum hic sedulo advertendum, non esse cogendos pœnitentes ad repetendas confessiones nisi moraliter certò constet eas fuisse invalidas, ut rectè dicunt *Croix l. c. p. 2. n. 1221. Gobat. tr. 7. n. 273. Holzm. p. 179. n. 685. r. Resp. Mazzotta t. 5. p. 562. et Elbel p. 281. n. 275. cum Fill. et communi (contra Antoine p. 511. q. 12., qui inter rigidos auctores nostri temporis non infimum habet locum). Ratio, quia possessio stat pro valore confessionum*

præteritarum, quamdiu de earum nullitate non constat. Dices: Quando extat præceptum, et dubitatur de ipsius impletionem, possidet obligatio præcepti; ergò in dubio de valore confessionum præteritarum possidet obligatio eas repetendi. Sed respondetur, quòd regula præfata tum currit, cum adest præceptum, et dubitatur, an actus impletionis fuerit positus vel ne; cum verò talis actus jam bonâ fide fuerit positus, et postea dubitatur, an fuerit validus vel invalidus, tunc ille ut validus est reputandus; tunc enim currit aliud principium, nempe quòd in dubio standum est pro valore actus, ut communiter tradunt DD. cum *Laym. l. 4. c. 5. n. 52. ex Glossa in l. In contrahenda, de Reg. Jur. Croix l. 1. n. 91. Sporer tr. 1. c. 7. n. 78. Mazzotta t. 1. n. 74., qui asserit communem, et Nav. Man. c. 26. n. 287. ubi dicit: Præsumptio pro actus valore præponderat aliis.*

Et quoad obligationem repetendi confessiones recidorum, de quarum valore sæpè dubitari potest, hanc regulam optimè tradit *Habert t. 6. p. 463.* sic dicens: *Si pœnitens aliquandiu post confessionem dignos pœnitentiæ fructus fecit, hoc est strenuè adversus tentationes, et peccandi occasiones pugnaverit, confessarius iudicabit validam fuisse confessionem. Secus si paulò post confessionem, seu datâ primâ occasione, lapsus fuerit. Tunc enim, ego addo, reverà moraliter certum est confessiones fuisse nullas, nam ille qui in confessione verè dolet et proponit emendationem, saltem per aliquod tempus à peccato se abstinere, saltem aliquem conatum adhibet ante relapsum; unde qui post suas confessiones ut plurimum citò et sine aliqua resistentia iterum cecidit, certè censendus est nullum, vel nimis tenuem habuisse dolorem vel propositum. Aliter verò dicendum, si per aliquod tempus perseveraverit, vel ante casum aliquam saltem resistentiam præstiterit (1).*

(1) « Et quoad repetendas confessiones præteritas, rectè dicit *P. Segneri* »
 » talem obligationem non adesse, nisi habeatur moralis certitudo de invaliditate confessionum præteritarum, ut esset, cum observatur, quòd aliquis »
 » post confessiones semper reincidit in eadem peccata statim post biduum »
 » aut triduum, sine ulla resistentia et quin aliquod medium adhibuerit et »
 » quin occasionem removerit. » *Hom. Ap. tr. 16. n. 26.*

DUBIUM IV.

DE SATISFACTIONE.

ARTICULUS I.

Quæ ejus necessitas, et quantitas.

- 506 Quomodo satisfactio sit necessaria? Et an sit venialis ejus omissio in culpis venialibus?
- 507 Quibus casibus possit imponi levis pœnitentiâ? Et an possit minui propter illud: Quidquid boni feceris, etc.
- 508 Quando licitè imponatur pœnitentiâ minor justo? Quanta debeat esse juxta Tridentinum?
- 509 An sit justa causa minuendi pœnitentiâ prudens timor, ut pœnitens eam impleat?
- 510 Auctoritates circa hoc punctum?
- 511 An possit injungi pro pœnitentiâ ingressus religionis, aut susceptio statûs conjugalis?
- 512 An et quando possit vel debeat imponi pœnitentiâ publicâ?
- 513 Dub. 1. An possit injungi opus aliâs debitum? Dub. 2. An pœnitentiâ mox antè imposita?
- 514 An possit imponi opus internum? Et an opus pro defunctis? An cessatio ab aliquo bono opere? An pœnitentiâ possit imponi post absolutionem?
- 515 Sub qua obligatione pœnitens teneatur acceptare et implere pœnitentiâ?
- 516 Dub. 1. An pœnitens teneatur sub gravi acceptare et implere pœnitentiâ justam? Quid si sit gravior justo?
- 517 Dub. 2. Quid si sit imposita pro venialibus aut mortalibus confessis?
- 518 Dub. 3. An confessarius pro culpis gravibus possit dare pœnitentiâ gravem sub obligatione levi?
- 519 Dub. 4. An tempore jubilæi vel indulgentiâ plenariâ confessarius possit omittere impositionem pœnitentiâ?
- 520 Dub. 5. An si pœnitens oblitus sit pœnitentiâ, teneatur repetere confessionem, ut eam recipiat?
- 521 Pœnitens implens pœnitentiâ in mortali. Quæ dilatio sit mortalis in implenda pœnitentiâ?
- 522 Dub. 1. An existens in mortali possit satisfacere pœnitentiâ.
- 523 Dub. 2. An peccet satisfaciens in mortali?

- 524 An possit imponi pœnitentiâ sub conditione, si relabatur?
- 525 An transacto tempore præscripto desinat obligatio implendi pœnitentiâ?
- 526 An pœnitentiâ possit impleri per alium?
- 527 An pœnitentiâ sit implenda ante communionem?
- 528 Quis et quomodo possit commutare pœnitentiâ?
- 529 Dub. 1. An pœnitens teneatur eo casu repetere confessionem. Dub. 2. Quid si pœnitentiâ fuerit imposita pro peccatis reservatis? Dub. 3. An confessarius possit commutare pœnitentiâ extra confessionem?
- 530 Adnotantur principiares canones pœnitentiales.

306. — **R**ESP. 1. Satisfactio, seu pœnitentiâ à confessario data, est necessaria necessitate non sacramenti, sed præcepti; ideoque à confessario regulariter imponenda est, secundùm Suarez, et Reg. t. 1. l. 7. n. 17. sub mortali; tamen Card. de Lugo concedit, ex parvitate materiâ posse venialiter peccari, ut vide d. 25. n. 47. v. g. si ob peccata venialia levis pœnitentiâ esset injungenda; ejus enim voluntariam omissionem venialem tantùm esse; (Et probabile putant Salmant. c. 10. p. 2. n. 19. cum Dic. etc.) ita etiam Dian. p. 6. t. 6. res. 44. Et quidem proportionata tùm peccatis, tùm facultati pœnitentis. Ratio prioris est, quia est pars sacramenti non essentialis, sed integralis tantùm, habens effectum ex opere operato, et majorem vi sacramenti, quàm sine eo. Ratio posterioris est, tùm ex Trident. sess. 14. can. 8. tùm quia sacerdos tenetur curare integritatem sacramenti, et tam vindicare, quàm mederi. Bonæ. t. 1. d. 5. q. 5. §. 5. p. 2.

Unde resolves:

307. — 1. Excusatur aliquando confessarius, si levissimam (vel etiam nullam) pœnitentiâ injungat, v. g. I. Si pœnitentem vehementissimè contritum, aut aliter satisfecisse advertat. Caj. Nav. Suar. Reg. Bon. de pœn. d. 5. q. 5. sect. 5. p. 2. n. 1. et 2. Esc. cap. 6. n. 41. Cum verò id rarò, vel nunquam constare satis possit, tutius est (Imò necessarium ex Salm. de pœnit. c. 10. p. 2. n. 22. cum Pal. et Coninck) aliquam semper injungere; ut rectè monet

» *Card. de Lugo d. 25. sect. 4. n. 48. II. Si pœnitens sit*
 » *mentis impos, aut aliter impotens, aut morti proximus,*
 » *aut valde debilis, cui tamen prudenter injungi levem sal-*
 » *tem pœnitentiam, v. gr. percussione pectoris, invoca-*
 » *tionem nominis Jesu (saltem corde) aliosve pios motus,*
 » *vel ut per hæredes sacrificia, eleemosynas, et similia*
 » *opera pia fieri curet, monet Suarez, Laym. et Bonac.*
 » *l. c. et Navar. qui addit, posse injungi, ut patienter ferat*
 » *infirmiorem, quod tamen Bonac. l. c. non probat; cum*
 » *fieri possit, ut id valde angat infirmum, timentem se non*
 » *ritè satisfacere.* » (Nota hic quod habetur in *Rituale Ro-*
 » *mano: Aegris non esse injungendam gravem pœnitentiam,*
 » *sed indieendam tantùm illam, quam, si convalescerint, oppor-*
 » *tuno tempore peragant. Et idem dicitur in can. Ab infirmis.*
 » *curus. 26. qu. 7. Dicunt autem Salm. ibid. n. 21. in fin. et*
 » *Dicast. d. 14. dub. 2. n. 14. quòd si infirmus potest satisfacere*
 » *per eleemosynas, imponendæ sunt à confessario).* « III.
 » *Quando scrupulosus sæpius intra eandem horam redit*
 » *cum novis culpis; quia supponitur satis imposita in præ-*
 » *cedentibus. Tan. l. 4. c. 1. ex Fagund.*

« 2. Etsi confessarius peccet ex communi, si pro magnis
 » peccatis valde parvam pœnitentiam imponat, excusari
 » tamen eum posse putat *Diana p. 5. t. 4. res. 92.* si
 » addat illud: *Quidquid boni feceris, etc.* Verùm hæc regula
 » universaliter admitti non potest, ut benè notant *Card. de*
 » *Lugo d. 25. n. 57. Conin. Tanner. Palaus, etc.* contra
 » quos *Diana* pro se citat *Baum. et Leand. p. 6. l. 7. res.*
 » *5. et p. 9. t. 9. resol. 54.* et ab aliis non immeritò
 » rejicitur, eò quòd verba, utpote merè deprecatoria, non
 » habeant vim elevandi omnia opera bona* ad efficaciam
 » sacramentalem. *Aversa quæst. 15. sect. 7.*

Utrùm per illa verba: *Quidquid boni feceris, etc.* eleventur
 ad effectum satisfactionis sacramentalis omnia bona opera
 pœnitentis, licèt non imposita? Negat *Viva q. 6. a. 1. n.*
 » *5.* quia virtus clavium tùm elevat pœnitentis opera, cum
 » ligat; quapropter, cum verba illa ad nihil obligent in par-
 » ticulari, non ligat, et consequenter nec opera elevari pos-
 » sunt. Sed longè probabilius et communiùs ex *D. Thom.*
 » affirmant *Nav. c. 26. n. 24. Fill. tr. 8. c. 2. Salm. de pœnit.*

c. 10. p. 5. n. 55. *Elbel n. 248. Sporer n. 569. Holzm.*
 » *n. 610. cum Reg. et Stoz., et probabile vocat ipse Viva l. c.*
 » *Ratio, quia Ecclesia non frustrà, sed ad hoc quidem verba*
 » *illa proferri præscripsit, ut omnia bona opera pœnitentis,*
 » *quamvis ex ejus electione fiant, ad satisfactionis sacramen-*
 » *talis meritum eleventur. Id omne docet D. Th. in Quodlib.*
 » *5. art. 28. ubi sic ait: Et hæc quæ præter injunctionem*
 » *expressam (pœnitens) facit, accipiunt majorem vim expiatio-*
 » *nis culpæ præteritæ ex illa generali injunctione, quæ sacer-*
 » *dos dicit: Quidquid boni feceris, etc. Et quantum ad hoc*
 » *talis satisfactio est sacramentalis, in quantum virtute cla-*
 » *vium est culpæ commissæ expiativa.*

508. — « 5. Minor justo licèt datur ex causa: qualis, v.
 » g. est: I. Magna contritio. » (Nisi pœnitentia sit necessaria
 » ad medicinam) « II. Fragilitas animi, vel corporis, ob quam
 » timetur majorem non impleturum. III. Tempus jubilæi,
 » vel indulgentiæ plenariæ. Ita *Suarez, Henriq. Laym.*

Certum est confessarium tenèri tò judicem, et ut medicum
 imponere pœnitentibus satisfactionem, per se loquendo, pec-
 » catis condignam; ut judici enim incumbit infligere pœnas
 » delictis commensuratas, et ut medico præscribere pharmaca
 » idonea tam morbis contractis curandis, quàm in posterum
 » vitandis: ita ex *Trident. sess. 14. cap. 8.* ubi dicitur: *Debent*
 » *ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia sug-*
 » *gesserit, pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate*
 » *salutares, et convenientes satisfactiones injungere; ne, si fortè*
 » *peccatis conniveant, et indulgentiùs cum pœnitentibus agant,*
 » *levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo,*
 » *alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem*
 » *præ oculis, ut satisfactio quam imponunt non sit tantum ad*
 » *novæ vitæ custodiam..., sed etiam ad præteritorum peccato-*
 » *rum vindictam, et castigationem.* Ergò tenetur pœnitens tam
 ad integrandum sacramentum, quàm ad satisfaciendum divi-
 » næ justitiæ exigenti reparationem injuriæ sibi illatæ, pœna-
 » lem satisfactionem Deo exhibere.

Hinc benè advertit Catechismus Rom. p. 2. c. 5. n. 79. *Ut*
 » *pœnitentes suorum scelerum pravitate magis agnoscant, operæ*
 » *pretium erit eis interdum significare, quæ pœnæ quibusdam*
 » *delictis ex veterum canonum præscripto (qui pœnitentiales*
 » *vocantur) constitutæ sint.*

509. — Diximus, per se loquendo; nam per accidens confessarius minuet pœnitentias propter justas causas, mox supra à Busemb. descriptas, et signanter (prout communiter DD. docent) propter animi infirmitatem, quâ laboret pœnitens, et ob quam censeatur satisfactionem proportionatam non impleturus. Ita D. Thom. Suppl. quæst. 18. art. 4. (eujus verba inferiùs referentur) Suar. d. 58. sect. 4. cum communi, Nav. cap. 16. n. 21. Anacl. p. 654. n. 23. Tol. lib. 3. cap. 41. n. 8. Abelly p. 160. vers. 3. Elbel n. 248. Laym. cap. 15. n. 12. Pal. p. 20. n. 10. Salm. de pœnit. c. 10. p. 3. n. 46. ac alii passim etiã rigidioris sententiæ sectatores. ut Habert de pœn. cap. 10. §. 7. Petrocor. c. 2. quæst. 2. et Natal. Alex. cap. 6. art. 6. reg. 5. Ratio, quia tametsi juxta divinæ justitiæ rationem exigatur satisfactio peccatis adæquata, tamen ex divina clementia habenda est ratio virium pœnitentium tam corporis, quàm animi. Ideò dicitur in Tridentinò: *Divinam clementiam decere, ne nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur.* Nota illud absque ulla satisfactione; ergo Deus non omnimodam satisfactionem, sed aliqualem ex sua clementia tantùm exposcit. Et huc facit id quod dixit D. Thomas Quodlib. 5. art. 4. *Si contingat quòd sacerdos mitiorem satisfactionem imponat... nihilominus pœnitens ad aliquid ulterius obligatur; quod si in hac vita non perficiet, in purgatorio exsolvet.*

Nec obstat quòd in Trident. l. c. præscribatur pœnitentia injungenda esse pro qualitate criminum; nam ibidem simul dicitur, ut supra relatam est, ut satisfactiones imponantur, quantum prudentia suggesserit pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate salutaris et convenientes. Nota tò pro pœnitentium facultate, id est spectatâ illorum infirmitate corporis, et animi: et nota tò salutaris, et convenientes; unde rectè ait Auctor de Offic. Conf. apud Croix lib. 1. quæst. 50.: *Salutares non sunt satisfactiones, quibus præ gravitate vix pares esse pœnitentes videntur, adeò ut in eorum perniciem vertant.* Sic etiã explicat Abelly p. 161. verbum illud salutaris: *Id est, utiles ad salutem pœnitentium: confessarius enim debet hoc solum ob oculos habere, ut pœnitentis saluti consulat.* Appositè etiã Antoine, quamvis hic auctor meritò numeretur inter Scriptores rigidiores nostri temporis, tamen p. 516. n. 5. sic dicit: *Satisfactiones vindicativæ, ut*

salutares sint et convenientes, debent esse proportionatæ, non solum multitudini et gravitati peccatorum, sed etiã facultati et dispositionibus pœnitentis; neque enim salutares sunt pœnitentiæ tam graves ac diurnæ, ut spectatâ pœnitentis fragilitate periculum sit, ne eas omittat; nam tunc in ejus exitium verterentur. In hoc autem sacramento magis intenditur emendatio et salus pœnitentis, quàm satisfactio pro pœna. Si ergò expediat ad bonum spirituale pœnitentis, potest imponi levior pœna quàm mereatur. Quare S. Anton. 3. p. tit. 16. c. 21. ait: *Debet confessarius dare talem pœnitentiam, quam credat verisimiliter pœnitentem implere, ne ipsam violando deterius ei contingat.* Et Rituale Parisiense dicit: *Confessarius pœnitentem interroget, an possit pœnitentiam sibi injunctam peragere, alioquin eam pro sua prudentia immutet, aut minuat.* Ita Antoine. Idem sentit Gonet t. 6. p. 463. collig. 2. ubi inquit: *Ex rationabili causa potest interdum confessarius levioram pœnitentiam injungere, ut si pœnitens gravi morbo sit oppressus, vel si sit periculum, quod à confessione deterreatur, aut pœnitentiam injunctam non adimpleat.* Unde Gerson in Regula mor. p. 2. c. de pœnitentia dicit: *Tutius est cum parva pœnitentia, quæ spontè suscipitur, et verisimiliter adimpletur, ducere confessos ad purgatorium, quàm cum magna non implenda præcipitare in infernum.* Et Cajet. in Summa v. Satisfactio, ait: *Debiliter disposito pœnitenti danda est satisfactio, ut parvulus ignis foveatur, et ne apposita palea suffocetur appositis lignis desuper.* Item Scotus d. 15. q. 1. art. 3. loquens de pœnitente qui animo est infirmus, ait: *Si adeò est delicatus, quòd non velit jejunium adimplere, imò si nullam pœnitentiam vult recipere, absolvendus est, et non respuendus, ne cadat in desperationem.* Et sic demùm concludit: *Illud sibi imponendum quod libentius recipit, et quod creditur impleturus.*

Idque confirmatur ex Rituali Rom. de Sacram. pœnit. ubi dicitur: *Postremò confessarius salutarem et convenientem satisfactionem, quantum spiritus et prudentia suggesserit, injungat, habitâ ratione status, conditionis, sexus, et ætatis, et item dispositionis pœnitentium.* Nota tò dispositionis.

510. — S. Carolus Borrom. in Instruct. Conf. ap. Conciam p. 546. n. 14. sic præscripsit: *Canonum pœnitentias, ut tempora ferunt, pro charitate et prudentia sua (sacerdos)*

minuet, prout peccatorum circumstantiæ requirent, in quibus rationem habebit contritionis... Nec verò putent sua peccata levia esse, quia parva illis pœnitentia data est, sed hoc factum esse, ne eam quæ pro culparum ratione injungenda erat (nota) deserant cum periculo salutis suæ. Proinde pœnitentes ideo hortandi erunt, ut præter opera imposita, plura etiam alia præstare conentur. Additque idem S. Archiepiscopus: Talem imponat pœnitentiam, qualem à pœnitente præstari posse judicet. Proinde aliquando, si ita expedire viderit, illum interroget, an possit, anve dubitet pœnitentiam sibi injunctam peragere; alioquin eam mutabit, aut minuet.

S. Joannes Chrysost. Hom. 43. in c. 28. Matth. sic ait: Etsi erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? Item Hom. 44. Sicuti enim, si fascem super humeros adolescentis quem non potest bajulare posueris, necesse est aut ut fascem abjiciat, aut sub pondere confringatur: sic et homini (nota) cui grave pondus pœnitentiæ imponis, necesse est, aut ut pœnitentiam suam rejiciat, aut suscipiens, dum sufferre non potest, scandalizatus ampliùs peccet. Idque confirmat S. Doctor ex eo, quod scribit Apostolus (2. Cor. c. 2. v. 6. et 7.): Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus, ita ut è contrario magis donetis, et consolamini, ne fortè abundantiori tristitia absorbeat, qui ejusmodi est. Unde Chrysostomus sic prosequitur: Ex ea re docemur, quòd non solum ad peccatorum naturam, verùm etiam ad mentem, habitumque peccantium oporteat moderari pœnitentiam. Hom. 4. in 2. ad Cor.

Confirmat D. Thomas (cujus regulam dicit Conc. p. 595. n. 12. servandam esse in imponendis pœnitentiis) Suppl. q. 18. ar. 4. dicens: Pœnæ satisfactoriæ in canonibus determinatæ non competunt omnibus, sed variandæ sunt secundum arbitrium sacerdotis... Sicut ergo medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur; ita sacerdos divino instinctu motus, non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus ex magnitudine pœnæ desperet, et à pœnitentia totaliter recedat. Et quòd hic S. Doctor non solum loquatur de imbecillitate corporis, sed etiam animi pœnitentis, patet ex contextu

ejusdem articuli; et clariùs ex Quòd. 5. a. 28. ubi dicit: Videtur autem satis conveniens, quòd sacerdos non oneret pœnitentem gravi onere satisfactionis, quia sicut parvus ignis à multis lignis suppositis de facili extinguitur, ita posset contingere, quòd parvus affectus contritionis in pœnitente nuper excitatus, propter grave onus satisfactionis extingueretur, peccatore totaliter desperante; unde melius est, quòd sacerdos pœnitenti indicet, quanta pœnitentia esset sibi pro peccatis injungenda, et injungat sibi nihilominus aliquid quod pœnitens tolerabiliter ferat: ex cujus impletione assuefiat, ut majora impleat, quæ etiam sacerdos injungere non attentasset. Et hæc quæ præter injunctionem expressam facit, accipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ, ex illa generali injunctioe quâ sacerdos dicit: Quidquid boni feceris sit tibi in remissionem peccatorum. Et idem Angelicus Opusc. 63. §. 4. postquam dixit: Sacerdos non imponat pœnitentiam ita gravem, ut pœnitens totam dimittat... nec ita levem, ut contemnat peccatum. Deinde addit: Tamen tutius est imponere minorem debito, quàm majorem, quia melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam, quàm per nimiam severitatem, quia talis defectus in purgatorio supplebitur.

Idem fortius insinuat S. Antoninus 5. p. tit. 16. c. 20. sub initio, ubi ait: Est autem satis rationalis causa non dandi hujusmodi pœnitentias indispositio pœnitentium, etiam quia aliquando non sufficeret tempus vitæ; nam (ut dicunt Raymond. et Hostiens.) debet confessor dare talem pœnitentiam, quam credat verisimiliter illum implere, ne ipsam violando deterius contingat. Quòd si magna peccata commisit, et dicit se pœnitere, sed non posse aliquam duram pœnitentiam agere, animet eum ad hoc confessor, ostendendo ei gravitatem peccatorum, et per consequens pœnarum, et sic tandem injungat ei pœnitentiam quam libenter suscipiat. Et si sacerdos non potest gaudere de omnimoda purgatione ejus, saltem gaudeat, quòd liberatum à gehenna transmittit ad purgatorium. Itaque (ut inquit Host.) confessor nullo modo debet permittere peccatorem desperatum recedere à se, sed potiùs imponat ei unum Pater noster, vel aliud leve, et quòd alia bona quæ fecerit, et mala quæ toleraverit, sint ei in pœnitentia, concordante S. Thoma. Hoc tamen sanè intellige, videlicet, quia

si aliàs ipsum pœnitet, et paratum dicit se facere quod debet, sed onus pœnitentiæ dicit non posse sufferre, tunc propter hoc quantumcumque deliquerit, non debet dimitti sine absolutione, ne desperet. Hucusque S. Antonin. Ex quo sequitur, quòd confessarius non debet permittere, ut pœnitens recedat sine absolutione, eò quòd nolit acceptare debitam pœnitentiam, sed potiùs imponat satisfactionem, quam ille libenter suscipiat, et verisimiliter impleat. Hinc probabiliter dicunt *Salm. de pœnit. c. 10. p. 3. n. 46. Croix n. 1255. et Lugo l. c. ex D. Antonino*, ut suprà, quòd est causa etiam satis justa minuendi pœnitentiam, ut pœnitens majori amore afficiatur erga hoc sacramentum. Sic pariter loquitur auctor *Petroc. t. 4. p. 151. q. 5. in fine: Studendum maximè est, ut pœnitentes necessarias pœnitentias sine magno incommodo, et absque confusione adimplere possint; experientià quippe quotidianà docemur, importunas, et nimis onerosas satisfactiones pœnitentium animos frangere, et ab earum executione removere. Et Card. de Lugo d. 25. n. 60. sic ait: Pœnitentia debet esse salutaris et conveniens, hoc est, primo loco attendi debet ad utilitatem pœnitentis, ne scilicet laquei ei injiciantur, ut nova peccata committat; ex quo potissimum capite excusari potest hodierna praxis, quà leves pœnitentiæ imponuntur pro gravissimis peccatis; id enim sæpè fit propter spirituales infirmitatem pœnitentium, quia graviorebus pœnitentiis scandalizabuntur, et vel confessionem fugient, vel certè confessarios imperitos adibunt. Monendi tamen sunt pœnitentes de insufficientia satisfactionis injunctæ. Quapropter sapienter advertit S. Th. de Villanova (Serm. Fer. VI. post Dom. Lætare): Hoc judicio meo ita perficies, si facilem unam (pœnitentiam) injunxeris, acriorem consulueris. Optima praxis.*

Ex his omnibus colligitur, quàm imprudenter se gerant confessarii, qui magnas imponunt pœnitentias, quas prævident pœnitentes non impleturos. O quàm plures confessarii indocti inveniuntur (loquor experientià doctus in Missionibus, in quibus ferè triginta annos sum versatus), qui non dubitant absolvere eos qui vel sunt in proxima occasione peccandi, vel recidivi indispositi, et insipienter putant se ipsos curare graves eis imponendo pœnitentias; ex quo fit, quòd illi, etsi pœnitentiam acceptent, ut absolutionem car-

pant, tamen post absolutionem obtentam, quia nullum eis remedium præscribitur quo præserventur, brevi miserè relabuntur, pœnitentiam non implent, et ab ejus gravitate deterriti, deinde à confessione abhorrent, et sic in peccatis diutiùs tabescunt. Cæterùm hic animadvertendum puto, quòd (extra casum gravissimæ infirmitatis, aut vehementissimæ contritionis, ut suprà dictum est n. 507.) non benè ageret confessarius, si pro culpis mortalibus injungeret pœnitentiam per se levem, quæ levem inferat obligationem. Licet enim, si expedierit, imponatur opus quod respectivè ad peccata sit leve, tamen regulariter semper injungenda est aliqua pœnitentia gravis, quæ gravem inducat obligationem.

511.— « 4. Non potest injungi 1. ingressus religionis, ut docet Sa, v. Satisfactio, quia id nimis durum videtur. » 2. Pœnitentia publica, si sit periculum revelandæ confessionis, aliàs interdum pro publico peccato potest, et » expedit. »

Quoad primum spectat, commune est apud DD. non posse imponi in pœnitentiam ingressum in religionem. Ita *Laym. c. 15. n. 11. et Escob. lib. 17. n. 166. cum Nav. Sa, Sylv. et Henr. ex D. Th. 2. 2. q. 62. art. 2.* An autem possit alicui imponi, ut recipiat sacramentum matrimonii. Affirmat *Leand. d. 9. q. 55.* eum quibusdam, casu quo confessarius noverit matrimonium esse illi remedium necessarium. Sed meliàs hoc reprobat *Laym. l. c. et Escob. n. 167. cum Faqund.* quia matrimonium omnimodam requirit libertatem.

512.— Quoad secundum spectat, pœnitentiam publicam certum est non posse pro peccato occulto imponi, ut ajunt communiter *Palas p. 21. §. 2. n. 5. Croix n. 1263. Elbel n. 256. et alii passim;* quia, ut docent *S. Th. Nav. Suar. Vasq. etc. ap. Elbel,* per hoc indirectè revelaretur sigillum; idque expressè prohibet Rituale Rom. dicens: *Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam pœnitentiam non imponat.* Pro peccato autem publico dubitatur, an possit publica imponi pœnitentia? Negant *Nav. Sa, Reg. et Vega ap. Pal. l. c. §. 5. n. 5.,* quia hæc esset manifestatio confessionis, et violatio sigilli. Sed communiter posse affirmant *Pal. l. c. Suar. d. 57. sect. 6. n. 5. Bon. p. 2. n. 14. Croix n. 1264. Roncag. c. 1. q. 7. Antoine p. 317. r. 2. Salm. de pœnit. c. 10. n. 59. Holzm. n. 609. Elbel n. 258. et Escob. l. 17. n. 154.*

cum Con. Vasq. Henr. Idque expressè docuit D. Thom. in 4. d. 14. qu. 1. a. 5. qu. 1. ubi dixit oportere, ut peccatum publicum publicam habeat medicinam. Probatur 1. ex cap. Manifesta 1. de pœnit. et rem. ubi dicitur: *Manifesta peccata non sunt occultâ correptione purganda. Et ex Trident. sess. 24. c. 8. ubi: Huic (id est publico peccatori) condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi oportet.* Et in hoc loco loqui concilium etiam de foro sacramentali intelligunt plurimi ex AA. citatis contra Nav. qui intelligit non sine quidem aliquo fundamento, ut mox infra dicetur, de foro externo. Nec obstat dicere, quòd talis publica pœnitentia esset manifestatio confessionis; nam, cum illa imponatur de consensu pœnitentis necessario præstando si vult absolvi, manifestatio illa potiùs provenit ex libera actione pœnitentis, quàm ex præcepto confessarii. Hinc dicunt Pal. Salm. Ronc., et Escob. locis cit. ex D. Th. ut supra, confessarium non solum posse, sed etiam aliquando tenèri hanc publicam pœnitentiam imponere. Hoc tamen rectè advertunt Ronc. c. 1. Reg. in praxi 6. et Salm. de pœnit. c. 10. p. 5. n. 59. in fin. cum Con. et Aversa, locum habere in solo casu quo aliter non posset nisi per illam publicam pœnitentiam scandalum reparari, putà publicè restituendo honorem alicui publicè dehonurato. Cæterùm, si publica pœnitentia non sit ita necessaria, meritò dicunt præfati AA. non debere confessarium illam imponere reluctanti, cum aliter possit salus obtinèri pœnitentis, et scandalum reparari, nempe per publicam frequentationem sacramentorum, visitationes Ecclesiarum, auditionem missarum, ingressum in aliquam Congregationem, ubi pietatis opera exercentur, et similia. Hinc Fagnanus in d. cap. Manifesta, refert, quòd S. C. noluit declarare, an in foro sacramentali pro publicis peccatis publicæ pœnitentiæ essent imponendæ.

515. — « 5. Etsi possit, et aliquando ob fragilitatem pœnitentis etiam expediat, injungi opus aliàs debitum, seu præceptum, v. g. missæ auditionem die festo, etc. ut docent Suarez, Vasq. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 15. et alii. (Unde si scrupulosus sæpiùs redeat ad confessarium, intra breve tempus semper nova confitendo, non semper necesse est imponere pœnitentiam novam, cum opus antè debitum possit injungi. Bonac. Henric. Card. de Lugo, Dian. p. 6.

» t. 7. r. 6. contra Suar. Regin. et Baun.). Si tamen confessarius non exprimat, censetur imperasse opus liberum, ut docent iidem, et Dian. p. 5. tract. 4. r. 84. Vide Con. d. 10. dub. 8. et Dian. p. 4. t. 4. r. 241.

Dubitatur igitur 1. An possit pro pœnitentia imponi opus aliàs debitum? Negant Palud. Scotus, Capreol. etc. ap. Renzi cap. 2. sect. 5. q. 5. et consentit Antoine p. 517. qu. 5. ubi dicit semper esse imponendum aliquod opus supererogatorium; quia opus aliunde præceptum præstandum est à pœnitente, etiamsi non confiteatur. Sed communiter et meritò affirmant Lugo d. 25. n. 67. Sanch. Dec. l. 1. c. 14. n. 5. Suar. d. 58. sect. 6. Bonac. q. 5. sect. 5. p. 2. n. 12. Anacl. p. 655. n. 28. Holzm. n. 607. Laym. cap. 15. n. 10. Elb. n. 246. Escob. l. 17. n. 170. Spor. n. 504. Dian. p. 5. t. 4. r. 85. cum Vasq. Turr. Duard. Vill. etc. Pal. p. 21. §. 1. n. 10. cum Nav. Soto, Henr. Ronc. c. 1. qu. 6. r. 2. cum Con. et Candido, ac Salm. de pœnit. c. 10. p. 5. n. 28. cum Aversa, Victor. etc. Ratio, quia opus illud jam præceptum, cum sit satisfactorium, benè potest per claves elevari ad meritum etiam satisfactionis sacramentalis; unde sicut qui die festo audit missam, etiam ex voto debitam; duplex habet meritum; ita qui implet opus aliàs præceptum, injunctum simul in pœnitentiam. Hoc tamen non faciendum benè advertunt Suar. Laym. et Sporer loc. cit. nisi spectatà fragilitate pœnitentis. Communiter autem dicunt DD. quòd nisi expressè confessarius imponat opus aliàs præceptum, intelligitur impositum opus supererogatorium. Vide Pal. l. c. qui citat Sanch. et Bon. Si verò confessarius imponat auditionem missæ per mensem, non est obligatio audire duas missas in festo, ut satis communiter docent Con. d. 10. dub. 8. Laym. n. 9. Sanch. n. 6. Pal. t. 1. tr. 5. d. 19. p. 1. n. 4. Croix n. 1281. Elbel n. 255. Spor. n. 564. et Salm. ibid. n. 50. cum Bon. Mercero, et Diana.

Dubitatur 2. An si pœnitens statim post absolutionem deferat aliud peccatum, sufficiat illi eandem imponere pœnitentiam? Affirmant Bonac. q. 5. p. 2. n. 5. et Croix n. 1259. ex eadem ratione ut supra. Sed meritò id reprobant Palaus p. 21. §. 2. n. 10. et Roncaglia c. 1. qu. 6. r. 2. cum Candido; nam licèt opus aliàs præceptum benè possit injungi in pœnitentiam.

tiam, ut supra dictum est, non tamen opus præceptum eodem titulo satisfactionis sacramentalis.

514. — « 6. Etsi etiam possit injungi opus internum, ut
 » contra Merat. et alios docent Con. Hurt. et Dian. p. 4. t. 4.
 » resp. 24. communiter, tamen debet esse externum, et afflicti-
 » vum, v. gr. oratio, jejunium, eleemosyna. Nam avaris
 » eleemosyna, luxuriosis afflictio corporis convenit. Utrum
 » verò licitè imponantur preces recitandæ pro defunctis,
 » dubitari potest. Vega t. 2. c. 64. et Joan. Sancius d. 16.
 » n. 1. negant: affirmant probabilius Turr. de pœnit. d. 57.
 » dub. 4. Card. de Lugo d. 25. sect. 5. Vide Dian. t. 4.
 » p. 5. res. 54.

Advertendum hic, quòd tam oratio, quàm eleemosyna, et quodcumque aliud bonum opus injunctum in sacramento pœnitentiæ valet pro opere pœnali et afflictivo, prout communiter docent doctores, quia respectu ad nos per naturæ lapsæ statum quæcumque virtuosa actio rationem habet pœnæ, ex eo quòd, amissâ originali justitiâ, omnes ad terrena et propria commoda proni sumus. Ita Valent. t. 4. d. 7. q. 14. punct. 5. Castrop. d. un p. 21. §. 5. n. 1. Laym. tr. 6. de Sacr. pœnit. c. 15. n. 9. Pitig. 2. p. dist. 15. q. 1. art. 3. concl. 1. et Salm. de pœn. c. 10. p. 5. n. 26., cum aliis et Busemb. ut supra. Idem scripsit novissimè doctus Auctor libri. cui titulus: Istruz. per li nov. Confess. part. 1. cap. 16. n. 575., ubi dixit: *Ma qui s'averta che noi non chiamiamo, nè stimamo inutile la penitenza qualunque ella sia, che s'ingiuuge nel Sacramento, essendo certo, che anche un semplice segno di Croce congiunto con esso Sacramento è efficace per soddisfare; tanto più che nello stato presente della natura caduta ogni opera buona è in qualunque modo afflittiva e penale (1).* Id bene confirmatur à S. Francisco Salesio in sua

(1) *Id est*: Hic verò animadvertendum, pœnitentiam sacramentalem, quæcumque illa sit, nullatenus à nobis inutilem aut dici aut reputari, cum certum sit, vel simplex crucis signum, ipsi sacramento conjunctum, ad satisfactionem efficacem fieri, tantò magis quòd in præsentì statu naturæ lapsæ, omne opus bonum aliquo modo afflictivum sit et pœnale..... (confirmatur à S. Franc. Salesio). Hic pœna afficitur jejunando, ille infirmis ministrando, confessiones excipiendo, concionando, afflictis assistendo, aut orationi aliisque hujusmodi exercitiis vacando. Pœna hæc (orandi etc.) majoris est illa. (jejunandi) quia, præterquam quòd æquè corpus domat, fructus affert longè optabiliores.

Edii.

Philothea cap. 25. p. 201. ubi: *L'uno ha della pena a digiunare, l'altro a servire gl'infermi, a confessare, predicare, assistere agli sconsolati, o fare orazione, e simili esercizi: questa pena (id est orandi, etc.) vale più che quell'altra (id est jejunandi); perciocchè, oltre che egualmente doma il corpo, ella fa frutti molto più desiderabili. Præsertim confirmatur à S. Thoma, qui dicit: Quælibet oratio habet rationem satisfactionis, quia quamvis habeat suavitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis (ut dicit Gregorius super Ezech. homil. 14.): Dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur procul dubio fortitudo carnis. (S. Th. Suppl. q. 15. art. 5. ad. 1.)*

Dubitatur hic 1. An possit imponi opus internum? Negant Sancius d. 16. n. 1. et Alens. ac Almain. ap. Suar. d. 58. sect. 6. n. 2., quia pœnitentia, cum sit pars sacramenti, debet esse sensibilis. Sed meritò eum communi sententia affirmant Lugo d. 25. n. 67. Pont. de matr. l. 1. cap. 7. n. 4. Laym. cap. 15. quæst. 1. Bonac. p. 2. n. 10. Escob. n. 148. Sporer n. 565. et Salm. de pœnit. c. 10. p. 5. n. 27. cum Con. Reg. Hurt. Aversa, etc. Ratio, quia tale opus jam per se est meritorium, et satis fit sensibilis per impositionem sacerdotis, ac acceptationem pœnitentis, prout contritio fit sensibilis per confessionem; et sic respondetur rationi oppositæ.

Dubitatur 2. An possit imponi opus applicandum pro defunctis? Negant Sancius d. 16. n. 1. et Vega cap. 64. cas. 4., quia tunc opus non proderit pœnitenti ad satisfaciendum pro scipso, ut tenetur. Sed communiùs affirmant, et probabilius Pal. p. 21. §. 5. n. 5. Lugo d. 25. n. 62. cum Turr. Anacl. p. 655. n. 50. Sporer n. 570. Elbel n. 246. Holzm. n. 608. Salm. ibid. n. 57. cum Aversa, Hurt. Busemb. etc. ex Catech. Rom. ubi dicitur: *Igitur universæ satisfactionis modum culpæ ratio temperabit. Sed ex omni satisfactionum genere maxime convenit penitentibus præcipere, ut certis aliquot et definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus, præsertim pro iis qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces Deo faciant.* Ratio, quia quælibet eleemosyna est verè meritoria, et licèt satisfactio illius operis tunc applicetur defunctis, satisfactio tamen bonæ voluntatis pœnitentis, quæ opus applicat, ipsimet cedit.

« 7. Potest etiam aliquando injungi cessatio ab aliquo bono

» opere (v. gr. nimitiâ corporis afflictione), vel abstinentiâ ali-
 » qua vice à communione, ad promovendum majus bonum
 » pœnitentis, si prudens confessarius ad eum finem expedire
 » judicet. *Salas, Card. de Lugo, Dian. etc. cum Aversa q. 13.*
 » *sect. 5. contra Joannem Sancium.*

Dubitatur, an possit imponi cessatio ab aliquo bono opere, nempe à communione, jejunio, etc.? Negat *Sancius d. 55.*, quia hoc non esset opus meritiorum. Sed communiter rectè affirmant cum *Busemb. et aliis, Lugo d. 25. n. 65. Spor. n. 575. cum Suar. et Salm. de Pœnit. c. 10. p. 5. n. 56. cum Mol. Rodr. Gabr. etc.* Ratio, quia hujusmodi cessatio benè potest aliquando esse actus virtutis, saltem ad servandam obedientiam confessarii. Rectè verò advertit *Lugo*, regulariter non expedire hujusmodi pœnitentiam imponere; imò nec posse imponi, quando omissio illius operis sit fortè occasio aliis judicandi, quòd à confessario in pœnitentiam fuerit injuncta, juxta dicta n. 512.

« 8. Etsi possit immediatè post absolutionem adhuc in-
 » jungi » (ut communissimè dicunt *Salmant. ibid. n. 42. Viva qu. 6. art. 1. in fine cum Diana, et Spor. n. 576. cum communi*) « debet tamen fieri antè, ut servetur ordo judicii.
 » Vide *Dian. p. 5. t. 4. resp. 156. et p. 5. t. 15. res. 56.*, ubi
 » ex *cap. finali*, et *Och. docet*, etsi consuetudo habeat ut ita
 » fiat, illam tamen non induxisse obligationem.
 » 513. — « Resp. 2. Pœnitens communiter tenetur sub gravi
 » obligatione pœnitentiam, si rationabilis sit, acceptare, et
 » implère, ut habet communis contra *Cajet. Sylv. Nav.*, quo-
 » rum sententia ad hoc saltem serviet, ut neminem non
 » absolutum dimittas, si vel levissimam subire velit, ut notant
 » *Sotus, et Reg. lib. 7. cap. 2. Dian. p. 5. t. 4. r. 51. et p.*
 » *2. t. 15. r. 52.* » (Sed huic non acquiesco, juxta id, quod
 » dixi n. 510. in fin.)

« Dixi 1. communiter : quia probabile est, quod docent
 » *Laym. lib. 4. t. 6. d. 15. Sucr. et Dian. p. 5. t. 4. r. 156.*
 » contra *Con. Henriq. et alios*, pœnitentiam sub veniali tan-
 » tùm obligare sequentibus casibus : I. Si imposita sit pro
 » solis venialibus. Ita citati contra *Henr. Fagund.* II. Si pro
 » mortalibus aliàs confessis. III. Omissionem partis non gravis
 » in confessione mortalium; vel etiam omissionem totius, si
 » levis sit, v. gr. unum *Miserere. Ccn. Fagund. cum Dian.*

» d. 5. t. 4. r. 102. et p. 6. t. 8. r. 45. » (Levem esse omittere
 » unum *Miserere, dicunt etiam Pal. p. 21. §. 4. n. 11. et Lugo*
 » *d. 25. n. 74. Rosarium verò B. Virginis, etsi quinque decadium,*
 » *minimè dici potest materia levis).* « IV. Si confessarius noluit
 » obligare sub mortali; quia cum possit imponere pœniten-
 » tiam liberè, et sine omni obligatione, ut probant *Suar. hic*
 » *d. 58. sect. 7. Henriq. Fill. Fagund. Tann. Conin. de Sacr.*
 » *d. 10. dub. 8. n. 65. contra Turr. et Vasq.*, potest etiam
 » sub levi tantùm imponere. » (Et sic insinuat agendum P.
 » *Segneri in suo Parocho Instr. at Croix l. 6. p. 2. n. 1249.*
 » *si pœnitens non acceptaret penitentiam impositam.*) « Vide
 » *Dian. p. 5. t. 4. r. 241. et p. 4. t. 4. r. 85. V. Eum qui*
 » *lucrat indulgentiam plenariam, liberari ab onere pœni-*
 » *tentiæ (nisi sit medicinalis) docet Dian. p. 5. t. 12. r. 5.*
 » *et p. 9. t. 6. r. 56. ex Tann. Gran. C. de Lugo, etc. contra*
 » *Val. March. et Avers.* » (Vide de hoc n. 519.)

« Dixi 2. Si rationabilis sit : quia si justo sit gravior, ac
 » difficilior, nec confessarius eam moderari velit, non pec-
 » cabit graviter pœnitens, si sine absolutione discedens,
 » alterius sacerdotis judicio peccata submittat, ut docent *Suar.*
 » *Con. Laym.* Imò ad eam non obligabitur, si omninò inju-
 » stam esse constet, aut si pœnitens eam non possit implère;
 » vel illius sit oblitus. Nec tunc ad aliud quidquam tenetur,
 » etsi expediat, ut is, qui sive culpabiliter, sive sine culpa
 » oblitus est, in sequenti confessione similem sibi injungi
 » petat. Ita *Conin. Laym. Dian. p. 4. t. 4. r. 241. contra*
 » *Richard. et Sylv.* qui putant talem confessionem esse repe-
 » tendam : quod præter citatos negat etiam *Card. de Lugo n.*
 » *78. ex Vasq.* docens, talem satisfacere, si confiteatur illud
 » peccatum oblivionis culpabilis.

516. — Hic plura dubia occurrunt discutienda. Dubitatur
 an pœnitens teneatur acceptare justam pœnitentiam, quam
 ponit confessarius? Tres sunt sententiæ.

Prima negat, quam tenet *Cajet. t. 1. Opusc. tr. 6. q. 2. ad*
 2. et probabilem putant *Sporer n. 548. et Tamb. c. 2. n.*
 7. quia non tenetur acceptare, qui vult eam solvere in
 purgatorio.

Secunda sententia, quam tenent *Nav. cap. 26. n. 20. item*
Scotus, Med. Gabr. ap. Lugo d. 25. n. 68. et Soto, Zerola,

Vill. etc. ap. Renzi c. 2. sect. 5. qu. 12. dicit posse non accipere, sed si acceptet, tenèri ad eam exequendam.

Tertia sententia communis et vera, quam tenet Suar. d. 58. sect. 7. n. 2. (qui oppositas vocat temerarias, Lugo l. c.) ubi nostram sententiam vocat certam cum Vasq. et Victor. (qui post Tridentinum dicunt esse de fide) Elbel n. 227. et Salm. de pœnit. c. 10. p. 4. n. 52. cum S. Thoma, Palud. et P. Soto, dicit peccare, qui pœnitentiam non acceptat, vel non vult implere, et absolutionem vult recipere. Ratio, quia, ut docet Benedict. XIV. in Epist. Encycl. Inter præteritos, sicut confessarius justam tenetur injungere pœnitentiam, ita pœnitens tenetur illam acceptare (1).

Probabile tamen est, quòd si pœnitenti videatur pœnitentia illa justo gravior, aut nimis onerosa respectu ad suam imbecillitatem, tunc si confessarius nollet eam moderari, posset saltem sine culpa gravi discedere absque absolutione, et alium adire confessarium, ut dicunt cum Busemb. et Coninch. suprâ, Suarez d. 58. sect. 7. n. 4. Laym. c. 15. n. 6. Elbel n. 228. Holzm. n. 601. et Spor. n. 350. Hoc tamen intelligendum, si pœnitentia illa verè sit irrationabilis, vel impar debilibus viribus pœnitentis; nam si contrâ pœnitentia facilè posset ab eo impleri, et nollet ex mera desidia illam acceptare, ac cum levi absolvi vellet, non videtur posse excusari à peccato gravi, quia (ut benè ait Lugo n. 69.) sicut peccaret sacerdos imponendo levem pœnitentiam sine justa causa pro gravibus culpis, ita peccaret pœnitens volens sine causa recipere absolutionem cum pœnitentia justo leviori.

517. — Dubitatur 2. An pœnitens peccet graviter, si omitat implere pœnitentiam gravem, impositam pro venialibus, aut mortalibus confessis? Commune est quòd si injungatur pœnitentia levis, non est obligatio illam implendi sub gravi, etiamsi tota omittatur. Pal. p. 21. §. 4. n. 11. Lugo d. 25. n. 74. Renzi cap. 2. sect. 5. qu. 14. Suar. d. 58. sect. 7. n. 5. Croix n. 1278. cum Avers. et aliis passim. Ratio, quia mate-

(1) Et pœnitens recusans pœnitentiam, quæ pro peccatis gravibus saltem in se gravis semper sit oportet, absolvi nequit ex Hom. Ap. tr. 16. n. 55. Secus dicendum, si pœnitens tantum respectivè gravem, juxta numerum et totam gravitatem peccatorum emensam respueret.

ria levis non est capax gravis obligationis. Nec obstat, quòd sacramentum maneat incompletum, nam illud jam est completum essentialiter; completio autem integralis per materiam levem non obligat nisi leviter secundum materiam. Dubium vertit, quando materia pœnitentiæ est gravis.

Prima sententia probabilis et communior dicit esse peccatum grave illam omittere, ita Lugo, et Pall. ll. cc. Bon. qu. 3. sect. 5. p. 4. n. 4. Ronc. cap. 2. q. 2. r. 2. Concina p. 425. n. 11. Salm. de pœnit. c. 10. p. 4. n. 62. circa fin. Esc. lib. 17. n. 206. cum Henrig. Con. Fag. et Nugno. Ratio, quia gravitas vel levitas hujus obligationis non sumitur ex gravitate causæ, nempe peccati confessi, sed ex materia præcepta, scilicet pœnitentiæ impositæ.

Secunda sententia verò satis probabilis negat hanc obligationem esse gravem, ita Nav. cap. 21. n. 43. Suar. l. c. Laym. cap. 15. n. 7. Diana p. 5. tract. 4. r. 156. Spor. n. 344. et probabilem putant Lugo n. 76. Mazzotta t. 5. p. 581. Tamb. cap. 2. n. 4. cum Henr. et Croix n. 1279. cum Soto, Palud. Fill. Led. et Aversa. Ratio, quia hoc casu materia satisfactionis impositæ non est necessaria in quantum est gravis; unde sicut confessarius non tenebatur, imò nec poterat illam imponere sub gravi, ita nec pœnitens sub gravi adimplere. Nec valet dicere, quòd pœnitentia non est commensuranda cum peccato, sed cum pœna temporali ob peccatum debita; nam respondetur 1. Quòd si hoc esset, utique deberet pro quolibet veniali gravis imponi pœnitentia, cum unicuique veniali gravis, imò gravissima debeatur pœna. Resp. 2. quòd ex Tridentino pœnitentia injungenda est pro *qualitate criminum*, non autem pœnæ. Sentio tamen dicendum cum Roncaglia (cui consentit etiam Laym. l. c.) quòd si per accidens peccata illa venialia valde disponerent pœnitentem ad mortale, tunc posset confessarius gravem ei imponere pœnitentiam, ut ipsum removeat à periculo peccandi mortaliter; et tunc tenebitur pœnitens, si velit absolvi, illam acceptare et adimplere. Præterea censeo, quòd si pœnitens pro mortalibus confessis condignam non egerit pœnitentiam, tunc si iterum eadem peccata clavibus subjiciat, benè poterit confessarius gravem injungere pœnitentiam; et pœnitens, si acceptet, tenetur eam implere.

An autem circumstantias pœnitentiæ impositæ teneatur

pœnitens implere sub mortali, nempe ad recitandam coram flexis genibus; brachiis extensis, et similia? Resp. nulli dubium, quod omissio circumstantiæ erit saltem venialis; quando verò erit vel ne mortalis, pendet ex molestia levi aut gravi, quam affert circumstantia, vel per se, vel respectivè ad pœnitentem, prout significaverit confessarius pœnitentiam imponens; ita communiter *Sanch. Dec. l. 4. c. 12. n. 8. Lugo d. 25. n. 95. Viva q. 6. art. 2. n. 4. Renzi c. 2. sect. 5. q. 16. Tamb. l. 4. c. 2. n. 14. et Croix n. 1280. cum Dicast. Aversa, etc.*

518. — Dubitatur 5. An confessarius pro culpis gravibus possit imponere pœnitentiam gravem, sed sub obligatione levi?

Prima sententia negat quam tenent *Renzi c. 2. sect. 5. q. 14. et Bonac. q. 5. sect. 5. p. 4. n. 4. cum Coninch. et Nugno*. Ratio, quia, licet possit legislator in materia gravi obligare tantum sub levi, tamen in hoc sacramento confessarius non reputatur ut legislator, sed ut simplex minister, cum ibi agat nomine Dei, unde non potest materiam per se gravem sub levi imponere.

Secunda sententia communior affirmat, quam tenent *Busemb. ut supra cum Henr. et Fag. Suar. d. 58. sect. 7. n. 5. Filliuc. tr. 8. n. 54. P. Segneri Instruct. ad Conf. cap. 5. Tamb. l. 4. c. 2. n. 6. Dicast. ap. Croix n. 1249. et probabilis vocat Viva q. 6. art. 1. n. 2. cum Medina, et Diana*. Ratio, quia reverà (ut ipsi adversarii concedunt, utque dictum est *l. 1. n. 145.*) quilibet legislator potest gravem materiam præcipere sub levi. Nec obstat ratio opposita; nam confessarius in hoc sacramento non tantum fungitur vicibus Christi, sed etiam est à Christo constitutus verus iudex et legislator, qui ex potestate sibi tradita solvit remittendo peccata, et ligat præcepta imponendo circa obligationem satisfactionis implendæ: unde hujus obligationis gravitas oritur non ex vi Sacramenti, sed ex præcepto confessarii. Hæc secunda sententia per se loquendo valde probabilis mihi videtur, sed non probarem, si confessarius ex hac doctrina vellet pro peccatis gravibus totam pœnitentiam imponere sub levi, excepto casu gravis ægritudinis, aut intensissimæ contritionis, vel alio casu rarissimo, in quo omninò videretur expedire ad salutem pœnitentis; censeo enim ex præcepto Tri-

dentini tenèri semper confessarium injungere aliquod grave opus sub obligatione gravi (ut jam dixi *n. 510. in fine*); licet sit leve respectivè ad numerum et gravitatem peccatorum. Præfata ergò sententia deservire poterit ad hoc tantum, ut confessarius, postquam imposuit aliquam pœnitentiam gravem, aliam graviolem injungat sub levi, ut si pœnitens illam implebit, sacramentaliter satisfaciat; si verò negliget, non gravetur culpà gravi. Et sic puto rectè se gerere confessarium; cum enim spectatà pœnitentis imbecillitate possit confessarius primam tantum gravem pœnitentiam imponere sub præcepto, et graviolem sub consilio præscribere, melius consulat bono pœnitentis, imponendo illam graviolem sub levi, ut omnia opera injuncta eleventur ad meritum satisfactionis sacramentalis. Minimè autem approbo id quod dicunt *Medina ap. Suar. et alii ap. Busemb. ut supra*, nempe quod confessarius possit aliquando injungere pœnitentiam sine ulla obligatione; hoc, dico, est omninò improbabile; nam legislator potest ferre et non ferre legem; sed si ferat, non potest quidem eam ferre sine obligatione, cum lex debeat necessariò saltem sub levi obligare; lex enim quæ non obligat, non est lex, sed consilium.

519. — Dubitatur 4. An tempore jubilæi, vel indulgentiæ plenariæ possit confessarius absolutionem impertiri nullà injunctà pœnitentiâ?

Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Lugo d. 27. n. 21. Suar. d. 58. sect. 10. n. 10. Pal. p. 21. n. 9. cum Tolet. et Sa. Viva qu. 6. art. 1. n. 4. v. Quinto* (limitant tamen *Salm. et Viva* nisi pœnitens indigeat aliquâ pœnitentiâ medicinali): et idem docuit *D. Th. Suppl. qu. 25. art. 1. ad 5.* ubi ad objectionem, quod non possit sacerdos remittere pœnitentiam, cum hæc sit pars sacramenti, respondet: *Pro eo faciens indulgentias, solvit penam quam debuit, de bonis Ecclesiæ communibus*. Subdit verò ad 4. *Tamen consulendum est eis, qui indulgentias consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis absterneant*. Ratio hujus sententiæ est, quia pœnitentia principaliter imponitur pro satisfacienda pœna temporali, quæ jam tota remittitur per indulgentiam. Sed his non obstantibus, tenendum est oppositum cum *Conc. p. 407. n. 6. Ronc. c. 2. qu. 7. et Croix n. 1275. cum Fill. Rod. Dicast.* Et hodie non est ampliùs de hoc

dubitandum, dum noster SS. Pontifex *Bened. XIV. in cit. Epist. Encycl. Inter præteritos* sententiam contrariam tanquam laxiorem reprobatur, dicens, non posse putari verum pœnitentem, qui indulgentias consequi cupit, si hujus prætextu se vult eximere à pœnitentia sacramentali adimplenda. Ratio 1. quia, ut pœnitens posset per indulgentias liberari à pœnitentia certè debita, certus esse deberet se illam lucrari: sed patet hoc valde incertum esse; unde non potest debito certo satisfacere per incertam solutionem. Ratio 2. quia, licèt certò quis indulgentias lucraretur, debet tamen semper aliquam pœnitentiam (quæ est integralis pars sacramenti) implere, ne sacramentum mutilum maneat.

Dixi aliquam pœnitentiam; nam communiter et probabilissimè, præter AA. citatos pro prima sententia, dicunt *Nav. cap. 26. n. 21. Tol. lib. 5. cap. 11. n. 8. Sporer n. 238. Elbel n. 248. Holzm. n. 612. et Laym. cap. 13. n. 12. cum Soto. et Henr. causâ indulgentiarum* benè posse à confessario pœnitentiam diminui, modò aliqua imponatur, quia per eam jam integratur sacramentum, et contrà per indulgentias probabiliter satisfit pœnæ temporali de bonis communibus Ecclesiæ, ut docet *D. Thomas loc. cit.*

520. — Dubitatur 5. An si pœnitens oblitus sit pœnitentiæ injunctæ, teneatur repetere confessionem, ut aliam pœnitentiam accipiat?

Prima sententia, quam tenent *S. Anton. p. 5. tit. 14. cap. 19. §. 19. et Bonuc. q. 5. sect. 5. p. 5. n. 9. cum Sylv., et aliis*, dicit, hunc tenèri saltem præcipua repetere peccata, ut condigna pœnitentia sibi imponatur: quia pœnitens curare debet, quantum commodè potest, ut sacramentum fiat integrum; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media.

Secunda sententia verò communis, quam tenent *Lugo d. 23. n. 87. Pal. p. 21. n. 19. Sporer n. 552. cum communi, Croix n. 1275. Ronc. c. 2. qu. 7. Holzm. n. 617. Viva qu. 6. art. 2. n. 6. Dian. t. 4. tr. 4. r. 241. Elb. p. 272. n. 244. cum Nav. Sot. Avers. et Salm. de pœnit. c. 10. p. 6. n. 85. prope fin. cum Suar. Vasq. Laym. Conc. Vict. Cand. Vivald. etc.* negat obligationem hanc etiamsi pœnitens culpabiliter oblitus fuerit pœnitentiam; ut specialiter notant *Salm. ibid. Sporer, Holzm. Elbel, Lugo cum Vasq. et Croix cum Nav.*

Soto, et aliis. Ratio, quia ex una parte non tenetur amplius ad pœnitentiam, cum illius impletio facta sit ei impossibilis; ex altera non videtur extare hanc obligationem repetendi confessionem, ut integretur sacramentum, cum nemo videatur tenèri repetere sua peccata, semper ac ipsa directè fuerint remissa; hoc enim gravissimum esset onus. Utraque sententia est probabilis. Meritò autem advertunt *Coninck d. 10. dub. 9. n. 86. Pal. n. 18. Diana, Elb. Spor. ll. cc. et Salm. cit. n. 85. cum Cajet. Soto. Nav. et Med.*, quòd talis pœnitens teneretur utique, cum commodè posset, adire confessarium suum, si putaret illum adhuc memorem esse pœnitentiæ, quam injunxit; tunc enim ejus impletio est ei adhuc moraliter possibilis.

521. — « 1. Is, qui pœnitentiam implet in statu peccati » mortalis, probabiliter quidem satisfacit præcepto, cum » impleat ejus substantiam; peccat tamen, sed venialiter, » ut docent *Suarez, Laym. Dian. loc. cit.*, quia sacramenti » partem suscipit indignè, et obicem ponit effectui, scilicet » remissioni pœnæ (quem tamen, obice remoto, recuperari » docent *Nav. Tol. Caj. Dian. p. 5. t. 4. r. 85. Fagund. Sua- » rez, etc.*) unde quamprimùm est implenda, potestque gra- » viter etiam peccari nimium differendo, quod ex variis » circumstantiis judicandum. Vide *Dian. p. 2. t. 15. res. » 55. et p. 3. t. 15. r. 58.* Non esse autem grave, seu mor- » tale, si non differat ultra octiduum, docet *Hurt. apud » Dian.* Imò posse differri per annum (hoc est quadri- » tenetur ad novum sacramentum pœnitentiæ) vult ipse *Dian. » p. 9. t. 7. res. 57. ex Amico et Leand. etc.* nisi tamen » pœnitens dubitet, an postea possit implere; eo enim casu » tenèri quamprimùm commodè potest. » (*Hoc meritò com- » munitè rejicitur cum Salm. de pœnit. c. 10. p. 5. n. 65. Tamb. lib. 4. c. 2. n. 9. et Croix n. 1288. qui probabiliter tamen excusat à mortali, si dilatio sit ad mensem, si pœnitentia sit tantum vindicativa* (1). *Roncaglia verò damnat de mortali si differatur pœnitentia per 15 dies, sed hoc videtur nimis rigidum; non reputatur enim gravis dilatio, quæ*

(1) « Nentiquam (peccat) qui per mensem eam (pœnitentiam) differt, modò » pœnitentia non sit medicinalis, ut advertunt *Mazzotta et Croix.* » *Hom. Ap. tr. 16. n. 57.*

non affert grave præjudicium rei præceptæ, ut ait Lugo d. 25. n. 91. qui addit n. 92. dilationem, ut sit gravis, debere esse ad longum tempus. Renzi autem q. 48. cum Cottonio, et Gloss. in l. fin. c. de Cens. dicit non esse gravem dilationem infra sex menses; sed hoc videtur nimis benignum). « Similiter non esse mortale, si obligatus jejunare feriâ 6. differat in diem sequentem; vel obligatus communicare singulis mensibus differat ad 6 vel 8 dies, affirmat Dian. loc. cit ex Palao, præsertim ex causa aliqua, tametsi levi. » (Dicunt Salm. cit. n. 65. non esse mortale differre obligationem confessionis per 4 dies, si justa causa excuset. Et communius Pal. p. 21. §. 4. n. 12. Spor. n. 577. Holz. n. 605. cum Suar. Conc. et aliis censent, non esse mortale differre communionem per 6 vel 8 dies, quando quis tenetur communicare per singulos menses. Et consentit Roncag. c. 2. q. 6. r. 1. modò (rectè monet) pœnitentia non sit medicinalis; ita ut illà dilata periculum sit relabendi. Putat autem Croix n. 1277. cum Gob. et Steph., quòd ex decem communionibus omittere unam, non sit mortale; sed huic non acquiesco).

522. — Dubitatur 1. An qui existit in mortali possit implere pœnitentiam impositam.

Prima sententia negat, et hanc tenent Tabiena, Alens. Archid. apud Salmant. de pœnit. c. 10. p. 5. n. 69. Et citant pro se D. Thomam, qui Suppl. q. 14. art. 2. ad 2. sic ait: Oportet... quòd opera satisfactoria sint Deo accepta, quod dat eis charitas, et ideo sine charitate opera facta non sunt satisfactoria. Ratio hujus sententiæ est, quia peccator injuriam irrogat Sacramento, dum obicem ponit satisfactioni in Sacramento impositæ.

Secunda sententia, quam tenent Tourn. Præl. theol. de pœnit. qu. 7. art. 2. quæ. 6. r. 5. Juenin. t. 7. p. 490. a. 5. Antoine p. 519, etiam negat implere, si impleat habens actualem affectum ad peccatum mortale; secus si tantum existat in mortali, ita præfati Auctores. Ratio, quia ad satisfaciendum Deo non requiritur status gratiæ sanctificantis, sed sufficit voluntas Deum placandi, quæ contrà deest in eo, qui habet actualem affectum ad peccatum.

Tertia sententia communis et probabilior universè affirmat, et hanc tenent Suar. d. 58. sect. 8. n. 1. Nav. c. 5. n. 7. Salm. cit. n. 69. in med. Concin. p. 559. n. 5. Ronc. c. 2. q. 5. Lugo

d. 25. n. 50. cum Palud. Cajet. Soto, Sylvest. et Bon. sect. 5. p. 4. n. 15. cum Sa, Tol. Val. Vasq. Con. Fill. etc. Ratio, quia ad implendum præceptum satisfactionis sufficit ponere opus præcepti, licèt præcepti finis non obtineatur. Respondetur autem ad textum D. Thomæ, quòd ibi S. Doctor non loquatur de adimplitione satisfactionis injunctæ, sed tantum de ejus merito, quod non potest haberi sine charitate.

525. — Dubitatur 2. An peccet qui implet pœnitentiam impositam, existens in mortali? Conveniunt DD. hunc non peccare mortaliter; alii verò (ut Lugo d. 25. n. 52. ac Aversa, Dicast. Stephan. etc. ap. Salm. ibid. n. 70., qui putant probabile) dicunt nullo modo peccare; quia, ut ajunt, nulla est culpa obicem ponere soli remissioni pœnæ. Alii tamen probabilius tenent peccare venialiter, quia ponere obicem effectui partiali Sacramenti non potest ab aliqua culpa excusare; ita Suar. d. 58. sect. 8. n. 7. Laym. c. 15. n. 15. Wig. tr. 15. n. 129. Bon. p. 4. n. 15. et Salm. cit. n. 70. in med. etiam probabile censent. Dicunt autem Wig. Salm. et Antoine, quòd, recedente fictione, tunc pœnitentia habeat effectum satisfactionis, contra Scotum, Med. Bon. et Vasq., qui censent habere effectum cum impletur.

524. — » 2. Pœnitentiam (etiam medicinalem) impositam » sub conditione hæc, si iterum labatur, nec teneri acceptare, » nec implere, eò quòd confessarius nec judex sit, nec me- » dicus peccatorum committendorum, docet Diana p. 6. » t. 7. res. 49. ex Palao, Trull. etc. Sed contrarium proba- » bilius cum Suarez tenet Aversa q. 15. sect. 4., quia non » imponit eam pro peccatis committendis, sed commissis » sub conditione reincidentie. » (Et sic tenendum cum Suar. de rel. l. 5. c. 8. Laym. c. 15. n. 11. Bon. p. 2. n. 26. Salm. de pœnit. c. 10. p. 5. n. 58. cum Aversa et aliis. Id tamen intelligendum, modò imponatur proportionata pœnitentia pro peccatis confessis.)

525. — » 5. Qui non implevit intra tempus præscriptum, » non idcò deobligatur.

Dicunt Henriq. ap. Renzi c. 2. sect. 5. q. 48., quòd si assignetur dies ad pœnitentiam implendam, transacto illo, non est ampliùs obligatio implendi; sed omninò tenendum est oppositum cum Busemb. et Diana p. 5. tr. 15. r. 57. Renzi l. c. ac Croix n. 1290. cum Aversa, et Mendo. Dicunt autem

ibid. *Sporer Con. et Gob.*, quòd si alicui sit injunctum jejuni-
um die sabbati in honorem B. M. V., transacto eo die, non
tenetur in alio. Sed hæc opinio nec mihi arridet, tum quia
semper principaliter intenditur à confessario jejunium, et
accessoriè dies; tum quia, quando materia est divisibilis,
qui non potest implere totum, tenetur ad partem.

526. — « 4. Potest satisfacere per alium, cui confessor id
concedit, vel qui per se non potest, ut docent *Regin. Fa-
gund. Dian. p. 4. t. 4. res. 141.* » (*Sed adverte hic prop.
13. damnatam ab Alex. VII. quæ dicebat: Pœnitens propriâ
auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœ-
nitentiam adimpleat.*) « Hic tamen non tenetur, nisi confessor
id voluerit. An verò satisfaciens pro alio, simul pro se pos-
sit, alii ajunt, alii probabilius negant, ut habet *Sa.*

527. — « 5. Non necessariò impletur ante communionem. »
(*Hic advertantur quatuor propositiones damnatæ ab Alexan-
dro VIII., nempe Prop. 16. Ordinem præmittendi satisfactio-
nem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ,
sed ipsa Christi lex, et præscriptio, naturâ rei idipsum quo-
dammodò dictante. Prop. 17. Per illam praxim mox absol-
vendi ordo pœnitentiæ est inversus. Prop. 18. Consuetudo
moderna quoad administrationem sacramenti pœnitentiæ,
etiãmsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et
multi temporis diuturnitas confirmat, nihilominus ab Ecclesia
non habetur pro usu, sed pro abusu. Prop. 22. Sacrilegi
sunt judicandi qui jus ad communionem percipiendam præ-
tendunt, antequam condignam de dictis suis pœnitentiam
egerint.*)

528. — « Quæres: Quis pœnitentiam possit commutare, et
quomodo?

« Resp. 1. Ex justa causa quivis sacerdos id potest, si
de novo ei confiteatur, ut habet communis sententia, contra
Sotum et Vasquez, saltem si peccata non sint reservata:
imò etiam probabiliter etiãmsi talia fuerint, ut habet *Fer-
nand.* »

« Resp. 2. Sine nova sacramenti administratione potest id
solus sacerdos, qui injunxit, si adhuc recordetur statum pœni-
tentis, et hic ad eum recurrat tempore tum brevi, ut mo-
raliter idem judicium censeri possit, v. g. intra hebdo-
madam. *Hew. et alii 4.*, imò et post longius intervallum.

« *Card. de Lugo, Aversa et Dian. p. 7. t. 6. res. 46. et p. 9.
tr. 6. r. 57. contra Pal. etc.* Ratio, quia iudex incognitâ
causâ, non potest ferre sententiam. Ita *Sylv. Suar. Con.
Laym. Fill. Reg. Fag. et Card. de Lugo, contra Nav.
Henr. Tol. Sa, Rodr. Bejam, Val. Dian. p. 5. t. 4. res. 55.
et p. 2. t. 4. misc. r. 55.* qui dicunt, etiam alium posse,
non repetitis peccatis. Quæ sententia, etsi non ex ratione,
ex principio tamen extrinseco videtur esse in praxi probabi-
lis (*Dian. enim l. c. pro ea adducit 14 auctores, dicitque esse
usum, sive praxim confessariorum*), et confessariis posse
servire, quando pœnitens difficulter adduci potest ad re-
petenda peccata, vel tempus id non fert; præsertim si ex
confessione (nam in ea, et non extrâ debet fieri) aliorum
peccatorum, et ex præsentî statu pœnitentis, ipsiusque
testimonio habeant aliquam confusam notitiam peccatorum
præteritæ confessionis. Ita *Fag. p. 2. l. 9. c. 4. n. 22. Lugo
d. 25. sect. 6. n. 107. et 109.*

« Resp. 5. Ipse pœnitens non potest commutare pœniten-
tiam etiam in evidenter meliorem, ut docent *Sanch. 4. mor.
Con. d. 10. a. 12. n. 15. Regin. et alii*: etsi contrarium
probabile dicat *Dian. p. 5. t. 4. r. 55. et t. 2. tr. 4. r. 55.
ex Port. et Vill.* Sed hoc *Turr. temerarium, C. de Lugo
d. 25. sect. 6. n. 75.*

529. — Dubitatur 1. An pœnitens optans pœnitentiam in-
junctam sibi commutari, teneatur confessionem factam repe-
tere? Resp. si confitetur eidem confessario, non erit opus
eam repetere, dummodo confessarius adhuc confusè recor-
detur statûs ejus conscientiæ. Si verò confitetur alteri, duplex
est sententia:

Prima sententia affirmat esse obligationem repetendi, et
hanc tenent *Laym. c. 5. n. 16. Lugo d. 25. n. 107. Pal. p. 21. §.
ult. n. 15. Conc. p. 454. n. 20. Ronc. c. 5. q. 3. Holz. p.
158. n. 616. Croix n. 1295. Elbel p. 171. n. 245. Spor.
p. 245. n. 588. Tamb. l. 4. c. 5. n. 22. et Salm. de pœnit.
c. 10. p. 6. n. 79. cum Suar. Soto, Sylv. Vasq. Conc. Reg.
Molf. etc.* Ratio 1. quia confessarius non potest pœnitentiam
commutare, nisi in judicio sacramentali; hoc autem judi-
cium non potest exercere nisi pœnitens sua deferat crimina.
Ratio 2. quia pœnitentia, ut docet Tridentinum, non solum

debet esse punitiva, sed etiam medicinalis, nempe ut non tantum sit in vindictam vitæ antea factæ, sed etiam in custodiam futuræ; nequit autem confessarius convenientem medicinam pœnitenti applicare, nisi culpæ ejus notitiam habeat.

Secunda sententia verò satis probabilis negat esse hanc obligationem, eamque tenent *Nav. Man. c. 26. n. 22. Tolet. l. 5. c. 11. n. 12. Bon. qu. 5. p. 5. n. 8. Sa, v. Satisfactio, n. 5. Dian. p. 2. tr. 15. r. 55. cum Henr. Vill. Rodr. Vict. Vivald. Portell. Valer. etc.* et hanc probabilem putant *Busemb. ut suprâ, Lugo n. 109. Anacl. p. 552. n. 17. Sporer n. 589. et Laym. Salm. Holzm. ac Tamb. locis cit.* Ratio, quia in hac secunda confessione non agitur de judicio ferendo super culpis delatis in confessione præcedenti, ubi judicium jam fuit efformatum, sed tantum agitur de pœnitentis impotentia sive imbecillitate ad pœnitentiam implendam, et sic respondetur ad primam rationem. Difficilius est respondere ad secundam; sed responderi potest, quòd confessarius commutando pœnitentiam in æqualem vel minorem, bene potest præbere medicinam peccatis aliàs confessis, vel imponendo pœnitentiam æquivalentem, vel pœnitentiam datam minuendo juxta dispositionem pœnitentis. Cæterum iidem AA. primæ sententiæ (ut *Palau. Salm. Roncag. Ellet, et Croix*) fatentur eo casu non esse opus singula peccata repetere, sed tantum præcipua, quantum sufficit ad notitiam confusam habendam status pœnitentis. Adduntque probabiliter *Nav. c. 26. n. 22. Spor. l. c. et Tamb. n. 25.* quòd si confessarius advertat pœnitentem non implevisse pœnitentiam, nec facilè impleturum, etiam eo non petente, poterit ei illam commutare.

Dubitatur 2. An confessarius inferior possit commutare pœnitentiam à superiore imposita ob casus reservados?

Prima sententia communior negat, et hanc tenent *Gonet d. 15. n. 56. Suar. disp. 58. sect. 10. n. 14. Lugo dist. 25. n. 104. Holzm. n. 616. Sporer n. 5185. Conc. p. 455. n. 16. Renz. c. 2. sect. 5. qu. 27. item Coninck, Valent. Regin. Vega, Molf. etc. ap. Salm. de pœnit. c. 10. p. 6. n. 72.* Ratio, quia accessorium sequitur naturam principalis: sicut ergò reservatum erat superiori judicium in causa principali, scilicet in absolvendis reservatis, ita reservata manet impositio pœnitentiæ, quæ ad idem judicium pertinet.

Secunda sententia affirmat, eamque tenent *Palau. p. 21. §. ult. n. 7. et Elbel n. 242. cum Sanch. Bonac. et Henr.*, ac probabilem vocant *Spor. et Salm. ll. cc. cum Vasq. Nav. Sa, Dicast. Gabr. Fern. etc.* Ratio, quia cum peccata jam fuerint à superiore absoluta, est omninò ablata reservatio, et remanet illa peccata communia; unde si pœnitens illa iterum subjiciat inferiori, potest hic novum de eis formare judicium, ac proinde pœnitentiam commutare. Nec obstat, ut dicunt, quòd inferior potestatem non habeat in sententiam superioris, nam quando sublata est reservatio, uterque eandem habet potestatem. His tamen non obstantibus, prima sententia mihi arridet: nam licet inferior hic et nunc possit novum formare judicium super illa peccata, si rursus ei deferantur, tamen nullam ipse habet facultatem mutandi sententiam superioris in judicio prius ab eo lato; principium enim certum est, quòd inferior nihil potest in legem superioris. Probabile autem puto id quod dicunt *Bonac. p. 5. n. 6. et Renzi l. c. cum Suarez, Henr. Victor. Med. Fagund. etc.* quòd secunda sententia possit locum habere, si gravis accederet causa, et non esset facilis accessus ad superiorem; quia tunc inferior licetè posset pœnitentiam commutare ex præsumpta superioris conniventia.

Dubitatur 5. An confessarius possit commutare pœnitentiam extra confessionem? Certum est, quòd alter confessarius nequit extra confessionem mutare pœnitentiam etiam injustam à primo impositam, ut cum communi sententia dicit *Diana p. 2. tract. 15. r. 55. (contra Valer. et Victorell.) Salm. ibid. n. 74. et Croix n. 1295. cum Lugo*, qui meritò oppositam vocat improbabilem. Si verò sit idem confessarius qui pœnitentiam imposuit, censet *Coninck n. 46. dub. 8. in fine*, eum posse pœnitentiam commutare extra confessionem, sed non ultrà quam infra eundem diem; *Spor. verò n. 586. cum Soto, et Valent.* extendit ad infra biduum *Busemb. et Diana l. c. cum Henr. Led. Vivald. etc.* extendunt ad hebdomadam, imò *Lugo, Aversa, Gab. etc. apud Salm. cit. n. 74.* id permittunt adhuc per longius intervallum. At verius puto dicendum cum sententia communiiori, quam tenent *Bon. p. 5. n. 7. Conc. p. 455. n. 17. et Salm. ibid. cum Suar. Nav. Sylv. Vega, Reg. Præpos. et Dic.* id tantum posse admitti, si fiat statim post absolutionem antequam penitens

discedat, quâ tunc tantum videtur moraliter perseverare idem iudicium (1).

350. — Cum autem valde proficuum possit esse pœnitentibus, ut facilius inducantur ad majorem pœnitentiam acceptandam, et fortius à peccatis absterreantur, eis indicare pœnitentias quæ olim in canonibus pœnitentialibus erant præscriptæ pro aliquibus criminibus, ut monent Catechismus romanus. *D. Antoninus*, et *D. Carolus Borromæus*; ideò hic operæ pretium duxi adijcere aliquos principaliores ex dictis canonibus secundum ordinem decalogi, videlicet (2):

Circa I. præceptum. 1. Qui à fide desciverit, pœnitentiam aget annis decem. 2. Qui auguriis, et divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, pœnitens erit annis septem. 3. Respiciens furta in astrolabio, ut monent Catechismus romanus. 4. Si quis ligaturas, aut fascinationes fecerit, pœnitens erit duos annos. 5. Qui magos consuluerit, in pœnitentia erit annos quinque.

Circa II. præceptum. 1. Quicumque sciens pejeraverit, 40 dies in pane et aqua, et septem sequentes annos pœniteat, et nunquam sit sine pœnitentia; et nunquam in testimonium recipiatur, et post hæc communionem percipiat. 2. Qui perjurium in Ecclesia fecerit, pœnitentiam aget annos decem. 3. Si quis Deum, vel B. Virginem, vel aliquem Sanctum publicè blasphemaverit, præ foribus Ecclesiæ diebus dominicis septem, in manifesto, dum missarum solemnia aguntur, stet, ultimoque ex illis die, sine pallio, et calceamentis, ligatus corrigia circa collum; septemque præcedentibus feriis sextis in pane et aqua jejundet, Ecclesiam nullo modo ingressurus. Singulis jam illis septem diebus dominicis tres, aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest, alioquin aliâ pœnitentiâ afficiatur. Recusanti Ecclesiæ ingressus interdicitur, et in obitu ecclesiasticâ careat sepulturâ. 4. Qui votum simplex violaverit, pœniteat tribus annis.

Circa III. præceptum. 1. Qui opus aliquod servile die dominico festove fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane et

(1) « Attamen facta commutatione semper potest pœnitens eligere primam pœnitentiam, ut docent *Suar. Less. Bonac. et alii cum Mazzolla.* » *Hom. Ap. tr. 16. n. 61.*

(2) Confer etiam dissertationem prolegomenam in initio Operis positam. *Est.*

aqua. 2. Si quis jejunia à S. Ecclesia indicta violaverit, pœnitentiam aget dies viginti in pane et aqua. 3. Qui in Quadragesima jejunium violaverit, pro uno die pœnitentiam aget dies septem. 4. In Quadragesima carne sine inevitabili necessitate vescens, in Pascha non communicet: ac præterea à carne abstineat.

Circa IV. præceptum. 1. Qui parentibus maledixerit, quadragesima dies pœnitens sit in pane et aqua. 2. Qui parentes injuriâ affecerit, tres annos. 3. Qui percusserit, annos septem. 4. Si quis contra Episcopum, pastorem, et patrem suum insurrexerit, in monasterio omnibus diebus vitæ suæ pœnitentiam aget. 5. Si quis Episcopi, aut ministrorum ejus, vel parochi sui præcepta contempserit, vel irriserit, pœnitentiam aget dies 40 in pane et aqua.

Circa V. præceptum. 1. Qui presbyterum occiderit, pœniteat 12 annis. 2. Si quis patrem, aut matrem, fratrem, aut sororem occiderit, toto vitæ suæ tempore non suscipiat corpus Domini, nisi in obitu, abstineat à carne, et vino, dum vixerit, jejundet secundâ, et quartâ, et sextâ feriâ. 3. Si quis hominem occiderit, ad januam Ecclesiæ semper erit, et in obitu communionem recipiet. 4. Qui homicidii auctor fuit, ob consilium quod dedit, pœnitentiam aget 40 dies in pane et aqua, cum septem sequentibus annis. 5. Si qua mulier sponte abortum fecerit, pœnitentiam aget annos tres; si nolens, quadragesimas tres. 6. Qui nolens filium oppresserit, pœnitentiam aget dies 40 in pane et aqua, oleribus ac leguminibus: abstinebit ab uxore dies totidem. Deinde pœnitens erit tres annos per legitimas ferias: tres præterea quadragesimas in anno observabit. 7. Qui sceleris occultandi causâ filium necavit, pœnitentiam aget annos decem. 8. Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necarit, pœnitentiam aget annos tres. 9. Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquid membrum præciderit, pœnitentiam aget unum annum per legitimas ferias. 10. Si quis ietum proximo dederit, nec nocuerit, tridui pœnitentiam aget in pane et aqua.

Circa VI. præceptum. 1. Si laicus solutus cum femina soluta concubuerit, pœnitens erit tres annos. 2. Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens... pœnitentiam aget 20 dies. 3. Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, pœnitens erit 40 dies. 4. Qui cum duabus sororibus fornicatus fuerit; aut filiam

spiritualem violaverit, perpetuam pœnitentiam agat. 3. Qui incestum fecerit (non ita enormem) pœnitens erit 12 annos. 6. Qui moniam violaverit, pœnitens sit annos decem. 7. Si qua mulier cerussa, aliove pigmento se oblinat, ut aliis viris placeat, pœnitentiam agat annos tres. 8. Si presbyter cognovit filiam suam spiritualem, quam scilicet baptizavit, vel quæ sibi confessa fuit, debet pœnitentiam agere duodecim annos. Etsi crimen sit manifestum, debet deponi, et peregrinando 12 annos pœniteat, et postea monasterium intret, totâ vitâ suâ moraturus ibidem. 9. Pro adulterio septennii et decennii pœnitentia imponitur. 10. Pro osculo seu amplexu impudico triginta dierum pœnitentia statuitur.

Circa VII. præceptum. 1. Si quis furtum de re minori... fecerit, pœnitentiam agat annum unum. 2. Qui furatus est aliquid de Ecclesiæ suppellectili, vel thesauro, vel pecuniam ecclesiasticam, oblationesve Ecclesiæ factas; pœnitens erit annos septem. 3. Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum restituet, et pœnitentiam agat dies 20 pane et aquâ. 4. Qui usuras accipit, rapinam facit,.... pœnitentiam agat annis tribus, uno in pane et aqua.

Circa VIII. præceptum. 1. Qui falso testimonio consenserit, pœnitens erit annos quinque. 2. Falsarius in pane et aquâ pœnitentiam agat quamdiu vivit. 3. Si quis de proximo facillè detraxerit, pœnitens erit dies septem in pane et aqua.

Circa IX. et X. præceptum. 1. Rem alienam nefariè concupiscens, avarusque, pœnitens erit tribus annis. 2. Si quis concupiscit fornicari, si Episcopus, pœnitens erit annos septem: si presbyter, quinque: si diaconus, vel monachus, tres...: si clericus, aut laicus, annos duos.

ARTICULUS II.

DE SATISFACTIONE PER INDULGENTIAS.

§. I.

Quid sit indulgentia, et quid ad eam requiratur?

551 *Quid sit indulgentia?*

552 *Quæ causa requiratur ad indulgentiam lucrandam?*

553 *Quæ requirantur conditiones?*

554 *Vide resolutiones. Et signanter n. 9. An omnia opera fieri debeant in gratia? Et n. 10. An requiratur status gratiæ ad lucrandam indulgentiam pro defunctis? Et n. 19. An peccatum veniale non remissum impediatur lucrari indulgentiam quoad alia remissa?*

551. — « **R**ESP. 1. Indulgentia est gratia, quâ certo aliquo opere, quod concedens præseribit, præstato, debita Deo pœna temporalis (non autem culpa) extra sacramentum, sacrificium, et martyrium, per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum remittitur: idque vel per modum absolutionis erga subditos Ecclesiæ, vel nudæ solutionis erga non subditos, ut defunctos et catechumenos, quibus proinde tantum dantur indulgentiæ per modum suffragii. »
Suar. Conin. Fil. Sanctorell. Bon. d. 6. q. 4. p. 1.

552. — « **R**ESP. 2. Ad valorem indulgentiæ requiritur causa pia, et rationabilis, eaque, ut habet sententia communior *Suar. et aliorum*, proportionata effectui, et quantitati indulgentiæ, saltem secundum concedentis prudentem estimationem, petendam non ex operis tantum difficultate, sed sine intento, et operis ad ipsum utilitate. Ratio desumitur ex natura dispensationis bonorum, quæ sine causa ab inferiore facta non valet, et est dissipatio. Ita *Auct. cit.* »
(Communis est sententia concessionem indulgentiarum sine causa esse illicitam, et invalidam; vide Lug. d. 27. n. 159. et Wigandt tr. 14. n. 91. An verò causa debeat esse proportionata? Negant aliqui apud Suar. dist. 54. sect. 5. n. 1, sed verius affirmant Suar. n. 5. et Lugo num. 141. cum Adr. Caj. et communi. Nec obstat D. Thomas in 4. d. 20. qu. 1. art. 5. quem contrarii pro se laudant; nam ibi S. Doctor negat requiri æqualitatem operum cum pœna debita culpis, non autem proportionem cum culpa. Idem sentit Bellarm. de indulg. l. 1. c. 12. t. 2. Sed benè advertit, non esse subditorum judicare, utrum causa justa sit vel non, debent enim simpliciter existimare justam esse.)

553. — « **R**ESP. 5. Ad lucrandas indulgentias requiruntur hæ conditiones: I. Ut sit baptizatus. II. Ut sit subditus concedentis. III. Ut non sit ligatus excommunicatione majore, ut habet communis; quia hæc privat communionem bonorum spiritualium. IV. Ut sit in gratia saltem tunc, quando

opus præscriptum completur, quia pœna non remittitur ante culpam. » (Vide infra n. 9, ap. *Busemb.*) • V. Ut opus injunctum moraliter totum, et integrè impleatur. VI. Ut opus præscriptum sit honestum, saltem ex objecto: nam sufficit vitiatum ex fine inhonesto veniali, vel ex alia circumstantia prava (ut docent *Suárez, et alii communiter contra Conc.*) saltem si nihilominus condeat ad finem Pontifici propositum, ut limitat *Laym.* Ratio prioris est, quia illud opus plerumque complet causam indulgentiæ, quæ debet esse pia. Ratio posterioris, quia ratio injuncti operis est assecutio finis intenti à Pontifice. *Vide Laym. Bon. d. 6. qu. 1. p. 5.* » (*Alii distinguunt ut Mazzotta t. 1. p. 244. et Bon. d. 6. qu. 1. p. 5. n. 15. cum Nav. Val. Conc. Reg. et cum communi, quòd si culpa venialis afficit substantiam operis, putà si quis oret, vel det eleemosynam ob vanam gloriam, tunc non încratur indulgentiam, vide n. 556. Secus si non est circa substantiam, ut si quis oret distractè, ita Mazzotta loc. cit. cum Suar. etc. ut supra communiter; contra Wig. tr. 14. n. 95. qui id negat, si indulgentia sit data ad Deum placandum.*)

554. — « 1. Indulgentiis etiam frui potest, qui eas concessit.

« 2. Non expirant morte concedentis (1), cùm sint gratiæ, nec, ut habet *Sa.*, ante notitiam revocationis.

« 3. Etsi intelligendæ sint, ut sonant; cùm tamen sint gratiæ, largè sunt interpretandæ (nisi de pœnitentiis injunctis, ut ex *Henr.* etc. notat *Amicus d. 20. n. 77.*) servatâ tamen verborum proprietate. Unde censendæ sunt perpetuæ, si datæ sunt sine temporis restrictione.

« 4. Etsi data pro articulo mortis, secundum *Sa.*, expiret quando semel est accepta; contrarium tamen est probabile, ob rationem datam. Illa autem non requirit applicationem confessarii, aut alterius ministerium. *Quintan. in append. t. 9. d. 4.* Expediit tamen moribundos ad invocationem nominis Jesu et Mariæ sæpius excitare, simulque in memoriam revocare intentionem lucrandi istas indulgentias. *Ib. d. 4.* Probabile enim est, si habeat plures ima-

(1) « Nisi adsit clausula: » *Ad beneplacitum nostrum. Hom. Ap. tr. 16. n. 62.*

gines, grana, rosaria, etc. benedicta, posse, sive intuitu ejusdem concessionis, sive diversarum, toties lucrari, quoties nomen Jesu repetierit, vel præstiterit opus requisitum. *Ibid. d. 6. ex Suar. Gran. etc.* Sufficit autem ad eas lucrandas quodvis tempus, in quo verificatur mortis articulus, etsi pluribus diebus ab ipsa morte absit. *Ib. d. 5.*

« 5. Possunt moribundi plures indulgentias plenarias, ob plures titulos concessas, simul lucrari; verbi gratiâ, quia habent plura rosaria, vel grana, cruces, imaginesve, quibus sunt applicatæ; vel titulo suæ religionis, confraternitatis, etc. dummodò non requirant certa opera pro speciali necessitate applicanda. *Quint. in append. t. 9. d. 4.*, idque etiamsi eas, vel earum aliquas ignorent, aut non recordentur. *Ibid. ex Lugo, Diana, et aliis 6. contra Rodr. Trull. etc.*

« 6. Requiritur autem, ut moribundus crucem, granum, imaginem, etc. secum habeat in articulo mortis, ut ratione illius lucretur: et quidem, ut tutius ac certius obtineat, ejus habeat dominium, seu possessionem, et apud se teneat. Non tamen est necesse, ut collo appensa, brachio obvoluta, manu apprehensa sint (etsi aliquo horum modorum habere sit tutius), sed sufficit esse in lecto, vel juxta moribundum; licet ipse nec videat, nec tangat, nec sciat, aut recordetur se habere (nisi aliud exprimatur). Sufficiet etiam habere commodata, seu quoad usum (præsertim si id in ipso indulto exprimatur, ut in *Caroli Borromæi*, et quinque Sanctorum fit). Neque necesse est retinere, donec expiret (etsi et hoc sit tutius), sed sufficit in aliquo mortis articulo habere, in eoque nomen Jesu (si hoc requiritur) invocare. *Ib. d. 6.*

« 7. Concessæ vivis non possunt applicari defunctis, nisi id exprimatur; quia pendent à voluntate concedentis.

« 8. Probabile est concessam pro certo tempore posse sæpius obtineri repetendo opera præscripta, verbi gratiâ, eadem die, nisi addita sit restrictio: quia favores sunt ampliandi. Ita *Henriq. Rodriq.* Contrarium tamen videtur probabilius, ob voluntatem concedentis contrariam rationabiliter præsumptam. *Vide Card. de Lugo d. 27. sect. 6. n. 95.*

« 9. Etsi consultum sit, ut opera omnia fiant in gratiâ: id tamen non videtur simpliciter necessarium. Laborandum

» tamen est concionatoribus, et confessariis, ut cum indulgentiæ promulgantur, populum ad seriam confessionem excitent. »

Quæritur, an ad lucrandam indulgentiam omnia opera debeant fieri in statu gratiæ? Affirmant *Nav. Cajet. et Comit. ap. Croix n. 1410.* Alii verò, ut *Bellarmin. l. 1. de Indulgent. cap. 12. et Wigandt tr. 14. n. 92.*, distinguunt: affirmant si indulgentia est indicta ad Deum placandum, secus si ad alium finem, puta ad subsidium pauperum, ædificationem templi. Alii tandem communiùs, et probabiliùs dicunt sufficere, si ultimum opus fiat in gratia, ita *Concina p. 450. num. 54. cum communi. Suar. d. 52. sect. 5. Pal. p. 5. Croix l. c. et Viva de Jub. q. 6. art. 2. n. 6. cum Bon. Boss. etc.* Ratio, quia talia opera saltem disponunt ad Deum placandum, et vim habent saltem de congruo. Et huic sententiæ adhæsit *N.P. Benedictus XIV, in sua cit. constit. Inter præteritos*, ubi dixit: *A fructu indulgentiæ minimè excludendos illos existimavimus qui non præmissâ confessione visitationem incipiunt, dummodo quando opus ultimum persicunt, in statu gratiæ sint.*

« 10. Ut quis lucretur pro defunctis, probabiliter non requiritur, ut sit in gratiâ; quia tantum ponit opus tanquam conditionem, quo posito. Pontifex applicat defuncto indulgentiam, sive satisfactiones Christi, et Sanctorum. Ita *Escob. l. 7. e. 5. c. 7. n. 45. ex Suar. Præp. in 5. part. q. 14. dub. 10. n. 95.* Contrarium tamen docet *Card. de Lugo d. 17. n. 75.*, requirens statum gratiæ, saltem in fine operis: quæ sententia tutior est. » (*Et hæc verior mihi videtur cum Wigandt tract. 14. n. 96. r. 5.*, quia nemo potest alteri applicare indulgentiam, nisi priùs eam fecerit suam. Hic autem notandum cum eodem *Wig. n. 97.* quòd licet effectus indulgentiarum pro vivis sit infallibilis, non est tamen infallibilis pro defunctis, cum eis nulla adsit promissio, unde Deus ipsas acceptat tantum ad suum beneplacitum).

« 11. Opus præscriptum dum fit, debet esse utile ad finem à concedente intentum; qualis est v. g. eleemosyna præscripta pro redemptione captivorum, etsi fiat cum, aut in peccato; modò aliud opus ei injunctum, et præscriptum in gratia fiat (*Vide Lugo dist. 27. n. 84.*). Non autem oratio præscripta ad placandum Deum, si ipsamet sit peccatum ex mala circumstantia; uti nec jejunium, si te inebries, item

» nec visitatio Ecclesiarum sine ulla devotione. Ita *Laym. Bon. et alii.*

« 12. Possunt uno et eodem opere plures indulgentiæ, diversis viis concessæ, lucriferi, si opus sit æquè utile ad finem utriusque indulgentiæ; nec sit iterabile intra idem tempus, v. g. jejunium, vel communio. Ita *Præpos. et Laymann.*

« 15. Non lucrantur indulgentias: I. Qui ex impotentia, vel ignorantia, sive totum opus præscriptum, sive notabilem ejus partem omittunt; v. g. si puer, vel senex non jejunet; nisi tamen ob gravem difficultatem hoc opus ei in aliud est commutatum. *Henriq. Cajet. Bon. p. 5. n. 16.*

II. Qui opera injuncta alio loco, tempore, vel ordine per fecit, quam præscriptum est; vel per alium, qui fuerit causa principalis, ut si per alium jejunarit, ecclesias visitarit. *Nav. Reg. l. 7. Bon. loc. cit.* III. Qui famulo tradidit eleemosynam erogandam, quam is retinuit ut habet *Bonac.* ex multis, contra *Sa. IV.* Qui aliquid omittit quod secundum sententiam probabilem, vel etiam probabiliorem, non est necessarium, si tamen sit necessarium re ipsa; quia communis error non supplet defectum. Ita *Bonac. ex Suar. Sanch. et aliis.*

« 14. Non obstat effectui indulgentiæ: I. Etsi ex opere requisito modicum quid omittatur, v. g. cæremonia in sacro, vel si parum comedas in jejunio; quia opus ponitur moraliter integrum. II. Si opus requisitum præstes per alium habentem se ut instrumentum, v. g. in eleemosyna danda. *Bonac. l. c. III.* Si eleemosynam des exiguam, nisi tamen in bulla exprimat, dandam esse pro ejusque facultate: tunc enim major danda est à divite, quam ab alio. Ita *Fill. Suar. Sa, et alii.* IV. Si Ecclesiam visitandam non possis ingredi ob hominum multitudinem, dummodò oratio fiat ante fores, vel in cæmeterio. *Bonac. V.* Etsi in opere præstito non habueris intentionem consequendi indulgentias, ut docent *Salas. Bonac. et alii contra Suar.* Et videtur certum, saltem si habueris interpretativam, ut habet *Laym.* » (*Et Wigandt tr. 14. n. 95. Viva qu. 6. art. 4. n. 4. Croix n. 1525. cum Lugo, Molin. Pell. Gab. etc. et alii.*)

« VI. Etsi opera fuerint aliunde debita, v. g. ex præcepto Ecclesiæ. Ita *Laym.* »

« 15. Quando datur potestas commutandi opera præscripta

» in alia, id non necessariò fit in confessione; et à confes-
 » sario, qui audit confitentem: sed potest fieri extrà, et
 » ab alio idoneo. Ita enim declarat *Greg. XIII.* (uti et in
 » bulla indulgentiæ, nomine confessarii intelligi quemvis
 » approbatum) *apud Henriq. lib. 7. c. 10. n. 8. et Præpos.*
 » *qu. 14. d. 10. n. 88.*

» 16. Probabilius est, eum, qui tantum partem operis
 » præscripti facit, non lucrari partem indulgentiæ, nisi tam
 » parum desit, ut censeatur moraliter integrum. Ita *Bon. p. 5.*
 » *ex Nav. Suar. Conc. etc.*

» 17. Dum præscribitur, ut visitentur aliquot altaria,
 » sufficit ad illa se orando convertere eodem loco, ut habent
 » *Sa, Bonac. Rodr. Diana.* Limitat autem *Lugo,*
 » si sit tali loco, et situ, ut moraliter censeri possit orare
 » ad illa altaria. *D. 27. n. 95.*

» 18. Cum confessio præscribitur, nisi in bulla exprima-
 » tur *venialium*, probabilius est non requiri ut conditio-
 » nem sine qua non, sed ut dispositionem ad statum gratiæ.
 » *Bon. l. c. (1).*

» 19. Nemo consequitur plenariam indulgentiam peccato-
 » rum omnium, nisi omni culpa, etiam veniali, liber sit,
 » quando ultimum opus explet. Unde consultum est, ut
 » communio sit ultimum. *Vide Laym.*

Certum est, peccatum veniale non remissum quoad culpam, non posse remitti quoad pœnam. Ita *S. Th. Suppl. q. 27. art. 1.* quem sequuntur *Viva q. 6. a. 2. n. 2. Sporer p. 254. n. 8. et alii passim.* Illud tamen veniale non impedit, quominus remittatur pœna debita aliis peccatis jam remissis. *Viva, et Sporer ll. cc. ac Wigandt tr. 14. n. 94. et*

(1) Jam constat ex Decreto S. Congreg. Indulgentiarum 19 Maj. 1759, per illud: *rite contritis et confessis*, in decretis apponi solitum, requiri confessionem sacramentalem non ut medium ad statum gratiæ, sed tanquam conditionem *sine qua non*; attamen ex eadem S. Congr. Indulg. 15 Dec. 1841 necesse non est, pœnitentibus absolutio detur ad indulgentiam lucrificandam. Præterea per Decretum S. Congr. Indulg. 12 Junii 1822 conceditur, confessionem sacramentalem peractam *infra hebdomadam ante festivitatem* suffragari ad obtinendam indulgentiam. Notandum autem, per verba: *infra hebdomadam*, intelligi octo dies tantum, quæ festivitatem immediatè præcedunt et per hujusmodi confessionem etiam alias lucriferi posse indulgentias, quæ *infra prædictum tempus* occurrunt et ad quas lucrandas sacramentalis confessio ceteroquin requiritur, ex S. Congr. Indulg. 15 Dec. 1841.

Edit.

Renzi c. 2. sect. 4. q. 17. cum Laym. et Pelliz. Nec obstat indulgentiam plenariam concessam fuisse sub ratione totalis remissionis, ita ut si pœnam non tollat illius venialis non remissi, nullam tollat. Nam respondetur, quòd sicut non repugnat culpam alicujus venialis remitti, quin remittatur culpa aliorum; ita et pœna; Pontifex autem concedendo indulgentiam plenariam, non præsumitur velle eam restringere tantum ad eos quibus remittuntur omnia venialia, sed potius illam concedere juxta capacitatem subjecti, ut remittatur saltem pœna venialium illorum, quorum culpa remissa est. Notandum hic, quòd ad indulgentias lucrandas requiratur confessio peccatorum etiam venialium, si in diplomate legatur: *Qui verè pœnitentes, confessi, etc.* Ita ex decreto S. C. Indulg. approbato à *Clemente XIII.* qui publicari mandavit die 19 Mart. 1759. Declaravit autem S. C. confessionem posse etiam expleri in vigilia festivitatis. Sic refert *P. Ferraris Bibl. t. 8. Append. num. 4.*

§. II.

Quotuplex indulgentia, et quomodo differat à jubiliæo?

555 *Vide quæ habentur apud Busemb.*

556 *Adnotantur sancita à Bened. XIV. circa jubiliæum.*

557 *Qu. I. An ad lucrandum jubiliæum omnia opera perfici debeant in una hebdomada? Qu. II. An per confessionem invalidam in jubiliæo auferatur reservatio censurarum, et peccatorum? Qu. III. An peccet graviter qui absolutus à reservatis, postea alia opera non implet? Qu. IV. An qui confessus est in jubiliæo, et oblitus sit peccati reservati, possit deinde à quocumque absolvi? Et an obtinere commutationem votorum? Qu. V. An confessus animo lucrandi jubiliæum, maneat absolutus à reservatis oblitis, si postea non lucretur? Qu. VI. An possit absolvi, qui commisit peccatum reservatum in confidentiam jubiliæi? Qu. VII. An possit dari absolutio ante satisfactionem partis, vel juramentum ejusdem? Qu. VIII. Quinam casus, et censuræ possint absolvi in jubiliæo? Dub. 1. An possint absolvi publicè excommunicati? Dub. 2. An possint dispensari in irregularitate?*

558 *Qu. IX. Qui veniant nomine infirmorum, captivorum, et itinerantium? Qu. X. An sufficiat ad jubiliæum lucrandum oratio mentalis, aut modica vocalis? Qu. XI. An modica elemosyna? Qu. XII. An satisfaciatur pro jejuniis injunctis implens jejunia aliàs debita?*

553. — « **R**ESP. 1. Indulgentia alia est totalis, sive plena, plenior, plenaria, plenissima, quæ non tantum pœnitentiam injunctam per confessarium, vel canones, aut secundum hos injungi debitam, sed etiam omnem purgatorii pœnam tollit. Nec differt à jubilæo, nisi accidentaliter privilegii quibusdam, ut quod in jubilæo licita sit dispensatio in certis votis, absolutio à reservatis, et censuris, et quod confessarius quivis approbatus possit eligi. Vide Sa, v. *Indulgent. Bon. d. 6. q. 1. p. 2.*

« Indulgentia alia est partialis, qualis est unius, vel aliquot annorum; item septenæ, quadragenæ, carenæ, etc.; item tertiæ partis peccatorum, per quas non significatur tolli tantam durationem purgatorii, sed tantam pœnam remitti, quanta deleteretur per jejunium unius, aut aliquot annorum, aut quadraginta dierum in pane et aqua, secundum canones olim imponi solitum. Porro quando indulgentiis plenariis adduntur aliquot anni, vel remissio tertiæ partis peccatorum, id secundum diversas sententias, vel ad diversos concedentes referendum est; vel facit ad cautelam, ut si fortè causa indulgentiæ non fuerit sufficiens, saltem valeat ad illos annos lucrandos, vel ut adjuncta concedatur pro alio tempore, actione, et loco; vel denique, ut ea per modum suffragii possit aliis applicari. Vide Bell. cap. 9.

« Resp. 2. Circa jubilæum notanda sequentia: 1. Anno jubilæi in Urbe durante, suspendi solent tantisper extra Urbem omnes indulgentiæ plenariæ, quoad vivos, etiam in carceribus (non tamen in periculo mortis constitutos, ut contra Laym. lib. 5. t. 7. cap. 8. n. 2. docet Bon. d. 6. q. 1. n. 2. ex declar. Urban. VIII. facta anno 1623. neque quoad defunctos): itemque aliæ facultates, v. g. absolvendi à casibus bullæ Cœnæ, commutandi vota, dispensandi, etc. concessæ in ordine ad lucrandas plenarias indulgentias. Non suspenduntur autem indulgentiæ personis particularibus, aut ab alio, quàm Papa concessæ, nec privilegia religiosorum, v. g. absolvendi à reservatis, etc., quia tantum suspenduntur facultates concessæ in ordine ad indulgentias. Ita Sanch. Henr. etc. apud Diana t. 1. tr. de bulla Cruc. Fill. Bon. l. c. Benzon. et deinde Lugo n. 20. sect. 8. n. 143. ex declarat. Urban. VIII. anno 1623. Similiter neque

« suspenditur facultas concessa Episcopis per Trident. sess. 24. c. 6. absolvendi, et dispensandi cum suis subditis, in omnibus casibus Sede apostolicæ reservatis; item nec dispensandi in irregularitatibus, in impedimentis matrimonii, aut petendi debitum, etc. quæ ex jure communi illis competunt. Zerola v. Annus sanctus, §. 4. Quintan. in Append. t. 5. d. 16.

« 2. Etsi probabile sit quod docet Nav. sæpius lucriferi posse indulgentias intra jubilæum, extensum ad duas septimanas: contrarium tamen verius est, quod Congr. Card. declaravit, ut habet Bonac. ex Suar. Sanch. l. 6. q. 1. p. 5. n. 52. qui tamen affirmat, in anno sancto posse obtineri toties, quoties opera præscripta præstantur: idque ex declaratione Urbani VIII.

« 3. Satisfacere tunc, 1. qui sabbato ante primam Dominicam confitetur. ut habet Laymann. Bon. et praxis fidelium. Item qui confitetur et communicat ultimâ Dominicâ claudente jubilæum. Cætera tamen opera debere fieri ante, et quidem intra unam hebdomadam, docet Lugo d. 27. n. 105. contra Bonac. p. 1. q. 5. 2. Qui ordinem intra opera præscripta non servavit. 5. Si quis intra illud tempus cœperit confessionem, quam materialiter imperfectam oporteat differri longius, potest tunc absolvi à reservatis, et commutari vota: postea verò extra tempus jubilæi absolvi ab omnibus, etiam quæ oblitus est, reservatis. ac in oblitis etiam dispensari: imò potest postea omnia facere confessor finitâ confessione; quæ antè: quia, cœptâ causâ, manet potestas delegati, donec finiatur. Ita Sa, Less. l. 2. c. 40. d. 16. Bonac. Laym. Sanch. l. 4. c. 54. Dian. t. 2. misc. r. 11.

« 4. Qui neglexit lucrari jubilæum in patria, potest alibi, dum ibi durat, lucrari. Sanch. Ugol. Dian. p. 5. t. 4. r. 151. Imò etiam in patria, si tempore publicationis ex invincibili ignorantia notitiam illius non habuit. Bonac. Dian. l. c.

« 5. Quando duobus diebus immediatis occurrunt duo jubilæa, quorum singula confessionem, et communionem requirunt, non opus est bis confiteri et communicare, dummodò perseveres in gratiâ; alia tamen opera repetenda sunt. Tur. p. 2. d. 52. Vide Dian. p. 4. t. 4. r. 166.

556. — Ante omnia refert hic adnotare sancita à N.V. SS.

P. Bened. XIV. in sua constitutione, *Inter præteritos*: edita 5 Decemb. 1749. pro jubilæo anni sancti, de qua præcedenter locutus in Allocutione consistoriali habita die 5 Maji eod. anno sic dicit: *Difficultates* (circa facultates jubilæi) *in unum congerere....*, et *questiones omnes de medio tollere non prætermittimus*. Addens ibi: *Ideò Doctores Constitutionis aliorum Pontificum falsò interpretasse, quia non benè verba ipsarum perpenderunt*. Deinde in prædicta constit. *Inter præteritos*, sic sancivit:

I. Per verba, *verè pœnitentibus et confessis*, intelligi debet actualis confessio (*In dicta const. Inter præteritos*, §. 5.) II. Omnes visitationes Ecclesiarum debent perfici uno die, incipiendo diem à media ad mediam noctem, vel à vespera ad vesperam. §. 15. III. Per clausulam: *Ad beneplacitum nostrum, et Sedis apostolicæ*, non cessant indulgentiæ morte Pontificis: secùs si tantum dicatur, *Ad beneplacitum nostrum*. §. 18. IV. Circa suspensionem indulgentiarum, quando in indulto dicitur, *omnes et singulæ*, etiam plenariæ suspenduntur. §. 22. V. Indulgentiæ pro vivis non possunt applicari pro defunctis. §. 25. VI. Tempore jubilæi anni sancti manent suspensæ facultates regularium absolventi à casibus bullæ Cœnæ, et reservatis Sedi apostolicæ, et vota commutandi, sive sint concessæ intuitu indulgentiarum, sive ob alias causas. §. 26. et 32. VII. Vi jubilæi nequit absolvi hæresis externa. §. 38. VIII. Quando dicitur: *Commutatio votorum fiat dispensando*, principaliter debet attendi ad commutationem, ita ut materia subrogata non sit exorbitanter minor: secùs si dicatur. *Dispensatio fiat commutando*. §. 43. IX. Facultas dispensandi non includitur in facultate commutandi. §. 47. X. Quoad irregularitates pertinet, quidquid sit de controversia, nùm sub nomine censuræ irregularitas ex delicto comprehendatur, datur facultas dispensandi ab occulta irregularitate ob violationem censurarum dumtaxat. §. 50. XI. facultas commutandi pia opera non intelligitur data circa confessionem, et communionem (præterquam eum pueris) aut orationem necessariam in visitatione. Nec commutatio fieri potest ad opera aliunde debita. Nec jubilæum acquiri potest per opus aliàs debitum (putà si quis ex legato teneatur dare eleëmosenam pauperi), nisi qui indulgentiam concedit, nominatim dicat, quòd per prædictum opus acquiri possit; id

anim sæpè contingit, cùm inter injuncta opera trium dierum jejunium præscribitur, dies nominatim indicando, ex. g. dicitur, quòd esse debeant tres dies quatuor temporum Septembris. §. 55. Item commutatio fieri debet in opera ejusdem naturæ. §. 55. XII. Præter excommunicationem majorem Pontifici reservatam in constit. *Apostoloci muneris*, impositam sacerdoti complici in peccato turpi, quia extra mortis articulum confessionem excipit pœnitentis, eumque absolvit; vel qui in articulo mortis absolvit, cùm alius sacerdos non desit; sive, cùm alius sit sacerdos, sibi fingit, quòd si pœnitens illi confiteatur, infamia aut scandalum inde oriturum sit, et ideò confessionem ejus excipit, aut absolvit, imponitur hic inhabilitas in quocumque jubilæo absolventi complicem pœnitentem. §. 59. et 60. XIII. Cùm omnes, quæ tribuuntur facultates ad jubilæi consecutionem, directæ ac veluti ipsius præparatio sunt, clarè inde sequitur illarum usum minimè locum esse, nisi cum eo qui et ad consequendum jubilæum præparatus sit, et certum habeat propositum adimplendi opera injuncta. §. 62. XIV. Confessarii tantum in foro sacramentali, et Ecclesiis designatis possunt absolvere, et vota commutare. §. 65. XV. Tempore jubilæi, vel indulgentiarum omninò imponenda est pœnitentia à confessario, ne mutilum maneat sacramentum. §. 65. XVI. Nominè partis læsæ non intelligitur iudex, sed qui damnum est passus. §. 66. Et itidem declaratur, non posse commutari vota in præjudicium tertii, sicut votum perseverantiæ in aliqua congregatione, quòd naturam assumat contractus et reciproce obligationis inter voventem et congregationem. XVII. Si quis post confessionem prolabitur in lethale, debet iterum confitèri, ut ultimum opus fiat in gratia. §. 75. XVIII. Opera facta in peccato valent ad lucrandum jubilæum, modò fiant animo exhibendi honorem Deo; non autem ex fine vano: et modò ultimum opus impleatur in gratia. §. 75. et 76. XIX. Nominè *incolæ* veniunt omnes qui sunt Romæ, animo ibi morandi per majorem anni partem, et omnes qui Romæ alicujus muneris aut negotii causâ morantur. Confessio est necessaria ad lucrandum jubilæum, etiamsi quis habeat sola venialia. §. 77. XX. Pro aliis verò indulgentiis, si confessio præcipitur ut dispositio, non requiritur confessio venialium, secùs si injungitur ut opus præscriptum. §. 78. XXI. Si quis post confessio-

nem labatur in mortale, licet non teneatur iterare visitationes, tenetur tamen iterum confiteri. §. 79. XXII. Non est opus in visitatione Basilicarum ad indulgentiam consequendam ingredi aut egredi per portas sanctas, licet hujusmodi ingressus pro opere supererogationis aestimandus sit. §. 81. XXIII. Si quis ante publicationem Indulti visitavit Basilicas, et compleat visitationes ipso die publicationis, potest gaudere jubilæo, modò aliam visitationem quatuor Basilicarum totam illo die perficiat. §. 82. XXIV. Satis est oratio vocalis: qui autem solâ mente orare voluerit laudandus est, aliquam tamen vocalem orationem adjungat. §. 83. XXV. Potest quis iterum lucrari jubilæum, si reiteret opera injuncta; verum tantum primâ vice potest facultatibus gaudere. §. 84. Hoc tamen non intelligendum pro lucranda indulgentia concessa iis, qui præscriptis diebus Ecclesiam visitaverint, tunc enim unica tantum indulgentia acquiri potest. *Ibid.* XXVI. In concessione facultatis absolventi à censuris bullæ Cœnæ non includitur facultas absolventi ab hæresi externa. §. 85. XXVII. Qui factâ confessione est absolutus à censuris, et alias gratias votorum recipit, si mutat propositum implendi reliqua, manet dispensatus à votis, nec reincidit in censuras. §. 86.

Hic addendum, quod in constit. *Celebrationem*, edita die 1 Jan. 1751. idem *Bened.* XIV. declaravit, facultatem prius datam monialibus, et earum novitiis in constit. *Benedictus Deus*, emanata 25 Decemb. 1750. §. 4. eligendi sibi tempore jubilæi quemcumque confessarium, intelligendam esse de quolibet confessario approbato ab Ordinario loci pro quocumque monasterio loci illius. Demùm hic notandum, quòd tempore jubilæi regulares possunt confessionem explere apud quemcumque sacerdotem approbatum ab Ordinario etiam sæcularem, ut declaravit *Gregor. XIII.*, et *Alex. VII.*, in constit. *Unigenitus*. Ita refert *P. Ferrar. Bibl. v. Approbatio art. 2. n. 21.* possuntque absolvi ab illo etiam à casibus in eorum ordine reservatis.

557. — Quæritur I. An ad lucrandum jubilæum debeant omnia opera perfici in una hebdomada? Ad respondendum refert hic prius adnotare verba solita apponi in hujusmodi indultis, quæ sunt: *Qui processioni interfuerint, vel Ecclesias designatas visitaverint, et feriâ quartâ, sextâ, ac sabbato alterius ex duabus hebdomadis jejunaverint, pariterque sua*

peccata confessi, et SS. communionem refecti fuerint; eleemosynamque tribuerint, etc. Hoc posito, negativè respondent ad quæsitum *Pal. tr. 24. p. 12. §. 5. n. 19. Bon. de pœnit. d. 6. q. 1. p. 5. n. 54.* item *Præpos. et Naldus apud Renzi cap. 2. sect. 5. qu. 1. ac Rodr. Sa, Diana, Lohn. apud Croix n. 1450.* et probabilem ibi dicunt *Dicast. et Graff. et consentit Laym. de pœnit. c. 15. n. 10.*, si adsit causa. Ratio, quia, cum dicatur in indulto opera implenda esse in altera ex duabus hebdomadis, non est cur impletio restringi debeat ad unam hebdomadam.

Secunda sententia verò, cui adhæreo affirmat: et hanc tenent *Sanch. l. 4. c. 4. n. 28. Lugo d. 27. n. 103.*, (qui contrariam falsam vocat) *Sporer Suppl. p. 265. n. 175. Viva de jubil. q. 8. art. 2. n. 5. cum Ugolino, Reg. et Fausto, Holzm. n. 659. cum Henr. Gobat. et aliis passim*, ut asserit *Renzi l. c. cum Nugno, ex Sanctorell.* Ratio, tum quia hæc est praxis communis fidelium, ut fatetur etiam *Laym.*, tum quia id patet ex verbis relatis indulti, ubi non dicitur utriusque hebdomadæ, sed *alterius ex duabus*, quod importat opera implenda esse vel in prima, vel secunda hebdomada.

Et idem sentio dicendum de confessione, et communionem cum *Lugo, Holz. Renzi, et aliis mox supra citatis, contra Pal., et alios AA.* primæ sententiæ, qui dicunt, quòd is, qui in prima hebdomada absolvisset opera præscripta, posset tamen in secunda absolvi à reservatis. Sed opposita apparet verior ex verbis illis, quæ adduntur in indulto, *pariterque peccata sua confessi, etc.*; ergò sicut jejunia debent impleri in una hebdomada, ita pariter confessio, et communio. Nec valet dicere cum *Palao*, quòd illud *pariter* respicit obligationem operum, non temporis; nam reverà particula *pariter* importat annexionem operum, non solùm quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantiam temporis.

Probabilissimè autem dicunt *Lugo n. 107. v. Adverto, Bon. et Holzm. ll. cc.* quòd si quis impleverit alia opera in prima hebdomada, benè poterit ex consuetudine communi perficere communionem Dominica immediatè sequenti. Et idem de confessione probabiliter dicunt *Diana p. 1. tract. 1. Misc. r. 28. et Lugo d. num. 107. cum Soto, Nav. Sa, Henr. Reg. et aliis communiter*, qui dicunt hoc olim declaratum etiam fuisse à *Gregorio XIII.* Ex quo sequitur (ut benè notat *Holzm.*)

Dominicam mediam esse communem, et pertinere ad utramque hebdomadam).

Quæritur II. An per confessionem invalidam in jubilæo absolvantur censuræ reservatæ, et auferatur reservatio peccatorum? Si confessio fuerit culpabiliter nulla (quidquid dicant *Cajet. Henr. etc. ap. Croix n. 1449.*) omninò negandum cum *Lugo d. 20. n. 115. et Viva de jubilæo qu. 11. art. 6. n. 2.* (qui meritò id negat, contra *Lugo*, etiamsi quis in illa confessione habuerit animum postea se validè confitendi). Ratio est, tum quia nulli sua fraus patrocinari debet; tum quia facultates conceduntur in confessione, ut per illam fideles jubilæum lucrentur; unde qui sacrilegè confitetur, cum reverà nolit per talem confessionem jubilæum lucrari, non potest facultatibus gaudere. Et de hoc hodie non videtur ampliùs dubitandum post declarationem *N. P. Bened. XIV. ut suprâ notavimus n. 536. n. XIII.*

Si autem confessio fuerit nulla defectu doloris, et bonâ fide fuit facta, idem sentiunt *Bonac. d. 5. q. 7. p. 5. §. 5. n. 9. cum Rodr. et Croix n. 1449. cum Tamb. Reg. Aversa etc.* Ratio, tum quia facultates in jubilæo non conceduntur absolutè, sed pro veris pœnitentibus; qui autem invalidè confitetur, non est verè pœnitens, tum quia facultas absolutionis concessa est sub conditione lucrandi jubilæum, quod utique acquiri nequit deficiente confessione validâ. Alii verò censent per hujusmodi confessionem inculpabiliter nullam, tolli reservationem; ita *Lugo dist. 20. n. 110. Viva l. c. cum Conc. Henr. et Comit. item Dic. et Gob. apud Croix l. c. qui n. 1473. id probabile putat.* Ratio, quia, ut dicunt communiter (loquendo verò extra tempus jubilæi) ipse *Bonac. l. c. Pal. tr. 25. p. 15. §. 6. et Salm. de pœnit. c. 15. p. 5. n. 41. cum Suar. Cajet. Lugo, Con. Dic. et aliis passim.* peccata reservantur, ut in confessione deferantur habenti jurisdictionem in illa, sive ordinario sive delegato, utque ipse judicet imponendo pœnitentiam, et absolutionem ferendo: quod jam fit in casu nostro; unde ad hoc, ut confessarius possit reservationem auferre, sufficit ut pœnitens habeat verum animum lucrandi jubilæum. Sed his non obstantibus, probabilior mihi videtur prima sententia, quia, cum Pontifex concedit facultatem absolvendi à reservatis, ut fideles jubilæum lucrentur, non præsumitur illam concedere pro

his, qui nequeunt cum illa confessione jubilæum lucrari. Idque videtur confirmari ex verbis *Bened. XIV. in dicta const. Inter præteritos*, ubi dicit facultates tribui velut præparationes ad consecutionem jubilæi; ergo non præsumitur velle, ut facultatibus fruatur ille, cui facultates non sunt præparatio ad jubilæum lucrandum.

Quæritur III. An peccet graviter qui postquam est absolutus à reservatis, non implet postea opera injuncta?

Prima sententia affirmat, quam tenet *Viva de jubil. q. 11. a. 4. n. 2. cum Suar. Vasq. et Fill.* et hanc sententiam dicit *Bened. XIV. in præfata const. Inter præteritos §. 86.* fultam esse subsistenti ratione, quia in materia gravi ille contraveniret intentioni Pontificis, qui facultates concessit tamquam medium ad jubilæum lucrandum. Sed negant communius *Sanch. Dec. l. 4. c. 44. n. 54. cum Henriq. Pal. tr. 24. p. 12. §. 5. n. 15. Bon. dist. 5. qu. 7. part. 5. §. 1. n. 18. Lugo dist. 20. n. 100. Sporer p. 269. n. 215. et Salm. de pœnit. c. 15. p. 5. n. 57. cum Naldo, Diana, Portel. etc.* Ratio, quia hujusmodi obligatio non inspicitur imposita neque ex natura jubilæi, neque ex Pontificis, aut confessarii præcepto; et in dubio de præcepto, nemo ad illud tenetur. Communiter autem dicunt *Nav. Vasq. Laym. Henr. etc. ap. Croix n. 1448. contra Ugolin.* talem pœnitentem qui negligit opera complere, minimè reincidere in reservationem, vel censuras. Hocque definitum est ab eodem *Bened. XIV. in dict. Const. §. 86.*

Quæritur IV. An qui confessus est tempore jubilæi, et oblitus fuerit confitèri peccata reservata, aut cum causa illa omiserit, possit deinde à quocumque confessario ab eis absolvi? Omnes affirmant, si tempore jubilæi confessarius habuerit expressam intentionem absolvendi etiam à reservatis. Si verò hanc non habuerit, negant *Bon. p. 15. §. 5. n. 5. cum Vasq. et Sylvest. Rosel. ac Sayr. ap. Sanch. de matrim. l. 8. dist. 15. n. 17. cum Sa, et Henr. Pal. tr. 24. p. 12. §. 5. n. 9.* Sed probabiliùs affirmant *Bus. ut suprâ, Sanch. l. c. Suar. dist. 51. sect. 4. n. 24. et Viva qu. 11. a. 4. n. 2. cum Reg. Nav. Cabr. et Diana, Croix n. 1449. cum Aversa, Peliz. Dic. etc.* Ratio, tum quia pœnitens vi jubilæi jus acquisivit ad favorem Pontificis, ut ex eo tempore à quolibet confessario possit absolvi, tum quia primus confessarius præsumitur per

suam absolutionem velle conferre suo pœnitenti omne beneficium quod potest; unde sicut indirectè absolvuntur peccata illa oblita, ita indirectè tollitur reservatio. Omnes autem conveniunt, quòd si quis cœpit confessionem intra jubilæum, possit deinde absolvi ab omnibus reservatis. Ita *Nav. c. 26. n. 15. Laym. c. 15. n. 9. cum Palud. Henr. Rodr. Bon. l. c. et alii passim*. Et hoc probabiliter extendunt *Sanch. l. c. et Viva cum Bossio, et communi*, etiam ad illa reservata, quæ pœnitens committat transacto tempore jubilæi, quia pro eo perseverat adhuc idem favor facultatum.

An autem qui confessus fuerit tempore jubilæi, possit postea à quocumque confessario obtinere commutationem votorum? Negant *Laym. c. 15. n. 9. et Suar. Bon. ac Fill. ap. Croix n. 1475*. Ratio, quia absolutio facta virtute jubilæi non potuit comprehendere vota, quorum commutatio tunc non fuit quæsitæ. Sed communiùs affirmant *Less. l. 2. c. 40. n. 109. Pal. l. c. Viva q. 12. art. ult. num. 5. Sporer p. 272. num. 257. cum Gob. Portel. et Sanctorell.*, idemque tenet *Sanch. loc. c. n. 18*. etiamsi pœnitens tempore jubilæi memor fuerit sui voti. Ratio, quia (ut dictum est) pœnitens vi jubilæi lucrati jus adeptus est ad talem commutationem. Utraque sententia est probabilis. Rectè autem advertunt *Suarez, de voto lib. 6. c. 19. n. 10. et Holzm. n. 645. cum communi*, quòd pro commutatione præfata votorum non requiritur specialis causa, sed sufficit causa illa communis, ob quam Pontifex motus est ad jubilæum indicendum.

Quæritur. V. An si pœnitens tempore jubilæi confessus sit cum intentione illud lucrandi, et postea non lucratur, cò quòd non implet opera requisita, an tunc pro oblitis tollatur reservatio? Negat *Conc. p. 374. n. 17. cum Vasq.* et probabile putat *Suar. d. 51. sect. 4. n. 25*. Ratio, quia privilegia conceduntur ad jubilæum lucrandum, et ideò, donec illud non sit obtentum, pœnitens non potest illis gaudere. Sed probabilius affirmant *Suar. n. 24. Sanch. Dec. l. 4. c. 54. n. 45. et de matr. l. 8. d. 25. n. 21. cum Manuel*. Ratio, quia tempore jubilæi conceditur facultas absolvendi à reservatis omnes qui habent animum illud lucrandi, et patet ex dictis n. 556. n. XXVII. Unde cum confessarius absolutionem impertitur, tunc reservatio absolutè aufertur, non verò dependenter ab eventu futuro; nam in jubilæo nihil conceditur sub condi-

tionè futuri eventus, et ideò cum ablatio reservationis jam sortita fuerit effectum suum, pœnitens non reincidit in eam, si postea opera non compleat.

Quæritur VI. An possit absolvi à reservatis, qui peccatum commisit spe obtinendi absolutionem vi jubilæi?

Prima sententia valde probabilis negat, et hanc tenent *Covar. Lopez, et Menoch. apud Pal. p. 12. §. 5. n. 13*. quia non præsumitur Pontifex velle fovere iniquitatem. Idque confirmatur ex illo Tridentini *sess. 24. de Reform. c. 3.*, ubi statuitur, quòd habens copulam còsanguinea spe obtinendi dispensationem, difficiliùs ei concedetur, et ipse debet Pontifici exprimere, crimen patrasse cum hac confidentia.

Secunda sententia verò communior, et satis probabilis affirmat, eamque tenent *Suar. l. 4. de voto c. 54. n. 18. et Pal. l. c. n. 16. cum Henr. Graff. Vega, Rodr. etc.* Ratio, quia facultas generaliter concessa non est limitanda. Nec obstat dicere, quòd Pontifex sic foveret iniquitatem; nam, si hoc esset, Christus sacramentum pœnitentiæ instituens adhuc diceretur iniquitatem fovisse; non autem dici debent fovere iniquitatem remedia, quæ à superioribus peccantibus præparantur.

Quæritur VII. An vi facultatis concessæ in jubilæo absolvendi à censuris occultis propter damnum alicui datum incurris, sub conditione, ne pœnitentes absolvantur, nisi satisfacta parte, vel saltem præstito juramento satisfaciendi, possit dari absolutio ante satisfactionem, vel juramentum? Si pœnitens possit, statim satisfacere debet, aliàs illicitè et invalidè absolveretur; ita *Suar. d. 7. de censur. sect. 5. Sporer p. 209. n. 214. et Viva q. 10. a. 2. n. 9. cum Vasq. Gob. Con. et Fill. contra Avil. Bon. Bardi, Dian. etc. ibid.* qui negant id fieri invalidè, cum illa sit potiùs monitio, quàm conditio. Sed verior mihi videtur sententia *Suaris*, et aliorum ut suprà, quia illa est vera conditio quæ non impletà, facultas non conceditur. Dicit autem *F. Theodor. à Spir. S. c. 9. §. 4. n. 5.*, sufficere ab absolvendum satisfactionem fidejussoriam, aut juratoriam, semper ac confessarius judicet, quòd absolutio proderit pœnitenti, nec eum retardabit à satisfaciendo. Verùm hæc opinio magis speculativè quàm practicè est probabilis: hinc veriùs dicendum cum *Croix*,

num. 1433. et Viva q. 10. a. 2. num. 9., non posse eo casu absolutionem à censuris impertiri, nisi realiter præmittatur satisfactio: idque expressum est à Ben. XIV. in const. *Convocatis*, ubi dicitur: *Ab occultis censuris ob partem læsam incursis (confessarii) non prius absolvant, quam parti læsæ pœnitens satisfecerit; vel si prius pœnitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum cum primùm poterit.* Rectè tamen dicunt Croix l. c. et Viva n. 5. cum Sanch. Henr. Boss. et aliis, benè censèri satisfactum parti, si absolvendus ita rem disponat, ut satisfactio sit certò moraliter implenda: prout si pœnitens det confessario, aut deponat apud alium quod restituere debet. Et idem ait Viva si pœnitens ex consensu partis obtineat dilationem. Antequam autem satisfiat fisco, vel judici, benè potest impertiri absolutio, ut dicunt Tamb. Suar. ap. Croix *ibid.*

Si verò pœnitens sit impotens ad satisfaciendum, tunc validè et licètè absolvi potest cum veriori et communiori sententia, quam tenent Sporer p. 269. n. 214. F. Theod. loc. cit. Renzi. c. 2. sect. 5. qu. 24. cum Fill. et Viva n. 4. cum Suar. Laym. Bon. et aliis (contra Sotum, Nav. et Cordub. ib., qui dicebant non esse absolvendum qui satisfacere non potest, cum satisfactio sit conditio sine qua non). Ratio nostræ sententiæ est, quia non præsumitur Pontifex impossibilem conditionem postulare. Nec tunc requiri fidejussionem, vel pignorationem, aut juramentum dicunt Sporer l. c. et Viva n. 6., eò quòd (ut ajunt Suar. sect. 10. n. 4. et Nav. Laym. Henr. Boss. etc. ap. Viva) istæ cautiones solùm exiguntur pro foro externo. Sed juxta verba Pontificis suprà relata, tunc omninò saltem exigendum est juramentum de satisfactione implenda, cum præcipiatur confessariis: *non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum.* Rectè verò dicunt Tamb. et Belleg. ap. Croix n. 1454., non esse opus tali juramento, si pœnitens reverà esset perpetuò impotens ad satisfaciendum. Præfatus autem F. Theodor. n. 4., subdit damnificantem absolvi posse: I. Si pars læsa acceptet satisfactionem, vel eam remittat, licèt adfuerit damnnum publicum, ut dicit Glossa in cap. *Quamvis de pactis* in 6. Hinc si quis percusserit clericum, sufficit ei se submittere, vel quòd offensus injuriam remittat, aut ita se gerat, ut prudenter præsumatur omnem offensam remisisse. Rectè verò advertit Croix n. 1456. cum Bonac. et Fill. (contra

Vivam, Tamb. Dian. etc.) non sufficere remissionem monachi offensi, si injuria in totam redundaverit communitatem: et hanc testatur *Filliuccius* esse proximi S. pœnitentiariæ. II. Si pars renuat justam satisfactionem oblatam, quia tunc per ipsum non stat; ita præfatus auctor l. c. cum *Candido*. III. Si pœnitens præstet partem quam potest, et pignus, aut juramentum de reliquo. IV. Si debitor non possit tunc satisfacere, nisi cum magno damno, aut incommodo; nisi pars læsa idem damnnum ex dilatione subiret. Ita idem auctor cum *Nav. et Avila*, qui addit, quòd, cum creditor sit distans, potest absolvi debitor, si deponat pecuniam in loco tuto.

Utrùm autem absolutus à censuris sub promissione satisfaciendi, reincidat in eas, si postea non satisfaciat? Affirmant *Nav. Rodr. et Vega ap. Vivam n. 7.* Sed probabilius negant *Sporer l. c. et Viva cum Sa, Gob. Boss. et Pasq.*, quia ex cap. *Ad reprimendam de Offic. Ordin.* reincidentia non incurritur, nisi de jure exprimatur.

Quæritur VIII. A quibus casibus et censuris possint confessarii absolvere tempore jubilæi? Communiter dicunt *Suar. d. 7. de censur. c. 5. Holzmann p. 165. n. 658. Sporer p. 268. n. 212. Viva q. 11. art. 2. n. 1. item Vasq. Laym. Henr. Reg. Diana, et alii apud Croix n. 1451.*, in jubilæo, quando conceditur facultas absolvendi à reservatis Pontifici, dari etiam facultatem absolvendi à reservatis Episcopo, quamvis id non exprimatur. Item, licèt nequeant absolvi hæretici, absolvi tamen possunt proferentes blasphemiam hæreticalem, et fautores aut receptatores hæreticorum: necnon legentes, retinentes, vel imprimentes libros hæreticos; ita *Croix n. 1451. cum Lugo, Gob. Diana, et Belleg. ac Viva qu. 11. art. 1. n. 6. cum Suarez, Sanch. Henr. et Bossio, contra Azor, Rodr. et alios.* Ratio, quia hujusmodi crimina, esto concernant, non tamen sunt propriè hæresis formalis.

Sed hic dubitatur 1. an possint absolvi publici percussores clericorum, et alii nominatim excommunicati, vel suspensi? Affirmant communiùs *Sporer p. 268. n. 215. Holzmann p. 164. n. 740. Viva, q. 11. art. 1. n. 5. et Croix, n. 1457. cum Sanch. Henr. Sa, Sayr. Lez. Diana, Gob. etc. (contra Vasq. Con. et Avila).* Ratio, quia cum Indultum non distinguat inter publicas et occultas censuras, non est restringenda facultas ad sola occulta. Idque expressè concessit *V. SS. P. Bened.*

XIV. in const. Convocatis n. 3. in jubilæo anni sancti, dicens absolvi posse pœnitentes à censuris in jure latis etiam Sedi apostolicæ reservatis, quamvis publicæ in partibus sint, et quamvis deductæ aut nominatim declaratæ ac denuntiatæ in iisdem partibus sint per locorum Ordinarios, aut alios judices. Additur verò ibi n. 6. A censura ab homine, seu à quocumque giudice de partibus nominatim lata absolvi valeant ad effectum dumtaxat indulgentias præsentis jubilæi consequendi etc. Et de hujusmodi censuræ absolutione prohibetur ibidem dari à confessario ullum testimonium.

Dubitatur 2. an in jubilæo possit dispensari in irregularitatibus? Affirmant *Bannez, et Salon. ap. Vivam, q. 10. art. 1. n. 1.*, et probabile vocant *Henr. Salas, Rodr. Diana, et Boss.* Et consentiunt *Soto 4. d. 22. q. 5. cum Med.* quoad irregularitates ex delicto, quia tales irregularitates habent rationem censuræ. Sed negant communius *Suar. de censur. d. 4. sect. 5. Mol. d. 80. Holz. p. 164. n. 641. cum communi*, ut asserit, et *Viva l. c. n. 2. cum Fill. Trull. Reg. et Moja*, qui censent nomine censuræ non venire irregularitates; sed de hac quæstione fusiùs agemus infra in tract. de censur. l. 7. n. 551. Cæterùm *Bened. XIV.* in dicta const. *Convocatis, n. 12.*, loquens de irregularitatibus (præscindendo ab hac quæstione), tantùm induisit, *dispensari posse super occulta irregularitate ob violationem censurarum dumtaxat.*

558. — Quæritur IX. Qui veniant nomine infirmorum, captivorum, et itinerantium, quibus vi jubilæi possunt commutari aliqua ex operibus injunctis? Dicitur aliqua, quia confessio, et communio nunquam commutari possunt, ut communiter dicunt DD. cum *Lugo d. 27. n. 118.* et certum est ex relata constit. *Inter præteritos §. 55.* Nomine infirmorum veniunt omnes valetudinarii, qui absque notabili detrimento aut difficultate nequeunt opera illa præstare. Et tales existimantur etiam senes, ita *Holz. n. 665. et Viva q. 7. art. 2. n. 2. Captivi* autem dicuntur, qui contra propriam voluntatem alicubi detinentur: his conceditur commutatio, vel prorogatio operum ad lucrandum jubilæum. *Holz. et Viva ll. cc.* Demùm *itinerantibus* prorogantur opera injuncta usque ad reditum; et non tenetur quis suum iter differre (intelligi, si commodè differre nequit); ita *Holz. ibid. cum Gob.*

et *Croix n. 1454.* qui rectè id extendit etiam ad illum, qui primà hebdomadâ non est jubilæum lucratus, et potuit lucrari. Dicit etiam *Lugo d. 27. n. 126.* quòd si quis in itinere perveniat ad locum, ubi jubilæum promulgatur, poterit illic incipere opera, et proseguere in itinere.

Quæritur X. An ad implendas preces in jubilæo injunctas sufficiat oratio mentalis, et vocalis modica; communior sententia ap. *Croix n. 1421. et Holzmann n. 648.* requirit orationem vocalem, quia Ecclesia, cum sit sensibilis et externa, quando injungit suo nomine orare, externam intendit orationem. Sed probabiliter dicunt sufficere mentalem *Mazzotta t. 1. p. 244. et Viva q. 8. art. 5. n. 7. cum Nav. Fill. Trull. et communi*, ut asserit; probabile putat *Lugo d. 27. n. 111.* quia oratio mentalis est vera oratio; et licèt Ecclesia nequeat præcipere actus merè internos, potest tamen eam injungere, ut medium ad jubilæum lucrandum. Utrum autem sufficiat modica oratio vocalis? Affirmant *Suar. d. 52. sect. 8. n. 9. et Mazzotta l. c. cum Fill. item Boss. Diana, et Leand. apud Concina p. 451. n. 58.*, quia quælibet oratio jam satis est ad implendam conditionem indulgentiæ. Sed probabilius *Concina loc. cit. ac Holzmann, et Viva ll. cc.* dicunt requiri aliquam orationem, nempe quinque *Pater et Ave*, ut ait *Mazzotta*: vel sex cum *Credo et Gloria*, ut dicit *Sporer n. 174.*, vel septem *Pater et Ave*, ut vult *Holzmann n. 648.* Attende insuper id, quod super his protulit *N. P. Benedictus XIV.* in relata constit. §. 85. sic dicens: *Licèt oratio brevis cum sensu ferventis pietatis adhibita satisfacere possit, plerùmque tamen orationis brevitatis modico pietatis studio proficisci solet. Nos itaque declaravimus vocalem orationem piè adhibitam ad consequendum jubilæum sufficientem esse, et laudandum eum qui mente ac spiritu orat; dummodò vocales aliquas preces orationi illi adjungat.* Unde videtur Pontifexmittere, cum fiat oratio mentalis, satis esse adjicere orationem vocalem, etsi per se non notabilem.

Hic autem notandum id quod docent plures graves AA., nempe quòd pro visitatione Ecclesiæ præscripta sufficit ad lucrandam indulgentiam orare ante ostium, vel in cœmeterio; si præ hominum multitudine illam nequeas ingredi: ita *Suar. dist. 52. sect. 1. n. 7. et Bonac. dist. 6. q. 1. p. 5. n. 26. cum Rodr. Cord. Grassi. etc.* Imò addunt *Mazzotta t. 1. p.*

247. et Croix n. 1455. cum Lugo, si ores ante ostium Ecclesie, quando illud est clausum.

Quær. XI. An pro eleēmosyna in juncta in jubilæo sufficiat dare quamlibet summam? In hoc præcipuè attendenda sunt verba indulti; nam si in eo dicatur: *Quantum pro sua cuique facultate visum fuerit*; tunc quantitas oportet proportionari, cujusque facultatibus, unde sufficiet pauperi dare obolum, non diviti. Si verò dicitur: *Prout unicuique suggeret devotio, vel quantum quisque pro arbitrio judicaverit*, tunc Pasq. q. 155. dicit eleēmosynam erogandam juxta cujusque facultates. Sed F. Theodor. à Spir. S. de jubil. c. 6. §. 5. n. 2. tenet sufficere quamlibet etiam modicam quantitatem. Si tandem dicitur simpliciter: *Qui dederit eleēmosynam*, distinguendum, si Papa eam postulet tantum ad exercendam misericordiam in pauperes, tunc sufficit (ut dicit præfatus auctor cum Suar. Corduba, et Leandro) dare quamlibet summam; secus si eleēmosyna exposcitur in subsidium alicujus operæ piæ; idem auctor cum Passer. ex D. Th. Supplem. qu. 25. art. 2. ad 5. ubi expressè id docet.

Dubitar hic 1. an pauperes ad jubilæum lucrandum te-neantur facere eleēmosynam? Negant Nav. Henr. et Leand. apud eundem auct. ib. n. 4. Sed probabilius affirmant idem auctor, et Viva qu. 8. art. 6. n. 2. cum Boss. Gob. et Pasq. etc., quia nemo est tam pauper, quin saltem obolum dare possit. Pro religiosis verò, filiisfamilias, uxoribus, et servis, sufficit, ut ab eorum superioribus detur eleēmosyna, ipsis scientibus; ita Lugo dist. 27. n. 115. Viva l. c. et Sporer p. 264. num. 280. Quòd si superior nolit dare, dicunt Boss. et Diana ap. Vivam posse subditum clam ab eo surripere; sed meliùs censet Viva, tunc petendam esse commutationem.

Dubit. 2. an lucretur jubilæum qui dat eleēmosynam distribuendam, si postea non distribuatur, vel distribuatur post tempus jubilæi? Negant Lugo dist. 27. num. 112. Sporer n. 180. et Viva qu. 8. art. 6. nu. 5. cum Bon. Cord. Rodr. etc., quia deficit opus in junctum, vel non impletur intra tempus præscriptum. Sed affirmant Sa v. Indulgentia, et Vega, Lezana, ac Pasq. apud Vivam, quia ex æquitate præsumitur Pontifex contentus esse, ut ille talis abjecerit à se, quoad se pertinebat, dominium rei datæ. Concedunt autem

Lugo n. 115. et Sporer n. 181. non fraudari ab indulgentia qui dederit eleēmosynam pauperi ficto.

Quær. XII. An satisfaciat jubilæo, qui implet jejunia in-juncta aliàs debita ex voto? Affirmant Sporer p. 264. n. 168. et Lugo d. 27. n. 110. cum communi, ut asserit (sed immeritò, ut mox videbimus); quia eodem opere potest satisfieri dupli-ci præcepto. Sed communiùs negant Sanch. Dec. lib. 1. c. 14. Sylv. v. Indulgentia, q. 6. Tab. q. 10. Arm. §. 16. et Viva q. 8. art. 1. num. 2. F. Theod. c. 10. a. 6. et Passer. qu. 41. Ratio, quia unà solutione nequit satisfieri duplici debito oneroso, prout est opus, sive conditio appo-sita in Indulto. Et sic hodie tenendum ex dictis à V. P. Bened. XIV. in constit. pluries cit. Vide supra n. 536.

INDEX

CAPITUM ET DUBIORUM,

CUI ANNECTUNTUR OMNIA SUMMARIA,

Quæ singulis capitibus et dubiis apponuntur, ut simul hæc præ oculis habeantur cunctæ res et quæstiones, quæ in sexto volumine continentur.

Littera A denotat librum, n numerum marginalem, v versiculum.

LIBRI SEXTI

TRACTATUS III.

DE EUCHARISTIA.

CAPUT I.

DE ESSENTIA EUCHARISTIÆ.

- DUB. I. Quid sit Eucharistia. pag. 1
 189 *In quo constituatur, sive consistat essentia Eucharistiæ.*
 190 *Vide resolutiones apud Busemb. circa rationem specificam et numericam hujus sacramenti.*
 191 *Qu. 1. An tota ratio specifica Eucharistiæ salvetur in alterutra specie. Qu. 2. Unde sumatur unitas numerica Eucharistiæ.*

Index capitum et dubiorum.

- 192 *An Eucharistia sit necessaria ad salutem necessitate mediæ.*
 195 *An Eucharistia sit necessaria adultis ad vitam spiritualem conservandam.*

DUB. II. Quæ materia Eucharistiæ. pag. 8

- 194 *Quæ sit materia proxima hujus sacramenti.*
 195 *De obligatione consecrandi sub utraque specie.*
 196 *Dub. 1. An hæc obligatio sit de jure divino, vel ecclesiastico. Dub. 2. An Papa possit in ea dispensare. Dub. 3. An sit valida consecratio unius speciei sine altera.*
 197 *An aliquando per accidens possit una species sine altera consecrari.*

DUB. III. Qualis debeat esse panis in materia Eucharistiæ. pag. 11

- 198 *An solus panis triticeus sit materia apta.*
 199 *Non est ad Eucharistiam materia apta: I. Panis ex oryza, leguminibus, etc. II. Massa cruda, aut frixa, sive elixa. III. Panis subactus oleo, lacte, etc. Quid si aqua non naturali. IV. Hostiæ rubræ. V. Panis corruptus.*
 200 *Quinam panis est materia dubia. An ex farro, siligine, amylo.*
 201 *Quinam panis sit materia valida, sed illicita. I. Si modicè alii rei permixtus. II. Si mucidus.*
 202 *Validè etiam, sed illicitè consecrant Latini in fermentato, et Græci in azymo.*
 203 *Dub. 1. Quid, si Latinus transeat per Græciam, vel contrâ. Dub. 2. An Latinus possit celebrare in fermentato ad dandum Viaticum.*
 204 *De hostia fracta, vel maculata.*
 205 *De figura hostiæ consecrandæ. Et an liceat celebrare cum hostia minori.*

DUB. IV. Quale vinum sit materia Eucharistiæ. pag. 16

- 206 *Quale vinum non sit materia apta. I. Sicera, etc. II. Agresta. III. Acetum. IV. Uvæ. V. Mustum decoctum.*

- 207 *Quale sit materia valida, sed illicita. I. Mustum. II. Vinum permixtum. III. An acescens. IV. An congelatum.*
- 208 *An sub præcepto gravi aqua miscenda sit vino. Et qualis aqua, et in quam quantitate. Et an mixtio faciendi in calice.*
- 209 *An aqua mixta vino immediatè convertatur in sanguinem.*
- 210 *Quenam quantitas aquæ immiscenda in calice. Quid si sanguis cadat super altare, linteum aut corporale, etc.*
- DUB. V. *Quæ conditiones ad materiam consecrationis requirantur.* pag. 23
- 211 *Ad validam consecrationem requiritur I. ut materia sit moraliter et sensibiliter præsens.*
- 212 *Hinc validè consecrantur hostiæ in ciborio clausæ, vel in tenebris, etc.*
- 213 *Invalidè tamen consecratur: I. Materia post tergum, aut parietem. II. Materia remota. III. Materia valde modica.*
- 214 *Requiritur II. ut materia sit certa, et determinata.*
- 215 *An consecretur hostia incio sacerdote. Et an guttæ vini separatæ.*
- 216 *Valida est consecratio: I. Si sacerdos determinet quoquo modo. II. Si putet, hostias esse minores numero. III. Si postquam intenderit eas consecrare, earum obliviscitur.*
- 217 *Quid, si ciborium ex oblivione relinquatur extra corporale. IV. Si hostiæ deferantur post oblationem.*
- 218 *Quæ requirantur ad licitam consecrationem.*
- 219 *Quibus casibus peccet celebrans in consecrando.*
- DUB. VI. *Quæ sit forma consecrationis Eucharistiæ.* pag. 31
- 220 *Quæ verba sint de essentia in consecratione panis. Et quæ vini. Et an verba sint proferenda simul recitative, et significative.*
- 221 *Quæ forma sit illicita. Quæ invalida. Et quæ dubia.*
- 222 *Qu. I. An in consecratione panis prærequirantur verba: Qui pridè, etc.*

- 223 *Qu. II. An in consecratione calicis omnia verba sint de essentia. Qu. III. Quid significant tò hoc, et hic. Qu. IV. An conficiatur Eucharistia, si omittatur verbum est.*
- 224 *Vide plura circa variationem verborum. Quid, si sacerdos se distrahit in consecrando.*
- DUB. VII. *Quamdiu Christus maneat in Eucharistia.* pag. 37
- 225 *Infra quantum tempus species consummentur.*
- 226 *Quando recipiatur gratia.*
- 227 *Quid, si sacerdos se disponeret inter sumptionem.*
- 228 *An recipiatur plus gratiæ, si sumatur utraque species, vel major materia.*
- 229 *Quid, si vinum consecratum in aliud vinum, aut liquorem injiciatur.*

CAPUT II.

DE CAUSIS ET SUBJECTO EUCHARISTIÆ.

DUB. I. De causis.

pag. 39

ARTICULUS I.

Ad quem spectet dispensatio Eucharistiæ.

40

- 250 *An solis sacerdotibus liceat Eucharistiam ministrare.*
- 251 *An soli sacerdotes validè consecrent.*
- 252 *Quid notandum de sacerdotibus consecrantibus simul unam hostiam, sive cum Episcopo.*
- 253 *An parochus tempore pestis teneatur ministrare Eucharistiam.*
- 254 *An inferior sacerdote ministrans incurrat irregularitatem.*
- 255 *An sufficiat consensus pastoris.*
- 256 *Quid, si ministrandum sit Viaticum.*
- 257 *Qu. I. Quando liceat diaconis ministrare. Qu. II. An liceat clericis, aut etiam laicis in necessitate sumere Eucharistiam per seipsos. Qu. III. An liceat laico in necessitate alteri Viaticum ministrare.*

- 258 *An sacerdos extra articulum mortis possit seipsum communicare.*
 259 *An alii præter pastores possint ministrare Eucharistiam in articulo mortis, et in Paschate.*
 240 *Quibus casibus liceat regularibus tunc ministrare.*

ARTICULUS II.

- Quid requiratur in ministro ad licitam administrationem Eucharistiæ. pag. 50
 241 *An Eucharistia deferenda ad infirmum cum stola, superpelliceo, ac lumine. Quid de extrema unctione.*
 242 *An in necessitate liceat currere.*
 243 *An deferre Eucharistiam in equo. Et an tantum ad eam adorandam.*
 244 *An liceat dispensare, vel celebrare posterioribus digitis. Et an medio instrumento tempore pestis.*
 245 *Quando peccat dispensans ob defectum ritus Ecclesiæ.*
 246 *Quibus non liceat porrigere communionem.*
 247 *An autem communicatio porrigenda reis capite damnatis. Et an semifatis, et obsessis.*
 248 *Quomodo pastor debeat asservare Eucharistiam. Et an Eucharistiâ asservanda, et deferenda semper sit cum lumine.*
 249 *An ministranda communicatio in missâ de Requiem.*
 250 *Quid faciendum, si hostia decidat in terram.*
 251 *Quid faciendum de fragmentis hostiarum.*
 252 *Quâ horâ, et quâ die possit dari communicatio.*
 253 *Quoties parochus teneatur ministrare communionem.*
 254 *Quid notandum circa communionem quotidianam.*

DUBIUM II.

DE SUBJECTO SEU SUSCIPIENTE EUCHARISTIAM.

ARTICULUS I.

- Quæ requiratur in eo dispositio animæ. pag. 63
 255 *De præcepto præmittendi confessionem communioni.*
 256 *Qu. I. An hoc præceptum sit divinum, vel ecclesiasticum.*

- 257 *Qu. II. An, qui post confessionem recordatur mortalis, teneatur ante communionem illud confiteri. Qu. III. An teneatur conteri.*
 258 *Quid, si sacerdos dubitat de peccato commisso. (Remissivè ad n. 475. de sacram. Pœnit.)*
 259 *Non excusat à confessione celebritas, devotio, aut paupertas.*
 260 *Excusat verò 1. Periculum mortis, et necessitas ministrandi Viaticum. 2. Scandalum, aut nota infamia. Quid, si deferatur Viaticum infirmo, qui nequit tam citò explere confessionem.*
 261 *Quid, si populus, aut ipse sacerdos deberet carere missa, vel communione paschali.*
 262 *Quid, si sacerdos inter celebrandum graviter peccet, vel recordetur peccati præteriti, an teneatur confiteri, si possit. Et an teneatur missam deserere si nequeat confiteri.*
 263 *Quid, si laicus recordetur mortalis in scamno communicantium.*
 264 *Quando censeatur deesse copia confessarii. Et quæ distantia confessarii excuset. Quid, si non adsit nisi sacerdos simplex, vel confessarius excommunicatus etc.*
 265 *Qu. I. Quid, si sacerdos habeat peccatum reservatum, et desit confessarius habens facultatem. Qu. II. An tunc teneatur confiteri mortalia tam reservata, quam non reservata. Quæ. III. Quid, si habeat excommunicationem reservatam.*
 266 *Qu. IV. Quomodo intelligendum præceptum confitendi quamprimum. Qu. V. An ad illud teneatur sacerdos celebrans sacrilegè. Qu. VI. An celebrans confessus, et oblitus peccati.*
 267 *Qu. VII. An sacerdos non confessus, qui meminit peccati post consecrationem.*
 268 *Qu. VIII. An præceptum confitendi quamprimum obliget etiam laicos.*
 269 *Effectus Eucharistiæ.*
 270 *Qu. I. An accedere ad Eucharistiam cum veniali habituali sit novum veniale. Quæ. II. An communicans cum veniali actuali peccet venialiter, et fructum amittat.*

ARTICULUS II.

- Quæ requiratur dispositio corporis. pag. 81
- 271 *An pollutio, et actus conjugalis impediunt à communionem.*
- 272 *Qu. I. Quid, si pollutio fuerit voluntaria. Et quid si involuntaria.*
- 273 *Qu. II. An semper sit veniale accedere ad Eucharistiam post copulam conjugalem.*
- 274 *Qu. III. An conjux reddens debitum teneatur eâ die abstinere à communionem.*
- 275 *An macula externa, ut lepra, etc. impediât à communionem, et an à celebrationem. An menstrua. An latio armorum.*
- 276 *An sacerdos communicans extra missam debeat esse stolidus indutus.*
- 277 *De jejuniò naturali ad communionem prærequisita.*
- 278 *Prænot. 1. hoc non esse de præcepto divino. Prænot. 5. tria requiri ad solvendum hoc jejuniùm, ex tribus regulis, videlicet:*
- 279 *Regula I. Ut res sumatur ab extrinseco. Dubit. 1. An frangat jejuniùm voluntaria trajectio reliquiarum cibi. Dub. 2. An guttulæ aquæ commixtæ cum saliva, aut jusculi degustati. An saccharum ante mediam noctem in os immissum. An aqua hausta à lapso in flumen. An sanguis haustus è digito. Quid si destuat à capite.*
- 280 *Regula II. Ut res sumatur ad modum comestionis aut potationis. Dub. 1. An frangat jejuniùm pulvis tabaci sumptus per nares. Dub. 2. An fumus tabaci. Dub. 5. An tabaci folia, vel aromata dentibus contrita.*
- 281 *Regula III. Ut sumatur res habens rationem cibi, aut potus. Hinc quæritur, an solvat jejuniùm comestio capillorum, lancæ, ligni, chartæ, lapillorum, cretæ, et similibus.*
- 282 *An liceat sequi ultimum inter horologia. Et quidem si quis deglutiât cibum post primum ictum. An in dubio soluti jejunii liceat communicare.*

- 283 *An sit peccatum sumere cibum, vel expuere statim post communionem.*
- 284 *In quibus casibus possit quis communicare non jejuno.*
- 285 *An liceat iterum dare Viaticum infirmo non jejuno. Dub. I. Quanto tempore una communiò debeat ab alia distare. Dub. 2. An qui communicaverit paucis ante diebus ex devotionem, teneatur, adveniente periculo mortis, sumere Viaticum. Dub. 5. An, qui manè communionem receperit. Dub. 4. An sacerdos possit aliquando omittere verba: Accipe Viaticum, etc.*
- 286 *An sacerdos possit celebrare non jejuno, ad dandum alteri Viaticum. An, ad dandum sibi ipsi.*
- 287 *An liceat communicare post cibum, ne Eucharistia pereat. aut malè tractetur. An ad vitandum scandalum.*
- 288 *An ad perficiendum sacrificium vel communionem.*
- 289 *An ad vitandam mortem. An liceat communicare ante somnum, vel digestionem.*

ARTICULUS III.

- Quæ, et quanta sit obligatio sumendi Eucharistiam. pag. 111
- 290 *An communiò in adultis sit necessaria necessitate medi.*
- 291 *An et quando quisque in periculo vitæ teneatur sumere communionem.*
- 292 *Quid agendum in periculo vomitus, vel in casu delirii.*
- 293 *An pueris ministrandum Viaticum.*
- 294 *De obligationem communicandi.*
- 295 *Quando obliget præceptum divinum, et quando ecclesiasticum.*
- 296 *Dub. I. Quomodo computandus annus obligationis.*
- 297 *Dub. II. An, qui non communicavit in Paschate, teneatur communicare quamprimum. Quid, si quis ad implendum præceptum Paschale, prævidens impedimentum, communionem anticipavit.*
- 298 *Dub. III. An, qui non possit communicare in Paschate, teneatur prævenire.*
- 299 *Dub. IV. An teneantur fideles tollere impedimentum, ut communionem paschali satisfaciant.*

- 500 *De obligatione communicandi in parochia. An eximantur sacerdotes, peregrini, famuli religiosorum. An alii ex consensu pastoris.*
- 501 *De obligatione puerorum communicandi in Paschate. Qu. I. An pueri teneantur, aut possint communicare statim post usum rationis. Dub. 1. Quid etate censeantur obligati ad communionem. Dub. 2. An infantibus sit danda communicatio in articulo mortis.*
- 502 *Qu. II. An possit ministrari communicatio amentibus.*
- 503 *Qu. III. An semifatis, mutis, surdis, et obsessis.*

CAPUT III.

DE EUCHARISTIA, UT EST SACRIFICIUM.

DUB. I. Quid sit missa, et quæ obligatio sacerdotum circa illam. pag. 126

504 *Definitio sacrificii missæ. Not. I. Quomodo definiatur sacrificium in genere. Not. II. Quomodo distinguantur sacrificia. Et quomodo sacrificium Eucharistiæ omnia illa contineat. Et in quo differat à sacrificio crucis. Not. III. An missa sit verum sacrificium.*

505 *In quo consistat essentia sacrificii missæ.*

506 *An ad essentiam sacrificii requiratur consecratio utriusque speciei.*

507 *Quinam sint offerentes in sacrificio missæ.*

508 *Pro quibus possit offerri missa.*

509 *Dub. 1. An pro excommunicatis. Dub. 2. An pro infidelibus.*

510 *An pro defunctis.*

511 *Effectus sacrificii missæ sunt quatuor: I. Remissio peccatorum. II. Remissio pœnarum. III. Augmentum gratiæ. IV. Impetratio bonorum.*

512 *De valore, et fructu missæ. An missa habeat valorem infinitum. Et an fructus missæ pendeat à probitate celebrantis.*

513 *De obligatione celebrandi, quam habent sacerdotes. Dub. 1. An ipsi ex præcepto gravi teneantur aliquando celebrare. Dub. 2. Quoties in anno teneantur celebrare simplices sacerdotes. Quoties parochi. Quoties Episcopi.*

514 *De missa conventuali quotidie celebranda.*

515 *De obligatione dicendi tempore debito missas pro accepto stipendio.*

516 *Quædam prænotanda circa originem stipendii.*

517 *Qu. I. An liceat sacerdoti diviti accipere stipendium pro missis. Et an peccet graviter, qui principaliter celebrat pro stipendio. Qu. II. Quomodo peccet sacerdos differendo celebrationem. Et quæ dilatio censeatur modica. Quid, si missæ tradantur communitati. Qu. III. An peccet graviter sacerdos omittens sacrum promissum pro parvo stipendio. Qu. IV. Quid, si missa sit gratuita promissa.*

518 *An liceat accipere stipendium pro applicatione fructus specialissimi. Et an accipere plura stipendia pro una missa.*

519 *A quo, et quomodo taxandum sit stipendium.*

520 *Dub. 1. An regulares teneantur servare taxam Episcopi. Dub. 2. An Episcopus possit prohibere, ne accipiantur stipendium majus taxæ. Dub. 3. An, ne accipiatur stipendium minus. An autem qui acceperit, possit minuere numerum missarum. Dub. 4. An liceat pacisci de stipendio. Dub. 5. Quomodo taxandum stipendium missarum, quas reliquit testator.*

521 *Non licet celebrare per alium, retentâ parte stipendii. Exceptio I. Si stipendium detur intuitu personæ. Exceptio II. Si alter sacerdos verè spontè condonet partem. Excipitur III. Beneficiarius, capellanus, et sacerdos obligatus ex legato sibi relicto suâ vitâ durante.*

522 *Dub. 1. An, qui retinet partem stipendii teneatur ad restitutionem. Et cui restituendum. Dub. 2. Quid de procuratore, vel executore testamenti. Dub. 3. An colligens eleemosynas possit partem retinere pro suo labore. Dub. 4. An possint commutari missæ majoris stipendii cum missis minoris. Dub. 5. An administratores Ecclesiarum possint aliquid retinere pro expensis.*

523 *De obligatione beneficiariorum et parochorum applicandi missas.*

524 *Qu. I. Cui debeant applicari missas beneficiati et capellani monialium, aut confraternitatum. Quid, si capitale fundationis beneficii, aut capellanix sit infru-*

- ctiferum. *Qu. II. Quibus diebus parochi teneantur celebrare pro populo.*
- 523 *Vide sancita à Bened. XIV. super missa parochorum.*
- 526 *Super missa conventuali.*
- 527 *De obligatione celebrandi missas votivas promissas sub stipendio.*
- 528 *De obligatione celebrandi loco, et tempore designato a fundatore.*
- 529 *Quid, si Episcopus dispenset. Et an possit dari præscriptio ab obligatione missarum.*
- 530 *De obligatione beneficiarii celebrandi missas præscriptas et celebrandi per seipsum.*
- 531 *De reductione missarum. An Episcopus possit eam facere. Et an moderari officia, et eleemosynas anniversariis annexa.*
- 532 *An beneficiarius possit aliquando celebrare pro suis propinquis, aut amicis, vel omittere missam propter reverentiam.*
- 533 *An capellanus ægrotans teneatur per alium satisfacere missis. De 50 missis Gregorianis. An liceat stipendium accipere pro prima missa, quam Neo-presbyter celebrat cum Episcopo. (Remissivè ad num. 829. vers. An autem.)*

DUB. II. Cujus sit applicare fructum sacrificii. — pag. 172

- 534 *A quo applicandus sit fructus missæ. An religiosus validè missam applicet contra voluntatem prælati.*
- 535 *Applicatio debet fieri ante celebrationem. Qu. I. An sufficiat applicatio habitualis. Qu. II. An si quis accepit stipendia à diversis, sufficiat applicare missas pro eis in confuso.*
- 536 *Quid, si applicatio nulli fiat, vel incapaci.*
- 537 *An valeat applicatio conditionata. Et an applicatio facta pro primo offerente sit illicita, et invalida.*
- 538 *An die animarum possit applicari missa pro particularibus ex stipendio.*
- 539 *De altari privilegiato. Qu. 1. An ad tales indulgentias lucrandum requiratur missa de Requiem. Qu. 2. Quomodo intelligenda est clausula: Modò in Ecclesia quo-*

tidie dicantur septem missæ. *Qu. 3. Quomodo clausula: Modò in Ecclesia non sit aliud altare privilegiatum.*

DUB. III. Quando, et quoties liceat celebrare. — pag. 178

- 540 *An possit dici missa ante auroram, vel post meridiem.*
- 541 *An quo tempore incipiat aurora. An tempus tam auroræ, quàm meridiæ moraliter accipiendum.*
- 542 *Quid de privilegiis regularium.*
- 543 *Casus, in quibus licet celebrare ante auroram, vel post meridiem. An in nocte Nativitatis omnes tres missæ dici possint ante auroram.*
- 544 *An liceat anticipare missam vel postponere ob festivitatem, vel causâ itineris, vel ex dispensatione Episcopi.*
- 545 *An peccet graviter, qui celebrat ante auroram, vel post meridiem.*
- 546 *Quænam in hoc sit parvitas materiæ.*
- 547 *Quale peccatum sit celebrare ante Matutinum.*
- 548 *Quid, si esset missa conventualis, et solemnis.*
- 549 *An liceat celebrare (et ministrare communionem) quolibet anni die.*
- 550 *An in die cænæ Domini, et Sabbati sancti liceat privatim celebrare.*
- 551 *An et quando liceat celebrare pluries in die.*
- 552 *An aliquando liceat interrompere missam, vel de novo incipere.*
- 553 *An, si superveniat princeps, vel turba peregrinorum, vel si sacerdos recordetur alicujus impedimenti.*
- 554 *An, si urgeat necessitas propria vel aliena.*
- 555 *Quomodo missa interrupta supplenda sit ab alio sacerdote.*

DUB. IV. Quo loco celebrandum sit. — pag. 191

- 556 *An et in quali necessitate liceat extra Ecclesiam celebrare. Et an in mari.*
- 557 *An et quando liceat celebrare in oratoriis ex dispensatione Episcopi. Licet I. in oratoriis benedictis. II. in oratoriis communitatum. III. in oratoriis erectis in palatiis Episcoporum.*

- 558 *An Episcopi possint celebrare in domibus privatis.*
 559 *An possint dispensare, ut aliquando in illis celebretur.*
Not. I. Privilegium non perit per mortem Papæ, vel Episcopi. Not. II. Quid, si privilegiatus mutet habitationem. Not. III. Quibus diebus non liceat celebrare in oratoriis privatis. Et an regulares, vel Episcopi possint celebrare in domibus privatis, præter missam in indulto concessam.
 560 *An religiosi possint ex privilegio celebrare in quocumque altari portatili.*
 561 *An semper peccent mortaliter celebrantes in Ecclesia violata. Et an aliquam pœnam incurrant.*
 562 *An polluantur oratoria non benedicta. Et an sacristiæ, cryptæ, etc.*
 563 *A quibus Ecclesia debet reconciliari.*
 564 *Quomodo crimen, per quod polluitur Ecclesia vel cœmeterium, oporteat esse notorium. Quando Ecclesia polluitur per homicidium. An Ecclesia violetur, si vulnus intra eam infligatur, et mors (sive effusio sanguinis) sequatur extrâ.*
 565 *Quando Ecclesia polluitur per effusionem sanguinis, vel seminis.*
 566 *Quando per sepulturam excommunicati, infidelis, vel hæretici.*
 567 *Quando per destructionem Ecclesiæ.*
 568 *Quomodo fiat execratio rei consecratæ, nempe Ecclesiæ, altaris, calicis, et vestium. Vide de execratione Ecclesiæ.*
 569 *De execratione altaris, et 1. Si lapis removeatur. 2. Si frangatur. 3. Si spolietur sepulchrum. Dub. 1. An reliquiæ Sanctorum sint necessariae ad consecrationem altaris. Dub. 2. Quid, si frangatur sigillum, vel removeatur sepulchrum.*
 570 *De execratione calicis. Dub. 1. An excretur calix, si destruat inauratio. Dub. 2. An calix de novo inauratus novâ indigeat consecratione. Dub. 3. An liceat celebrare in calice nunquam inaurato.*
 571 *De execratione vestium.*

DUB. V. Quæ sint requisita ad missam.

pag. 219

572 *Prænotantur quæ sunt præscripta in rubrica.*

- 573 *I. requiritur altare consecratum.*
 574 *II. Mappa triplex.*
 575 *Dub. 1. An sufficiant duæ mappæ, vel una duplicata. Dub. 2. An mappæ debeant esse benedictæ. Dub. 3. An tam mappæ, quam corporale debeant ex lino confici.*
 576 *III. Vestes sacræ, et mundæ.*
 577 *Dub. 1. An sit mortale celebrare sine stola, manipulo, aut cingulo. Dub. 2. An ob metum mortis liceat celebrare sine ulla veste sacrâ.*
 578 *Dub. 3. An prælati regulares possint sacras vestes benedicere (Vide etiam n. 581). Dub. 4. An Episcopi possint aliis delegare licentiam benedicendi vestes. Dub. 5. An color vestium sit de præcepto.*
 579 *IV. Calix et patena consecrata.*
 580 *An calices, vestes, etc. remaneant consecrata, vel benedicta, si quis in eis celebret.*
 581 *An abbates possint benedicere calices, paramenta, etc. etiam pro Ecclesiis alienis.*
 582 *Quibus sit licitum tangere vasa sacrâ, corporalia et vestes.*
 583 *De pyxide, et materia ejusdem, vel calicis.*
 584 *Dub. 1. An pyxis debeat consecrari.*
 585 *Dub. 2. An debeat benedici.*
 586 *V. Corporale benedictum.*
 587 *Quibus liceat lavare corporalia. Et an aqua lotionis omninò mittenda sit in sacrarium.*
 588 *VI. Palla lineæ. An sit mortale celebrare sine palla vel eâ non benedictâ, et an liceat duos pallas adhibere.*
 589 *VII. Purificatorium. An hoc debeat esse benedictum.*
 590 *VIII. Missale. An liceat in necessitate celebrare sine missali vel cum missali ritus diversi.*
 591 *IX. Minister masculus. Dub. 1. quale peccatum sit celebrare sine ministro.*
 592 *Dub. 2. An peccet graviter sacerdos celebrans ministrante vel respondente femina.*
 593 *X. Crucifixus. Dub. 1. An sit mortale celebrare sine cruce, aut crucifixo. Dub. 2. An manente in altari magna imagine crucifixi, alia crux requiratur. Et an crux, et aliæ imagines Sanctorum debeant esse benedictæ.*
 594 *XI. Candelæ ex cera. Dub. 1. An liceat celebrare cum*

- candelis ex sebo, vel oleo. *Dub. 2. an cum uno lumine cereo. Et an cum quatuor candelis.*
- 595 *XII. Antependium, pulvillus, bursa, velum, et manu tergium.*
- 596 *XIII. Capitis nudatio.*
- 597 *Dub. 1. An sit mortale celebrare capite cooperto. Quid, si adsit causa sic celebrandi.*
- 598 *Dub. 2. An liceat celebrare cum cæsarie ficta.*
- 599 *An rubricæ missalis sint directivæ, vel præceptivæ.*
- 400 *An sit mortale omittere cæremonias leviores in notabili parte. Et quantum temporis sit in celebratione insumendum. Monitum.*
- 401 *An omnia decreta S. C. Rituum rigoroſè obligent.*
- 402 *An liceat celebrare nudis pedibus, aut cum baculo, etc.*
- 403 *De omissione partium missæ. Et an repetenda omiſſa.*
- 404 *De partibus ordinariis omiſſis.*
- 405 *Quæ omiſſio sit mortalis, et signanter in canone.*
- 406 *Quæ verò sit tantum venialis.*
- 407 *Quæ mutilatio sit mortalis.*
- 408 *De purificatione calicis facienda.*
- 409 *De partibus extraordinariis omiſſis; et signanter de lotionè manuum.*
- 410 *Dub. 1. Quomodo peccent regulares nominantes in canone nomen generalis vice Episcopi. Et quinam Episcopus nominandus. Dub. 2. An peccet omittens orationes ante vel post missam. Dub. 3. An peccet omittens orationes ad vestes. Dub. 4. An peccet sacerdos non recitans in missa solemnè, quæ cantantur à choro. Dub. 5. Quomodo peccet celebrans voluntariè distractus.*
- 411 *Quomodo peccet sacerdos addens aliqua in missa.*
- 412 *An liceat dicere missam ante Matutinum et Laudes. (Remissivè ad n. 547.)*
- 415 *De iis, quæ voce altè, vel submissè dicenda sunt.*
- 414 *Dub. 1. An peccet ita submissè celebrans, ut nec seipsum audiat.*
- 415 *Dub. 2. An peccet recitans submissè, quæ altè dicenda sunt.*
- 416 *An sit mortale altè dicere, quæ submissè sunt recitanda.*
- 417 *An et quando liceat mutare missam.*
- 418 *In quibus diebus prohibeantur missæ votivæ.*

- 419 *In quibus verò permittantur. Et an tunc pro arbitrio passim dici possint.*
- 420 *Qu. I. An sit mortale dicere missam votivam in diebus vetitis.*
- 421 *Qu. II. Ob quas causas in dictis diebus possint dici missæ votivæ. 1. Ob necessitatem publicam. 2. Si in illa Ecclesia celebretur festum duplex. 3. Si exponatur SS. Sacramentum. 4. Si præsens sit cadaver, vel dicenda sit missa anniversaria.*
- 422 *Qu. III. An obligatus dicere missam votivam satisfaciat, si dicat diei propriam.*
- 423 *Qu. IV. Quenam sint advertenda circa modum dicendi missas votivas. Et 1. De numero orationum. 2. De missis habentibus introitum particularem, etc. 3. De missis Beatorum concessis alicui ordini, vel loco. 4. De missa SS. Trinitatis, Angelorum, Spiritus sancti, B. V. Mariæ, et de Requiem.*
- 424 *Afferuntur aliqua decreta magis notabilia circa missarum celebrationem. Quæritur hic obiter, quantum ex causa liceat exponere SS. Sacramentum. v. Refert. Deinde quæritur, quibus in Ecclesiis possit asservari Sacramentum Eucharistiæ.*

TRACTATUS IV.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

CAPUT I.

DE ESSENTIA HUIUS SACRAMENTI.

DUB. I. Quæ sit ejus materia, et forma? pag. 276

425 *De materia et forma hujus sacramenti.*

426 *Monitum ad confessarios.*

427 *De materia remota. Dub. 1. An mortalia commissa in susceptione baptismi sint materia hujus sacramenti. Dub. 2. An peccata aliàs confessa sint materia sufficiens hujus sacramenti.*

- 428 De forma. Qu. I. An forma hujus sacramenti consistat in verbis, et possit proferri in absentem.
- 429 Et quænam præsentia moralis pœnitentis requiratur.
- 430 Qu. II. quænam forma in hoc sacramento sit proferenda. Dub. 1. In quibus verbis consistat essentia formæ. Et an necessarium sit verbum te. Dub. 2. An verba, à peccatis tuis. Dub. 3. An verba, in nomine Patris, etc. Et an preces adjunctæ. Dub. 4. An per verba te absolvo, possit sacerdos absolvere simul à peccatis, et à censuris.
- 431 Qu. III. An possit validè et licitè dari absolutio sub conditione.
- 432 Causæ justæ absolvendi sub conditione.
- DUB. II. Quæ contritio requiratur? pag. 289
- 435 Vide quæ habentur apud Busemb. de dolore, et proposito.

§. I.

De quæstionibus ad dolorem pertinentibus? *ibid.*

- 434 Quid sit pœnitentia ut virtus, et quid ut sacramentum? 455
- 435 Qu. I. An contritio consistat in dolore, vel in detestatione.
- 436 Qu. II. Ex quo motivo elicienda sit contritio.
- 437 Qu. III. Quando obliget præceptum contritionis. Dub. 1. An obliget extra periculum mortis. Et an ejus dilatio sit speciale peccatum. Dub. 2. An qui in articulo mortis confessus sit cum attritione, teneatur deinde elicere contritionem. Dub. 3. An præceptum contritionis obliget in diebus festis.
- 438 Qu. IV. An ad justificationem requirantur singulæ contritiones ad singula peccata.
- 439 Qu. V. An in confessione requirantur explicitè actus fidei, et spei.
- 440 Qu. IV. An in sacramento sufficiat attritio sine amore prædominante.
- 441 An quælibet contritio deleat peccatum extra sacramentum.
- 442 Et an peccatum possit consistere cum charitate prædo-

- minante, si sit remissa. Solvuntur objectiones, ubi probatur, amorem inchoatum includi in attritione.
- 443 Qu. VII. An sufficiat attritio ex metu penarum temporalium.
- 444 Qu. VIII. An sacramentum pœnitentiæ possit esse aliquando validum et informe.
- 445 Qu. IX. An dolor debeat præcedere ad confessionem.
- 446 Qu. X. Per quantum temporis actus doloris moraliter perseveret.
- 447 Qu. XI. An pœnitens debeat elicere actum doloris cum intentione se confitendi.
- 448 Qu. XII. An, qui confitetur peccatum oblitum statim post absolutionem, teneatur novum elicere dolorem.
- 449 Qu. XIII. Quomodo eliciendus sit dolor in confessione venialium. Dub. 1. An sit mortale confiteri venialia sine ullo dolore. Dub. 2. An in confessione venialium sufficiat dolere de uno peccato sine alio. An sufficiat dolere de frequentia venialium.

§. II.

De quæstionibus pertinentibus ad propositum? pag. 323

- 450 Qu. I. An sufficiat propositum virtuale sive implicitum.
- 451 Qu. II. Quæ sint conditiones requisitæ ad verum propositum. Et sunt I. Ut sit firmum. Quid, si pœnitens credat, certò se relapsurum. II. Ut sit universale. An requiratur universale propositum de mortalibus. III. Ut sit efficax.
- 452 Qu. III. Quomodo se gerere debeat confessarius cum iis, qui sunt in occasione peccandi. Dub. 1. Quotuplex sit occasio, et quotuplex periculum peccandi. Et quæ occasio vitari debeat.
- 453 Dub. 2. An possit absolvi, qui non vult amovere probabilem peccandi occasionem.
- 454 Dub. 3. An, qui est in occasione proxima voluntaria, possit semel vel iterum absolvi.
- 455 Dub. 4. An possint absolvi qui sunt in occasione proxima necessaria? præsertim causâ suæ artis vel officii.
- 456 Sententia tenenda circa absolutionem his differendam.

- 437 *Dub. 3. An possit absolvi, qui in occasione necessaria, adhuc remediis adhibitis, eodem modo fuerit relapsus.*
 438 *Annotatur doctrina S. Caroli Borromæi.*
 439 *Qu. IV. Quomodo se gerere debeat confessarius cum consuetudinariis ex intrinseca fragilitate. Et quomodo cum recidivis. An recidivus possit pluries absolvi sine signis extraordinariis.*
 460 *Quæ sint signa extraordinaria.*
 461 *Quæ certitudo dispositionis pœnitentis sufficiat ad eum absolvendum.*
 462 *An liceat differre absolutionem pœnitenti disposito sine ejus consensu.*
 465 *An expediat, vel ne, sapiùs differre absolutionem.*
 464 *Cur potius differenda sit absolutio iis, qui sunt in occasione extrinseca, et non recidivis ex fragilitate intrinseca.*

DUBIUM III.

QUALIS CONFESSIO REQUIRATUR.

ARTICULUS I.

An debeat esse integra materialiter. pag. 554

- 465 *Quæ sit integritas materialis.*
 466 *Quantum extendatur numerus, dicendo plus minus. Et quomodo exquirendus numerus in consuetudinario.*
 467 *An sint necessariò explicande circumstantiæ aggravantes.*
 468 *Qu. I. Quot sententiæ sint in hac quæstione. An in furto explicanda sit quantitas.*
 469 *Dub. 1. An incestus cum consanguineis differat specie ab incestu cum affinis.*
 470 *Dub. 2. An in peccato incestus cum consanguineis explicandi sint gradus consanguinitatis.*
 471 *Plura notanda circa examen conscientie, et integritatem confessionis.*
 472 *An peccata mortalia dubia necessariò sint confitenda.*
 473 *Dub. 1. An teneamur confitèri mortalia positivè dubia.*
 474 *Dub. 2. An mortalia negativè dubia.*
 473 *Quid, si quis velit Eucharistiam recipere.*

- 476 *Quid, si quis sit scrupulosus, vel timoratae conscientie.*
 477 *Dub. 5. An teneatur quis confitèri aliquod mortale in dubio, an illud sit confessus.*
 478 *Dub. 4. An, qui confessus est mortale uti dubium, teneatur repetere, quando certum agnoscit. Quid, si pœnitens post confessionem sciat, materiam sui peccati fuisse gravem, sed ipse nullo modo id noverit tempore, quo peccatum commisit.*

ARTICULUS II.

Quando sufficiat confessio integra formaliter. pag. 574

- 479 *Quæ sit integritas formalis. Et quis censeatur physicè impotens ad integritatem materialem. I. Mutus. An hic teneatur confitèri scripto, aut per signa. II. Surdus. III. Ignarus idiomatis. An hic teneatur confitèri per interpretem. IV. Moribundus.*
 480 *An absolvendus moribundus qui dat signa doloris sacerdoti presenti, quin possit ullum peccatum explicare.*
 481 *An absolvendus infirmus sensibus destitutus, qui per testimonium adstantium ostendit desiderium absolutionis. An tunc absolutio danda sit absolutè, vel conditionatè.*
 482 *Quid, si nullum dederit signum pœnitentiæ.*
 483 *Quid, si fuerit destitutus in actu peccati.*
 484 *Quando sufficiat integritas formalis ob periculum mortis.*
 485 *An in periculo contagii possit confessarius absolvere, audito uno peccato.*
 486 *An tempore conflictus, vel naufragii.*
 487 *Quis censeatur moraliter impotens. Et quid, si peccatum non possit explicari sine violatione sigilli.*
 488 *Quinam igitur excusentur ab integritate materiali.*
 489 *An sit obligatio confitendi peccatum, si non possit dici sine infamatione complicitis.*
 490 *Ex quibus causis liceat manifestare complicem confessario qui eum noscit.*
 491 *Bulla Bened. XIV. prohibens exquirere à pœnitente nomen complicitis peccati.*
 492 *Sententia auctoris, id nullo casu esse licitum.*

ARTICULUS III.

Quæ sint reliquæ conditiones confessionis. pag. 590

- 493 *Confessio debet esse vocalis. Quando liceat, aut sit obligatio confitendi scripto.*
 494 *Debet esse secreta.*
 495 *Debet esse vera.*
 496 *Quando mendacium in confessione sit veniale.*
 497 *Quando mortale.*

ARTICULUS IV.

Quando confessio sit invalida, et quomodo iteranda. pag. 593

- 498 *An valeat confessio apud confessarium excommunicatum.*
 499 *An apud surdum, indoctum. An apud non audientem aliquod peccatum.*
 500 *De judicio peccatorum efformando à confessario.*
 501 *Quando confessio sit invalida ex parte pœnitentis.*
 502 *Quomodo iteranda confessio facta eidem confessario.*
 503 *Quid, si peccatum sit inculpabiliter omissum. An ob magnum concursum possit confessio dimidiari.*
 504 *Quid de rusticis qui nunquam explicarunt species, neque numerum.*
 505 *Non est obligatio repetendi confessiones, nisi constet de ipsarum nullitate.*

DUBIUM IV.

DE SATISFACTIONE.

ARTICULUS I.

Quæ ejus necessitas, et quantitas. pag. 402

- 506 *Quomodo satisfactio sit necessaria. Et an sit venialis ejus omissio in culpis venialibus.*

- 507 *Quibus casibus possit imponi levis pœnitentia. Et an possit minui propter illud: Quidquid boni feceris, etc.*
 508 *Quando licitè imponatur pœnitentia minor justo. Quanta debeat esse juxta Tridentinum.*
 509 *An sit justa causa minuendi pœnitentiam prudens timor, ut pœnitens eam impleat.*
 510 *Auctoritates circa hoc punctum.*
 511 *An possit injungi pro pœnitentia ingressus religionis, aut susceptio status conjugalis.*
 512 *An et quando possit vel debeat imponi pœnitentia publica.*
 513 *Dub. 1. An possit injungi opus aliàs debitum. Dub. 2. An pœnitentia mox antè imposita.*
 514 *An possit imponi opus internum. An opus pro defunctis. An cessatio ab aliquo bono opere. An pœnitentia possit imponi post absolutionem.*
 515 *Sub qua obligatione pœnitens teneatur acceptare, et implere pœnitentiam.*
 516 *Dub. 1. An pœnitens teneatur sub gravi acceptare, et implere pœnitentiam justam. Quid, si sit gravior justo.*
 517 *Dub. 2. Quid, si sit imposita pro venialibus aut mortalibus confessis.*
 518 *Dub. 5. An confessarius pro culpis gravibus possit dare pœnitentiam gravem sub obligatione levi.*
 519 *Dub. 4. An tempore jubilæi, vel indulgentiæ plenariæ confessarius possit omittere impositionem pœnitentiæ.*
 520 *Dub. 5. An si pœnitens oblitus sit pœnitentiæ, teneatur repetere confessionem, ut eam recipiat.*
 521 *Pœnitens implens pœnitentiam in mortali. Quæ dilatio sit mortalis in implenda pœnitentia.*
 522 *Dub. 1. An existens in mortali possit satisfacere pœnitentiæ.*
 523 *Dub. 2. An peccet satisfaciens in mortali.*
 524 *An possit imponi pœnitentia sub conditione, si relabatur.*
 525 *An transacto tempore præscripto, desinat obligatio implendi pœnitentiam.*
 526 *An pœnitentia possit impleri per alium.*
 527 *An pœnitentia sit implenda ante communionem.*
 528 *Quis et quomodo possit commutare pœnitentiam.*
 529 *Dub. 1. An pœnitens teneatur eo casu repetere confes-*

sionem. *Dub. 2. Quid, si pœnitentia fuerit imposita pro peccatis reservatis. Dub. 5. An confessarius possit commutare pœnitentiam extra confessionem.*

550 *Annotantur principaliores canones pœnitentiales.*

ARTICULUS II.

DE SATISFACTIONE PER INDULGENTIAS.

§. I.

Quid sit indulgentia, et quid ad eam requiratur. pag. 452

551 *Quid sit indulgentia.*

552 *Quæ causa requiratur ad indulgentiam lucrandam.*

553 *Quæ requirantur conditiones.*

554 *Vide resolutiones: et signanter n. 9. An omnia opera fieri debeant in gratia. Et n. 10. An requiratur status gratie ad lucrandam indulgentiam pro defunctis. Et n. 19. An peccatum veniale non remissum impediât lucrari indulgentiam quoad alia remissa.*

§. II.

Quotuplex indulgentia, et quomodo differat à jubilæo. pag. 459

555 *Vide, quæ habentur apud Busemb.*

556 *Annotantur sancita à Bened. XIV. circa jubilæum.*

557 *Qu. I. An ad lucrandum jubilæum omnia opera perfici debeant in una hebdomada. Qu. II. An per confessionem invalidam in jubilæo auferatur reservatio censurarum, et peccatorum. Qu. III. An peccet graviter qui absolutus à reservatis, postea alia opera non implet. Quar. IV. An, qui confessus est in jubilæo, et oblitus sit peccati reservati, possit deinde à quocumque absolvi. Et an obtinere commutationem votorum. Qu. V. An confessus animo lucrandi jubilæum, maneat absolutus à reservatis oblitis, si postea non lucretur. Qu. VI. An possit absolvi, qui commisit peccatum reser-*

ratum in confidentiam jubilæi. Qu. VII. An possit dari absolutio ante satisfactionem partis, vel juramentum ejusdem. Qu. VIII. A quibus casibus et censuris possit absolvi in jubilæo. Dub. 1. An possint absolvi publicè excommunicati. Dub. 2. An possit dispensari in irregularitate.

558 *Qu. IX. Qui veniant nomine infirmorum, captivorum, et itinerantium. Qu. X. An sufficiat ad jubilæum lucrandum oratio mentalis, aut modica vocalis. Qu. XI. An modica eleëmossyna. Qu. XII. An satisfaciât pro jejuniis injunctis implens jejunia aliàs debita.*